This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

F.F. 147. Art

Digitized by Google

4° R. 11. Th. Bs.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONRADI IKENII,

SS. Th. Doct. & Prof. ad æd. D. Steph. Paſt. Prim.

DISSERTATIONES
PHILOLOGICO-THEOLOGICÆ,
IN
DIVERSA
SACRI CODICIS
UTRIUSQUE INSTRUMENTI
LOCA,
MAXIMAM PARTEM
NUNC PRIMUM
IN
LUCEM EDITÆ.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM HAAK, 1749.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·
DOMI NUS ILLU MINA TIO MEA

Digitized by Google

NATALIUM SPLENDORE,

MUNERUM DIGNITATE,

MERITORUMQUE IN OMNEM REMPUBLICAM

MULTITUDINE, MAXIME CONSPICUIS

VIRIS,

ILLUSTRIBUS ET PERQUAM MAGNIFICIS

CONSULIBUS

DANIELI à BÜREN,

JCTO CELEBERRIMO, JUDICI HÆREDITARIO IN BORGFELD, ECCLESIARUM BREMENSIS TERRITORII VISITATORI, ET XENODOCHII AD ÆD. D. REMBERTI PROVISORI, BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ INSPECTORI SUPREMO.

DIDERICO MEIER,

JCTO EMINENTISSIMO, PRÆSIDI REIP. CLAVUM CUM MAXIME PRUDENTISSIME MODERANTI.

HENRICO LAMPE,

JCTO PRÆCLARISSIMO MULTIS DIGNITATIBUS FIDELISSIME FUNCTO.

CHRISTIANO SCHOENE,

JCTO SUMMO, SCHOLÆ CONSTITUENDÆ DUUM VIRO VIGILANTISSIMO.

Digitized by Google

NEC NON

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQUE *CONSULTISSIMIS*,

SENATORIBUS

DETHARDO DUSING,

JCTO EXCELLENTISSIMO, REI ARMAMENTARIÆ PRÆFECTO DIGNISSIMO, SOCERO SUO, OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO.

HENRICO GERHARDO SCHUMACHER,

JCTO CELEBRATISSIMO, JUDICI HÆREDITARIO IN BORGFELD, REI MILITARIS PRÆFECTO, ÆRARII PUBLICI QUÆSTORI, ECCLESIARUM AGRI BREMENSIS VISITATORI, ILLUSTRIS LYCEI QUONDAM PROFESSORI LONGE CLARISSIMO, CUM MAXIME SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO.

S. D. P.

CONRADUS IKEN.

Nihil dudum omnibus votis magis expetii, VIRI ILLUSTRES, PERQUAM MAGNIFICI ATQUE AMPLISSIMI, quàm ut

Digitized by Google

ut aliquod publicum, ſummæ quâ VOS proſequor exiſtimationis, gratiſſimíque animi monumentum VOBIS erigerem. Pervigil indefeſſáque cura, quam Reipublicæ ſaluti, quam puriorum Sacrorum, divinâ providentiâ inter nos ſtabilitorum, protectioni atque conſervationi, quam Illuſtris Lycei, Sacroſancti illius urbis noſtræ Palladii, commodis impenditis, meritò efficit, ut quotquot his omnibus benè cupiunt, ſemet eo nomine vobis obſtrictiſſimos agnoſcant. Inprimis autem mihi ſemper ea incredibilis benevolentiæ documenta dediſtis, iis me in hunc diem usque prolixiſſimi favoris ſignis dignati eſtis, ut nihil mihi prius nihil antiquius eſſe debeat, quàm ut ipſo actu teſtatum faciam, memori hæc gratiſſimáque mente à me ſervari.

Ad VOS igitur potiſſimùm eundum cenſui, cùm hoc DISSERTATIONUM THEOLOGICO-PHILOLOGICARUM, in utriusque Inſtrumenti tabulas Volumen, publici juris facturus eſſem; ut veſtris illud MAGNIFICIS AMPLISSIMISQUE NO-

MINIBUS inſcribens, devinctiſſimi vobis animi tabulam publicè ſuſpenderem.

Accedebat & alia ratio, quæ hujus me officii propiùs admonebat. Sunt hi potiſſimùm fructus muneris illius, quod in almâ hac Muſarum ſede, bonáeque mentis officinâ, ante plures annos, veſtro reliquorúmque inclytiſſimorum Procerum, quorum jam tum clariſſima eratis nomina, & etiamnum ſplendidiſſima ſidera celebramini, benevolo judicio non ſolùm ſuſcepi, ſed & cui me, juxta cum illis, plus ſemel, honeſtiſſimis modis ſervandum cenſuiſtis: imò cui, præter honoratiſſimum Socerum, quem vobis jungere inprimis pietas juſſit, omnes, ut Illuſtris Scholæ conſtituendæ Duum Viri, vel quondam ſummâ dexteritate præfuiſtis, vel eadem laude in hunc diem usque adhuc præeſtis.

VOBIS igitur quoque hac occaſione muneris hujus rationem aliquam publicè reddendam duxi. Licèt enim eorum, quæ hîc VOBIS offero, exigua tantùm pars, hactenus in ſtudioſæ juventutis commodum palàm expoſita

poſita ſit; longè tamen maxima inter illas meditationes, quibus eorum qui ſe meæ diſciplinæ tradiderunt, doctrinam augere, aut iisdem ad interiora literarum, præcipuè ſacrarum penetralia, aditum recludere ſtudui, ſubnata eſt.

Accipite igitur ſerenâ fronte, hos ſummæ meæ in Vos obſervantiæ obſides, quos devoto animo vobis conſecro. Sanè uti qualemcunque laborem meum abundè penſatum exiſtimabo, ſi dignis rerum arbitris eum ſe probâſſe intellexero: ita non leve ejus rei augurium mihi capere licebit, ſi, VOBIS, PRINCIPIBUS VIRIS non planè diſplicuiſſe deprehendero.

Quod reliquum eſt, VESTRO me ulteriori favori, quâ par eſt animi ſubmiſſione commendans, Benigniſſimum Numen ſupplicibus fatigare precibus nunquam deſiſtam, ut, VOS, VIRI MAGNIFICI atque AMPLISSIMI, cum ſplendidiſſimis domibus veſtris, omni beatitatis genere abundè coronatos, in Reipublicæ patriæ,

in

Digitized by Google

DEDICATIO

in Eccleſiæ & Illuſtris Scholæ Columen atque Decus, quàm diutiſſimè quámque feliciſſimè ſuperſtites eſſe jubeat. V.

Dabam Bremæ

a. d. X. Decembr.

CIↃ IↃCCXLVIII.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S.

Laudabilis quidem omnis opera eſt, quæ illuſtrando Sacro Codici impenditur, ſive integris in omnes, aut quosdam libros, eorúmve partes commentariis, conſtet, quorum cùm maximè tam uberem copiam habemus, ſive brevioribus adnotationibus abſolvatur, quo nomine, poſt alios, Viri laude noſtrâ majores, J. Dougtæus, A. Schultens, L. Bos, G. Raphelius, J. Alberti, J. Elsnerus, ſibi præcipuè eruditum orbem æternùm devinxerunt. Inprimis autem laborem ſuum utiliter admodum collocare videntur, qui ſelecta argumenta ex profeſſo ſibi excutienda ſumunt, quo ipſo non ſolùm opportunam anſam nanciſcuntur, genuinam vocum & phraſium, quibus Spiritus S. uſus eſt, ſignificationem eruendi aut propiùs ſtabiliendi, ſed & res ipſas, priſcos mores atque conſuetudines, quæ tanguntur, aut ad quas alluditur, geſta priorum temporum, dogmata & veritates, aut obſcuriora vaticinia, diſtinctiùs enucleandi, imò eadem occaſione, ſæpiſſimè pluribus Sacri Codicis locis, lucem adfundere poſſunt. Quàm benevolè idcircò hujus generis *Obſervationes* à *Celeberrimis Viris*, Vitringa, Deylingio, Vriemoeto aliiſque adornatæ, ab orbe literato exceptæ ſint, quámque avidè in hunc diem uſque legantur, vel me tacente, conſtat.

Digitized by Google

Horum igitur exemplo excitatus, & ipſe dudum, quæ mihi ad hujus aut illius argumenti locive illuſtrationem obſervata ſunt, in ordinem redigere allaboravi. Quâ in re aliquot jam retrò annos occupatus fui, quin & eorundem cum publico communicationem plus ſemel promiſi. Verùm uti geminum quod divina mihi providentia impoſuit munus, ſæpe exiguum temporis ad alia negotia mihi reliquum facit, ita & alii labores, quos ultrò in me ſusceperam, quorúmque filum non nimis citò abrumpere volebam, non parum, de eo quod ſupererat, delibârunt. Neque ipſemet quoque nimis feſtinandum duxi, omnia ſat citò proditura ratus, modo ſatis benè ſe haberent.

Quemadmodum autem hac in parte non multum de meâ tenuitate polliceri poſſum, ſed tuum potiùs B. L. judicium exſpectandum habeo, ſic absque omni tamen arrogantiâ teſtari poſſum, me id operam dediſſe, ſedulò, ne ab aliis dicta repetendo, aut, qui multorum hodiè mos eſt, novâ veſte ornando, novo onere literatum orbem, ſub librorum mole dudum ſuſpirantem, premere voluiſſe, jure cenſeri poſſem.

Omnia quæ tibi offero, planè nova, vel novis ſaltem obſervationibus aucta, illuſtrata, aut ſtabilita ſunt. Quòd ſi fortè dein expertus ſum, eorum, quæ mihi primùm nova videbantur, aliquid alteri quoque ante me jam animadverſum eſſe, non neglexi id candidè indicare: & licèt nullo duce uſus, idem eruiſſem, cuique tamen ſuum tribui,

tribui, imò primam inventionis laudem, lubens primo auctori reliqui; ſatis habens, ſi vel hac ratione, idem propiùs ſtabiliendo, aut novam illi lucem foenerando, prodeſſe liceret, cujus rei exempla inprimis Diſſert. XIII. & XXVIII. ſuppeditabit. Interim ſi etiamnum quoque aliquid ſuperſit, quod tamen vix putem, cujus quis antea meminerit, ſincerè fateor me id hactenus ignoraſſe, idémque ut de me B. L. judicare velis, non ſolùm, quâ par eſt humanitate, abs te contendo, ſed & tantò magis confido, quò magis id ipſius rei ratio atque æquitas flagitat. Cui enim licet omnes & ſingulos libros perlegere, aut, illo inprimis tempore, quo aliquid prelo parat, perreptatis omnibus angulis inquirere, num fortè alicui, eorum quæ ipſe obſervavit, quoque in mentem venerit?

Ceterùm quorundam locorum novas planè explicationes, ut inprimis *de perforatione aurium* Pſalm. XL. 7. horùmque verborum conciliatione cum *Verſione Alexandrinâ*, ipſi Paulo Heb. X. com. 5. probatâ, Diſſert. XIV. nec non de Σαλπισμῷ *ſtipem colligentium*, Matth. VI. 2. Diſſert. XXI. tantùm ut conjecturas protuli, quia hactenus ſat certa teſtimonia deſunt, quibus extra omnem dubitationis aleam ponatur, ritus, ad quos alludi cenſeo, verè quoque inter Judæos quondam obtinuiſſe. Non tamen idcircò eas publico invidere, aut ſilentio ulteriùs premere volui, non

* * 2 ſolùm

ſolùm quia jam haud levem probabilitatis gradum attingunt, ſed & eo ipſo aliis, qui ſtudia rabbinica mecum amant, aut propiorem adhuc occaſionem habent, cum Judæis, talium rerum peritis, ſæpius colloquendi, anſam præbere volui, in rem hanc penitiùs inquirendi, quò ex probabilitate tandem ad indubiam exploratámque veritatem progredi liceat. Certè id non fruſtra ſperari, novo ipſemet experimento edoctus ſum. Vix enim typis deſcripta erant, quæ Diſſert. XIV. §. XI. leguntur: *Nil ſupereſſe in explicatione verborum* Pſalm. XL. 7. *ex meâ hypotheſi, quàm ut perforationem hanc aurium, in illis, qui ab utero Deo conſecrati ſunt, apud Judæos quoque in uſu fuiſſe, evincamus; tum quoque, me ex quorundam Judæorum relatione intellexiſſe, id primogenitis in Poloniâ adhuc fieri*, cùm ad me venit Judæus quidam, ſed Chriſtianorum ſacris dudum initiatus, JOHANNES CHRISTLIEB HEILBRUNNER nomine, *Cracoviæ* in *Poloniâ* natus. Hunc igitur cùm de eodem ritu interrogarem, protinus ſine ullâ hæſitatione reſpondit, frequentiſſimi in hunc diem in *Poloniâ* moris eſſe, ut *ſi foemina quædam, plures filios morte amiſerit, novúsque illi naſcatur, quem propitio Numine in vitâ conſervari optet, eum Deo conſecret, & in bujus conſecrationis ſignum, illi vixdum nato, octavo circiter die, aurem perforari curet, perforatáeque auri dein, pro facultate ſuâ, pretioſa monilia indat, quæ ipſa quoque ſacra cenſeantur. Denique collo eiuſdem*

juſdem laminam argenteam, cum inſculptâ, aut ſchedulam ex pergameno, cum inſcriptâ literâ ה *in documentum conſecrationis Deo factæ, appendat. Talem autem infantem, non facilè, niſi fortè ſtupidior ſit, mundanis negotiis, mercaturæ aut arti cuidam addiſcendæ, tradi, ſed ſtudiis cultuique divino, & rebus eò facientibus innutriri.* De cujus teſtimonii ἀξιοπιστία vix eſt ut dubitem, cùm non ſolùm rem ſanctiſſimè adfirmaverit, addens eam in Poloniâ notiſſimam eſſe, neque à quoquam negatum iri, ſed & ipſe dudum ſingularis candoris, ſinceritatíſque inſigne teſtimonium, à digniſſimo talium arbitro J. C. WOLFIO, in *Bibl. Hebr. Vol. III.* pag. 363. tulerit. Uti autem hoc non parum iterum conjecturam meam illuſtrat atque confirmat, ita fortè, ulteriùs in eandem rem inquirendo certiores evademus, conſecrationem hanc, nuncupato etiam ante nativitatem voto aliquando fieri, atque antiquitùs factam eſſe. Quo pacto omnia jam ſalva forent, nec ullus in hypotheſi meâ ſcrupulus remaneret.

Intactum autem hac occaſione relinquere non poſſum, quòd ſupra jam laudatus, *Celeberrimus* mihique amiciſſimus VRIEMOETUS in *Obſervat. Miſcellan.* inſigni doctrinæ copiâ refertis Lib. I. Cap. III. ipſe quoque novam planè, ingenióque minimè deſtitutam ſententiam, cui, niſi in hanc inc idiſſem, haud difficulter ſubſcripſiſſem, de eo-

dem argumento attulerit, quam pro eâ, quâ pollet, modeſtiâ, quoque conjecturæ tantùm nomine inſignivit. De hac ego nihil monere volui, ut tantò liberior optio Lectori permittatur, tantóque rectiùs, nullis præjudiciis occupatus ſtatuere poſſit, quænam ſententia ſcopo Spiritûs S. omnibúsque circumſtantiis maximè conveniat. Neque dubito, quin Viro optimo æquè ac mihi perinde futurum ſit, quænam potiores calculos ferat, cùm cui veritas ſola cordi eſt, eo ſolo gaudeat, quòd hæc per quoscunque etiam id fiat, propiùs adſtruatur, ínque clariori luce ponatur.

Ceterùm uti primùm huic ſcripto *Obſervationum* titulum deſtinaveram, ita, cùm dein multæ in juſtarum *Diſſertationum* molem excreſcerent, tum quoque illarum, quas hîc loci quondam publicæ velitationi expoſui, nonnullas inſerendas judicarem, malui omnes communi DISSERTATIONUM THEOLOGICO-PHILOLOGICARUM nomine inſignire. Nonnullas dico me inſeruiſſe. Licèt enim plerarumque à me habitarum exemplaria ita direpta ſint, ut quarundam vix unicum mihimet ipſi ſuperſit, Viríque Docti amicis ferè objurgationibus ſæpius flagitaverint, ut eas junctim denuò in publicum prodire juberem: ad præſens tamen inſtitutum meum non niſi quatuor, puta, de NIBCHAS IDOLO AVVÆORUM, de כמרים SEU MAGIS IGNICOLIS, de FICU AD IMPRECATIONEM SER-

SERVATORIS EXARESCENTE, & DE CONTEMPLATIONE GLORIÆ DEI IN FACIE JESU CHRISTI, quadrabant. Quæ ipſæ tot inſuper acceſſionibus auctæ ſunt, ut ferè novæ haberi queant. Reliquas autem aliis collectionibus, ſive *Antiquitatibus Judaicis* ſive *Hiſtoriæ perpeſſionum Sanctiſſimi Servatoris* illuſtrandæ, deſtinatis reſervavi. Quarum ultima, ſi Deus vitam viréſque largietur, brevi ut nunc quidem cenſeo, ſequetur. In hac præter jam editas *de tempore celebratæ à Servatore ultimæ coenæ Paſchalis*, *de Jure vitæ & necis tempore mortis Servatoris apud Judæos non amplius ſuperſtite*, *de λιθοστρώτῳ*, *de Harmoniâ perpeſſionum*, & eas quidem omnes ſecundis curis perpolitas atque locupletatas, non paucas planè novas, ad difficillimorum, qui in hiſtoriâ illâ adhuc ſuperſunt, nodorum ſolutionem tibi exhibebo.

Ad externam formam hujus, quod cùm maximè B. L. ſiſto Voluminis, quod attinet, vides curâ honeſtiſſimi Viri, CORNELII HAAKII, *Bibliopolæ Leidenſis*, illud ſatis nitidè, ut libri paſſim in Belgio ſolent, prodire, quod ipſum me quoque permovit, ut illic id inprimis typis exarari ſinerem. At uti in rebus humanis, commodis ſua ſemper incommoda juncta eſſe ſolent, ita quod facilè accidit, cùm ipſi ob locorum diſtantiam correctioni invigilare non poſſumus, hîc quoque uſu venit. Irrepſerunt enim Typothetarum ἀβλεψίᾳ nonnulla

ſphal-

Digitized by Google

ſphalmata, & inter hæc etiam quædam exſtantiora, ex adfinitate ductûs litterarum, aut capſularum, quibus illæ in typographiis immittuntur, nata. Quod ideò moneo, ne quis pro nonnullorum hominum incredibili ſtupiditate, aut protervâ malignitate, operarum culpam in meas rationes tranſcribat. Præcipua horum ſub calcem libri notavi, quæ ut unà cum reliquis, ſi quæ ſuperſint, quæ tamen nec multa, nec magni momenti erunt, emendare non graveris, etiam atque etiam rogo. Ita Vale, BENEVOLE LECTOR, meisque porrò conatibus fave.

Digitized by Google

SYLLABUS.

DISSERTATIONUM HOC TOMO COMPREHENSARUM.

I.

DE NOMINE שדי *SCHADDAI* ad GENES. XVII. 1. pag. 1

II.

DE MUTATIONE NOMINUM ABRAHAMI ET SARÆ, ad GENES. XVII. 4, 5, & 15. p. 10

III.

DE LAPIDE A JACOBO IN LOCUM CULTUS PUBLICI UNITO, ad GENES. XXVIII. 18. ſeqq. p. 27

IV.

DE PORTIONE UNA JOSEPHO PRÆ FRATRIBUS A PATRE DATA, ad GENES. XLVIII. 22. p. 37

V.

DE AZARETH FESTI, ad DEUT. XVI. 8. p. 50

VI.

DE MERCEDE MERETRICIA ET PRETIO CANIS AD DOMUM JEHOVÆ NON ADFERENDO, ad DEUT. XXIII. 19. p. 65

*** VII.

Digitized by Google

ſphalmata, & inter hæc etiam quædam exſtantiora, ex adfinitate ductûs litterarum, aut capſularum, quibus illæ in typographiis immittuntur, nata. Quod ideò moneo, ne quis pro nonnullorum hominum incredibili ſtupiditate, aut protervâ malignitate, operarum culpam in meas rationes tranſcribat. Præcipua horum ſub calcem libri notavi, quæ ut unà cum reliquis, ſi quæ ſuperſint, quæ tamen nec multa, nec magni momenti erunt, emendare non graveris, etiam atque etiam rogo. Ita Vale, BENEVOLE LECTOR, meisque porrò conatibus fave.

Digitized by Google

SYLLABUS.

DISSERTATIONUM HOC TOMO COMPREHENSARUM.

I.

DE NOMINE שדי *SCHADDAI* ad Genes. XVII. 1. pag. 1

II.

DE MUTATIONE NOMINUM ABRAHAMI ET SARÆ, ad Genes. XVII. 4, 5, & 15. p. 10

III.

DE LAPIDE A JACOBO IN LOCUM CULTUS PUBLICI UNITO, ad Genes. XXVIII. 18. ſeqq. p. 27

IV.

DE PORTIONE UNA JOSEPHO PRÆ FRATRIBUS A PATRE DATA, ad Genes. XLVIII. 22. p. 37

V.

DE AZARETH FESTI, ad Deut. XVI. 8. p. 50

VI.

DE MERCEDE MERETRICIA ET PRETIO CANIS AD DOMUM JEHOVÆ NON ADFERENDO, ad Deut. XXIII. 19. p. 65

*** VII.

VII.

DE REGULA QUADAM GRAMMATICA, MULTIS SCRIPTURÆ S. LOCIS LUCEM FOENERANTE, OCCASIONE VERBORUM 1 Sam. VI. 7. p. 96

VIII.

DE ARCA DEI SUPER QUA NOMEN JEHOVÆ ZEBAOTH, INSIDENTIS CHERUBINIS, NUNCUPATUR. ad 2 Sam. VI. 2 p. 102

IX.

DE CRETHI ET PLETHI ad 2 Sam. VIII. 18. XV. 18. XX. 7. 23. cet. p. 111

X.

DE VOTO DAVIDIS AQUAS EX FONTE IN PORTA BETHLEHEMITICA APPETENTIS ad 2 Sam. XXIII. 15. ſeqq. & 1 Chron. XI. 17. ſeqq. p. 133

XI.

DE NIBIHAS IDOLO AUVÆORUM, ad 2 Reg, XVII. 31. publicè quondam Bremæ anno MDCCXXVI. reſpondente Frider. Arnoldo Schultz (nunc verbi divini miniſtro Benthemienſi) ventilatâ. p. 143

XII.

DE כמרים *SEU MAGIS IGNICOLIS*, ad 2 Reg. XXIII. 5. Hos. X. 5. & Zephan. I. 4. hîc quoque anno MDCCXXIX. defentente Cornelio de Cuyper (cùm maximè SS. Th. D. & hîc Bremæ ad æd. D. Mart. V. D. M.) habita. p. 177

XIII.

XIII.

DE דביר *SEU OCCIDENTALIORI TEMPLI PARTE, UBI SANCTUM SANCTORUM ERAT, MANUUMQUE VERSUS HUNC LOCUM ELATIONE, AD ILLUSTRATIONEM* PSALM. XXVIII. 2. *collat.* 1 REG. VI. 16. ſeqq. p. 213

XIV.

DE PERFORATIONE AURIUM MESSIÆ ad PSALM. XL. 7 *quâ præcipuè verus horum verborum ſenſus eruitur, eadémque cum VERSIONE ALEXANDRINA &* HEBR. X. 5. *conciliantur.* p. 221

XV.

DE BAAL-HAMON & BAAL-GAD ad CANT. VIII. 11. coll. Jos. XI. 17. & XII. 7. p. 236

XVI.

DE עיר הרס *& ALTARI JEHOVÆ IN MEDIA ÆGYPTO* ad JES. XIX. 18. p. 258

XVII.

DE PRÆVARICATIONE JACOBI, HANCQUE SECUTO FIDEI CERTAMINE, ad HOS. XII. 4. ſeqq. p. 282

XVIII.

DE SOLE OCCIDENTE IN MERIDIE, ad AMOS. VIII. 9. p. 300

XIX.

DE BAPTISMO SPIRITUS ET IGNIS, ad MATTH. III. 11. coll. LUC. III. 16. p. 317

XX.

DE UNO JOTA AUT APICE UNO LEGIS NON INTERITURO ad MATTH. V. 18. & LUC. XVI. 17. p. 335

XXI.

DE Σαλπισμῷ STIPEM COLLIGENTIUM, ad MATTH. VI. 2. pag. 357

XXII.

DE FICU AD IMPRECATIONEM SERVATORIS EXARESCENTE, ad Matth. XXI. 18. ſeqq. & Marc. XI. 12. ſeqq. pag 378 hîc loci anno . . . . . defendente Gerhardo a Rheden, nunc Verbi Divini, in pago Huchting, territorii Bremenſis, Miniſtro, publice ventilata.

XXIII.

DE LEGE MOSIS, PROPHETIS, ET PSALMIS, ad Luc. XXIV. 44. p. 419

XXIV.

DE GENUINA VOCIS MUNDI SIGNIFICATIONE ad Joh. I. 29. atque alia loca. p. 433

XXV.

ORATIO PAULI ATHENIS in AREOPAGO HABITA Act. XVII. 21 —— 31. breviter illuſtrata. p. 463

XXVI.

DE CONTEMPLATIONE GLORIÆ DEI IN RETECTA FACIE JESU CHRISTI, ET FIDELIUM IN EANDEM IMAGINEM ΜΕΤΑΜΟΡΦΩΣΕΙ ad 2 Cor. III. 18. hîc, anno MDCCXLI reſpondente Joh. Ernesto Fincke cùm maximè Verbi Divini, *Cappellis Tecklenburgenſibus*, Miniſtro, habita. p. 542

XXVII.

DE ΣΑΛΕΥΟΜΕΝΟΙΣ *VETERIS OECONOMIÆ, FACTIS, UT PRÆSTOLENTUR STABILEM OECONOMIAM NOVI FOEDERIS*. ad Hebr. XII. 27. p. 575

XXVIII.

DE LOCUTIONIBUS ALLEGORICIS ET EMBLEMATICIS Sæpe in generaliori Complexu Sumendis, nec ad ſingulas partes, aut verba, ſemper extendendis; occaſione Loci Apoc. III. 20. p. 593

DISSER-

DISSERTATIO I.

DE

NOMINE שדי

AD GEN. XVII. I.

I.

Non vereor, ne me actum agere, exiſtimes, B. L. dum de nomine Dei שדי SCHADDAI commentari incipio, quod tot jam Virorum Doctorum ingenium calamúmque exercuit, ut vix videatur aliquod dubium in eo ſupereſſe poſſe. Longè enim aliter rem ſe habere, quotidiana experientia teſtatur, dum in hunc diem usque non deſunt, qui diverſiſſimas de illo ſententias fovent, aut cui ex illis, de quibus alii digladiantur, ſubſcribant, dubii hærent.

II.

Non teram fruſtra omnibus fusè recenſendis tempus, ſed præcipuis quaſi digito tactis, illi tantum adſtruendæ paululum immorabor, quæ mihi omnium veriſſima videtur, quò, ſi fieri queat, tandem aliquid certi determinetur. Duo autem circa hoc nomen potiſſimùm quæruntur, tum quodnam verum ejus etymon, tum quænam ejusdem genuina ſit ſignificatio. Quorum alterum ritè erutum, atque determinatum, alteri non exiguam lucem adferre valet.

III.

Circa utrumque ſtatim quàm longiſſimè aberrant, licèt ſe RASCHII, ABARBANELIS, SAADIÆ, MAIMONIDIS, ſummi COCCEJI

Digitized by Google

aliorúmque inter *Judæos* æquè ac *Chriſtianos* magnorum nominum auctoritate tueantur, qui vocem ex שׁ pro אשר & די *ſufficiens* compoſitam, atque adeò illâ τὸ ἱκανὸν, & qui αὐθαίρκης eſt, καὶ οὐδενὸς προσδεῖται, inſigniri volunt. Uti enim compoſitio in vocibus, tam paucis præcipuè literis conſtantibus, Linguarum Orientalium & maximè Hebrææ genio, inprimis antiquiſſimis illis temporibus, ubi nativam adhuc ſimplicitatem ſervabat, planè contrariatur, ita non minùs eidem tales denominationes, ſive rerum, ſive perſonarum, quæ non niſi per commentariolum aliquem, *Qui eſt*, reddi, aut explicari poſſunt, penitùs repugnant. Non opus eſt ut rem fuſiùs adſtruam, cùm ſatis certus ſim, contrarium nullo exemplo oſtendi poſſe, & ſi quis vel unicum adferre queat, paratus ſim illi victas præbere manus.

IV.

Unica autem & ſimplex vox ſi ſit, ut de ejus etymo, atque ex hoc de illius ſignificatione certiùs judicare liceat, vera ejus ut & verbi unde deſcendat forma propius determinari deberet. Verùm hîc omnia admodum incerta ſunt, tum verò eadem vox à diverſæ formæ thematibus atque conjugationibus deduci non incommodè poteſt, faciliúſque adeò eſt dicere unde non deſcendat, quàm unde verè originem trahat. Sic rectè quidem aſſeritur ex ipſâ formâ, minus commodè derivari à שַׁד *uber*, *mamma*, cum enim hoc in incremento finali non שַׁדַּיִם cum dageſch forti, ſed שָׁדַיִם formet, regulariter inde quoque vox dageſſata שַׁדַּי deſcendere nequit. At non ſat certò ex hoc principio lis decidi poteſt, utrum à quieſcente tertiâ radicali שָׁדָה quod *fundendi* ſignificationem habet, à quâ Deum שַׁדַּי *à largâ benignitatis in omnes creaturas effuſione*, dictum volunt, an à geminante mediam שָׁדַד quod *robore pollendi* ſeu etiam *vaſtandi* ſenſu uſurpatur, rectiùs deducatur. Licèt enim plerique Philologi illius formæ nomina ſub geminantibus mediam collocent, atque adeò *jod* ultimum pro ſervili habeant, idque non ſine ratione, cùm pleraque hujus formæ nomina propria, in ſacris paſſim occurrentia, inde ſatis clarè deſcendant, ut

ut גַּבַּי *Gabbai* à גבב non à גבה quoniam גבהּ in fine *He mappickatum* habet, quod in derivatis manet: זַבַּי *Sabbai*, à זבב Arab. زَبَّ quod cum tertiâ ה in uſu non eſt; quamobrem etiam à חגג rectiſſimè nomen *Haggai*, à עתת nomen עַתַּי *Attai*, à קלל nomen קַלַּי, à שמם nomen שַׁמַּי deducitur, nihilominus tamen negari nequit, eandem formam ſecundùm analogiam grammaticam à *Pibel* verborum quieſcentium tertiâ etiam derivari poſſe, quemadmodum & vox דַּוָּי Jeſ. I. 5. Jer. VIII. 18. & Thren. I. 22. à formâ *Pibel* דַּוֵּה verbi דוה *languidus fuit*, ut דְּוָי Pſalm XLI. 4. deſcendere videtur, ſive utrobique *kametz* originarium, ſive pro *patach* ob pauſam poſitum ſit, atque ita & דַּוַּי adhuc exactiùs τῷ שַׁדַּי reſponderet. Nec deſunt & alia nomina propria, quæ à verbo geminante mediam deſcendere difficiliùs, ſaltem contra obſtinatum adverſarium demonſtratur, quia eodem ſenſu etiam verbum quieſcens tertiâ in uſu eſt. ut בַּוַּי *Bavvai* זַכַּי *Zaccai* יַדַּי *Jaddai* quoniam בוו & בוה, licèt non apud Hebræos, apud Arabes tamen بوّ & بوي ut apud Hebræos זכך & זכה nec non ידד & ידה invenitur.

Conſultò hìc prætereo ſingularem ſententiam HILLERI, &, qui illum ſequitur, *Clar.* SIMONIS in *Onomaſt. Vet. Teſt.* optimæ frugis libro, p. 550. qui in talibus nominibus, terminationem ַי *ai* habent pro nomine proprio Dei יָה i. e. *ὁ ὢν qui eſt*, ה excluſo. Ut enim verum fatear, huic opinioni ſubſcribere nullo modo poſſum, quia ne quidem de tali nomine Dei יָה hactenus ullo certo indicio conſtat; tum quoque terminatio nominum in ַי *ai* ordinaria eſt, ut ex nominibus maximè ſimplicibus שַׁי חַי דַּי patet, ubi ne umbra quidem iſtiusmodi compoſitionis locum habet; & denique multa ejuſdem terminationis nomina 3 aut plurium litterarum dantur, quibus, ut ex exemplis, à Viris doctis allatis, quivis ultrò colligere poteſt, hæc nominis Dei ſignificatio ægrè & non ſine vi quadam applicatur.

Digitized by Google

V.

Cùm igitur hac viâ res hîc non ſatis feliciter expediri queat, aliâ eadem aggredienda erit, quò ex aliis adminiculis veram vocis ſignificationem prius eruamus, atque ſic quoque de ejusdem etymo certi quid ſtatuere queamus. Scilicet docuit ſummi ingenii, nec minoris judicii atque Doctrinæ Philologus JAC. RHENFERDIUS in inſigni Diſſertatione *de Ratione obſervandi genuin. vocab. Hebraic. ſignific.* §. 4. ad methodum, quam ANDR. SCORUS in latinâ linguâ præſcripſit: *Verborum ſimplicium vim maximè æſtimari, aut rebus, quibus tribuuntur, aut contrariis, quibus opponuntur, aut finitimis, quibus adjunguntur, aut iis, quibus explanantur.* Quod ſi, quantum fieri poterit, huc applicuerimus, nullus dubito, quin & propria nominis שדי *Schaddai* ſignificatio haud difficulter erui atque ſtabiliri queat. Finduntur autem virorum doctorum ſententiæ circa illud in tres præcipuè claſſes, ad quarum unam omnes facilè reduci poſſunt, dum nonnulli eo lætam, gratam, creaturíſque auſpicatam atque ſalutarem Dei ideam excitari, & ut OMNISUFFICIENTEM aut LARGÆ BENIGNITATIS *effuſorem* proponi contendunt, ſive illud ex ש & די ut viſum, compoſitum credant, ſive à שד *uber, mamma*, ſive à Chald. שדא *fudit*, ſive ab Arabico ثدي *irrigavit*, deducant, alii contrà tremendum & ad perniciem hominis tendentem conceptum eodem ingenerari, & vel VASTATOREM, vel FULMINATOREM reddendum volunt, alii denique mediâ viâ incedentes, ejus tantùm POTENTIAM appellatione hac indigitari cenſent, eamque ob cauſam *παντοκράτορα* & OMNIPOTENTEM vertunt.

VI.

Quòd ſi nunc ſecundùm modo memoratas regulas uſum vocis in Sacris examinemus, ultrò pateſcet, priorem ſignificatum *ſufficientiæ*, aut *effuſionis largæ benignitatis*, huc minimè quadrare, quia ſæpiſſimè in iſtiusmodi circumſtantiis adhibetur, talibuſque rebus jungitur, quibus idea *ſufficientiæ*, aut *largæ benignitatis*, planè non convenit, ſed adversâ potiùs fronte repugnat.

Sic

Digitized by Google

Sic Ruth. I. 20, 21. Naemi ait: *Non vocate me Naëmi, ſed Mara*, כי שדי המר לי מאד *nam* Schaddai mihi admodum amare fecit. coll. com. ſeq. & Job. XXVII. 2. Ita Eliphas loquitur de *caſtigatione* ☿. *Schaddai* Job. V. 17. ומוסר שדי אל תמאס & castigationem Schaddai *ne ſpernas*. & Jobus ipſe de *telis* ejus, eorumque *venenato ardore ſpiritum ſuum exhauriente* loquitur VI. 4. כי חצי שדי עמדי אשר חמתם שתה רוחי *nam* tela Schaddai *in me ſtant defixa*, *quorum* venenatus ardor meum ebibit Spiritum. ut rectè non ſolum verba reddit πολυγλωττότατος Schultensius, ſed & poſterioris phraſeos emphaſin oſtendit *Origin. hebr.* Lib. I. p. 190. ſeqq. coll. Job. XXI. 20. מחמת שדי ישתה *de* æstu Schaddai *bibet*. Eadem ratione XXIII. 16. queritur. *Deus molle reddidit cor meum* ושדי הבהילני & Schaddai externavit me. Ita quoque Pſalm. LXVIII. 15. dicitur: בפרש שדי מלכים *Cum* Schaddai dissiparet *Reges*. Inprimis huc faciunt loca dein adhuc propius excutienda Jeſ. XIII. 6. & Joël. I. 15. קרוב יום יהוה וכשד משדי יבא *propinquus eſt dies Jehovæ*, *& ſicut* vastatio a Schaddai veniet. Quod ſi igitur, *amarè alicui facere*, *illum caſtigare*, *telis*, & quidem *venenati & Spiritum exhaurientis ardoris*, *aliquem configere*, *æſtu* (venenato) *potare*, *exſternare* & *diſſipare*, imò *graviſſimas vaſtationes inducere*, conceptui aut ideæ *omniſufficientiæ* & *largæ effuſionis benignitatis* nullo modo conveniant, quin imò talia Deo ſub blandiori ac ſalutari hac ideâ conſiderato tribuere, nihil aliud eſſet, quàm *contradictionem in adjecto* ſeu *oppoſitionem in appoſito* (ut Logici loquuntur) committere, ultrò patet, hunc ſignificatum uſui vocis Schaddai nullâ ratione competere. Non deſunt alia loca, in quibus licèt non tam aperta ſit contradictio, in talibus tamen circumſtantiis idem nomen adhibetur, aut talia ad ulteriorem explicationem ſubjunguntur, quibus eadem ſignificatio quoque minus convenit. Sic quando Jobus Cap. XXVII. 13. non ſolùm *de portione improbi apud Deum*, *& hæreditate*, *quam violenti à Schaddai reportant*, loquitur, ſed & hanc commatt. ſeqq. per varii generis mala explicat, facilè intelligitur, huc iterum lætiorem illam Dei ideam minimè quadrare, quia neque Deus in relatione ad impios & ty-

rannos, juſtamque retributionem, quam illis præſtat, ſub blandiori illâ appellatione cum ratione proponi, neque ſpecialiora illa judicia, quæ ſtatim ſubjunguntur, cum eadem conciliari poſſunt. Ita quoque admodum elumbis foret locutio, Deo reſpectu *ſufficientiæ*, aut *effuſionis largiſſimæ benignitatis*, tribuere *vocem validam*, ſimilem *ſono magnarum aquarum*, aut *numeroſi exercitûs*, quæ tamen eidem ut SCHADDAI conſiderato adſcribitur, Ezech. I. 24. coll. X. 5.

VII.

Valere itaque planè juſſâ priori ſignificatione, ad duas reliquas nosmet convertimus. Ubi tamen etiam illorum ſententiæ ſubſcribere non poſſumus, qui non niſi tremendum voci huic ſignificatum aſſignant. Sive jam illam à שׁדד *vaſtavit*, *deſtruxit*, cum GUSSETIO & aliis deducas, ſive à שׁדה notione *fundendi*, *jaculandi*, cum CARPZOVIO in *Collegio Rabb. Bibl.* ad Ruth. I. 20. coll. eodem in not. ad SCHICKARDI *Jus regium* p. 405. ut adeò *jaculatorem*, ſc. fulminum, *fulminatorem*, denotet, quod S. Vener. DEYLINGIO *Obſerv.* P. I. *Obſ.* XI. placet. Licèt enim prior ſignificatio quibuſdam locis, & maximè Jeſ. XIII. 6. & Joël. I. 15. non malè convenire, quin & paronomaſia vocum שׁד & שׁדי ad quam tamen mox reſpondebimus, huic explicationi ſine dubio præcipuam anſam dediſſe; poſteriori autem verba Job. VI. 4. & Ezech. I. 24. coll. X. 5. favere videantur, neutra tamen ſatisfacit. In utraque enim generalior verbi ſignificatio nimis reſtringitur, cum non ſolùm illa *vaſtandi* non ſit formalis & adæquata, ut benè monuit POCOCKIUS in *Joëlem* p. 74. & KROMAYER. de *uſu Ling. Arab.* p. 104. Sed & altera *fundendi*, licèt apud *Chaldæos* obtineat, non tamen in illâ aut ullâ aliâ linguâ orientali, quantum ſcio, unquam de *jaculatione fulminis* adhibetur. Inprimis verò neutra ſignificatio ad omnia loca, & circumſtantias, in quibus nomen hoc adhibetur, ſatis quadrat. Quis enim non vel ipſo ſtatim ſono offendetur, ſi in noſtro loco Deus Patrem fidelium terribili hac compellatione alloquens introducatur. *Ego ſum Deus* VASTATOR, *aut* FULMINATOR, *ambula coram facie meâ & eſto integer?* Aut quis non fateri cogetur,

tur, non minus appellationi *Vaſtatoris* aut *Fulminatoris* repugnare, quod Deus in hac relatione ut *cauſa* & *fons benedictionis* conſideretur, quàm quòd illi, ut ſupra viſum, ſub ideâ *Omniſufficientis & effuſoris largæ benignitatis* tribuantur *tela*, aut ut *cauſa vaſtationis* &c. conſideretur? Quis igitur non eodem jure pro contradictione in adjecto habebit, ſi verba Gen. XXVIII. 3. reddantur. *Et El* Schaddai (Vastator aut Fulminator) *tibi benedicat* —— *Et det tibi benedictionem Abrahami & ſemini tuo tecum* &c. coll. XXXV. 11. aut XLIII. 14. *El* Schaddai (Vastator aut Fulminator) *det vobis miſericordiam coram viro hoc, ut dimittat vos cum altero veſtro fratre & Benjamine.* aut XLIX. 25. *A Deo Patris tui, ut te adjuvet, & à* Schaddai, (Vastatore aut Fulminatore,) *ut benedicat tibi benedictione cœli deſuper, benedictione abyſſi ſubter cubantis, benedictione uberum & uteri.* &c. Aut quidnam ideæ Vastatoris vel Fulminatoris commune eſt cum eo, *quod Deus ſuis auri argentique loco ſit*, *aut halitu ſuo eos intelligentes vivoſque faciat*? quod tamen ex hac ſententiâ in locis Job. XXII. 25. XXXII. 8. & XXXIII. 4. ſtatui deberet. Quòd ſi tam incautam conjunctionem rerum planè diverſarum, imò contrariarum, nemo in prudenti oratore aut ſcriptore ferret, quis eandem non ſapientiâ Spiritùs Sancti penitus indignam judicare cogetur?

VIII.

Hinc igitur rectiſſimè in generaliori mediáque ſignificatione *potentiæ* ſubſiſtitur. Hujus enim

1. Clariſſima veſtigia deprehendimus Job. XXXVII. 23. שדי לא מצאנהו שגיא כוח ומשפט ורב צדקה לא יענה Schaddai *comprehendere non poſſumus, magnus eſt robore, ſed judicio & magnitudine juſtitiæ* (tamen) *non opprimit.*

Vides hîc non ſolùm Deo ſub appellatione Schaddai *magnitudinem roboris* tribui, ſed & non obſcurè vocem hanc ita explicari, quòd, licèt magnus ſit robore, imò tam magnus, ut creatura etiam ejus magnitudinem plenè aſſequi non valeat, tamen judicio & magnitudine juſtitiæ neminem ſine causâ affligat, aut innocentem opprimat.

2.

Digitized by Google

2. Generalior hæc ſignificatio ad omnia loca feliciſſimè accommodatur, quoniam infinita Dei potentia tam in damnum, quàm commodum creaturarum vergere poteſt, & tam illâ utitur ad *amarè faciendum*, *caſtigandum*, *telis venenatis feriendum*, *exſternandum*, *diſſipandum*, *vaſtationes inducendas*, quàm ad *benedicendum*, *creaturas vivificandas* aut *intelligentes reddendas*. Quin imò prouti illâ vel in bonum vel in malum utitur, ita nomen hoc etiam, in his vel illis locis, ad unum alterumve majorem relationem habet, & à circumſtantiis propius determinatur. Sic ſine dubio in locis ex Jeſaiæ XIII. 6. & Joël. I. 15. adductis dubitari nequit, licèt ipſum nomen non propriè *vaſtatorem* denotet, tamen ad potentiam illam maximè reſpici, in quantum illâ *tremendas vaſtationes inducere* poteſt, quod & paronomaſia כשד משדי יבא haud obſcurè innuit: quemadmodum contrà licèt propriè *omniſufficientem*, aut largæ *benignitatis effuſorem* non ſignificet, tamen quatenus ſub hoc nomine proponitur ut *auctor benedictionis*, & qui ſuis *maximi theſauri loco eſt*, eadem potentia conſideratur, ut quâ ſuis omnis generis benedictiones ſuggerere, omneſque eorum theſauros abundè explere poteſt.

3. Atque hoc jam radicis maximè opportunæ propria & nativa ſignificatio confirmat, quemadmodum idem nos ad eandem quaſi manu ducit. Scilicet, uti vidimus, vel à *defectivâ mediâ* שדד vel à *quieſcente tertiâ radicali* שדה deduci poſſe, ita cùm poſterior in nullâ linguâ orientali, eo quem nomini huic vindicavimus ſenſu uſurpatur, contrà illam in priori clariſſimè detegimus. Et licèt illa apud Hebræos maximè *vaſtandi* ſignificatu occurrat, non tamen hæc, ut jam com. præced. monuimus, formalis & adæquata vocis eſt ſignificatio, ſed potius *potentia & robore valuit*, quo ſenſu etiamnum شدّ Arabibus uſurpatur, ut Viri ibidem laudati monuerunt, & in II. *roboravit*, conf. BOCHART. *Hieroz.* P. II. Lib. IV. Cap. IV. CLERIC. ad *Gen.* XVII. 1. MAJ. in ſupplement. ad *Coccej. Lex.* Neque obſtat, quòd etiam pro *cucurrit*, *incurſavit*, *impetum faciens vehementem*, adhibetur, ut monuit *Celeb.* SCHULTENS in *Indice in Jobum*, quia hæc non niſi ſpecialior ſignificationis generalioris, *potentiæ* & *roboris*, determinatio eſt,

eſt, æquè ac altera *vaſtavit*, quemadmodum & plura generalioris illius ſignificationis veſtigia occurrunt nam & شديد *validum*, & شدة *robur*, & اشد *vires*, & ſigillatim *ætatis robur*, denotat. Atque hinc jam in tranſitu quoque rectè concludimus nomen שדי non à quieſcente tertiâ, ſed defectivâ mediâ שדד deſcendere, atque adeò formæ *Gabbai*, *Sabbai*, *Attai* &c. eſſe, conf. ſupr. com. IV.

I X.

Fruſtra autem nonnulli objiciunt, non eonvenire hanc derivationem legibus Etymologicis, quia ש Hebræorum apud Arabes non ſervari, ſed conſtantiſſime in س mutari ſoleat. Hanc enim exceptionem contrariis exemplis refelli, rectè jam monuit inſignis Philologus Joh. Christian. Clodius in eruditiſſimo *Lexico Hebräic. Selecto*, quo non ita pridem literatum orbem ditavit, in h. v. Exempla non opus eſt ut cumulemus, cùm ea non ſolùm ex Lexicis abundè peti queant, ſed & Summus Schultensius hîc nobis dudum otium fecerit, dum fusè pluriúmqne exemplorum inductione docuit in *Clavi Dialect*. p. 300. ſeqq. ש Hebræorum tam primæ, quàm ſecundæ aut tertiæ radicalis apud Arabes ſæpiſſimè manere.

X.

Colophonis loco addo, quòd licet multi Judæorum minùs rectè de hac voce ſenſerint, & forſan ipſis Chriſtianis errandi duces exſtiterint, non deſint tamen inter illos, qui ſanius judicium tulerint. Egregia inprimis hanc in rem ſunt verba Aben esræ, qui in ſtudio grammatico, & veræ ſignificationis vocum determinatione alios non exiguo intervallo poſt ſe relinquit. Hic enim diſertè ad Geneſeos verba adducta אל שדי ita commentatur: שם התואר וטעמו תקיף וכן כקול שדי והיה שדי בצריך כי טעמו כטעם ושית על עפר בצר ושדי על משקל לבי דוי ורבים פירשוה מגזר שודד שהוא מנצח ומתגבר (Schaddai)

dai) *eſt nomen adjectivum ſignificatque* VALIDUM, *atque ita uſurpatur* (Ezech. I. 24.) *ut vox Schaddai*, & (Job. XXII. 25.) *erit Schaddai aurum tuum, bujus enim vocis* (בצר nempe) *ſignificatio eadem eſt, quæ* (com. præcedente) & *pones ſuper pulvere aurum. Eſt autem vox* SCHADDAI, *formæ* (*Davvai* Thren. I. 25.) *Cor meum Davvai* (*languidum eſt.*) *Multi autem eam interpretantur ex ſignificatione* ꝫ שורד *quod denotat prævalens* (aut vincens) & *potenter ſe gerens* (aut ſe corroborans.) Idem ad Cap. XLIII. 14. ומעם ואל שדי שיש לו כח לעשות כאלה & *ſenſus verborum* EL SCHADDAI *eſt, qui* POLLET ROBORE AD HÆC PRÆSTANDA.

DISSERTATIO II.

DE

MUTATIONE NOMINUM ABRAHAMI ET SARÆ.

AD GEN. XVII. 4, 5. & 15.

I.

Licèt experientiâ teſte, non ſemper

Conveniant rebus nomina quæque ſuis;

Quoties tamen illa prudenti conſilio ſunt impoſita, id quod in rebus aut perſonis locum habet, innuere debent, quò illis cum ratione tribui queant, & ad eorundem ideam in aliis excitandam apta ſint. Eo ſanè inſtituto Sapientiſſimum Numen agere cenſendum eſt, quoties ſive immediatè, ſive mediatè per

per alios nomina hominibus primùm imponit, aut priora mutat, corúmve loco nova largitur. Ipſæ illæ appellationes certiſſimo documento ſunt, rem ſignificatam ſingulari providentiâ in illis vel actu locum habere, vel aliquando habiturum eſſe. Luculentum hujus rei Specimen nobis tam in ipſo credentium Patre Abrahamo, quàm fidiſſimâ tori ejus ſociâ exhibetur, de quorum priori Deus dicebat Gen. XVII. 4, 5. אני הנה את בריתי אתך והיית לאב המון גוים: ולא יקרא עוד את שמך אברם והיה שמך אברהם כי אב המון גוים נתתיך: *Ad me autem quod attinet; Ecce fœdus meum tecum eſt, & eris in Patrem gentium. Et non vocabitur amplius nomen tuum* Abram, *ſed* Abraham *erit nomen tuum*, nam Patrem gentium dedi te. De poſteriori autem com. 15. legitur: ויאמר אלהים אל אברהם שרי אשתך לא תקרא את שמה שרי כי שרה שמה: *& dixit Deus ad Abrahamum*, Sarai *uxor tua, non vocabis nomen ejus* Sarai, *ſed* Sarah *nomen ejus* (erit.)

II.

Licèt autem omnes Interpretes, Deo ipſo præeunte, fateantur, magnum & ſingulare quid hac nominum mutatione portendi, in ejus tamen explicatione neque conſentiunt, neque ſcopum hactenus feriiſſe videntur. Omnium longiſſimè ab eo abſunt, tam Judæorum, quàm Chriſtianorum nonnulli, qui myſteria hîc cabbaliſtica crepant, eáque tam inſulſa atque inepta, ut magis ad fidei myſteria riſui exponenda, quàm ſtabilienda faciant, illáque adeò vel referre pigeat. Cui tamen volupe eſt illa cognoſcere, conſulere præter Commentatores in h. l. poterit, Heideggerum *Hiſt. Patriarch. Tom. poſt. Exercit.* III. & Pfeiffer. *Diffic. Script. locc. Cent.* I. *Loc.* XLIII.

III.

Non multum his præſtat ſententia Philonis, cui, uti plerumque, ita & hîc allegoriæ placent, unde quemadmodum prius Abrahami nomen Ἀβρὰμ exponitur μετέωρος Πατὴρ, ita alterum Ἀβραὰμ eidem eſt πατὴρ ἐκλεκτὸς ἠχοῦς, *Pater electus So-*

ni. vid. *Lib. de Gigant.* p. 292. *Lib. de Abrahamo* p. 361. & *de nomin. mutat.* p. 1054. Verùm uti nominis Αβϱὰμ interpretatio, ſi in literâ maneatur, non penitùs, ut mox videbimus, rejicienda eſt, ita uberior, quam ſubjungit, explicatio, æquè, ac altera nominis Αβϱαὰμ, adeò nihil ſani, aut naturæ vocis conveniens continet, imò tam coacta & prorſus nulla eſt, ut vel ipsâ recenſione Lectori moleſtus eſſe verear. Speciminis loco ſufficere poteſt, quod p. 361. coll. p. 109. exhibet fuſiúsque p. 1054. proſequitur, ita autem ex verſ. Gelenii ſe habet: *Abram enim interpretatur Pater ſublimis: Abraham verò Pater electus vocis. Prius indicat virum aſtrologicum & meteorologicum, Chaldæorum placitis tantâ curâ deditum, quantam ſolent parentes impendere ſuis filiis, poſterius verò, ſapientem. nam per vocem ſermo qui profertur, ſubindicatur: per Patrem, mens cujus principatus eſt, nam ſermo qui concipitur, naturaliter pater eſt, ut antiquior, ſerens quæ dicenda videntur. Ceterum quod addidit electus, bonitatem declarat. Quicquid enim malum, confuſum & indigeſtum eſt: bonum eligitur, ut præcipuum inter omnia.*

I V.

Ut igitur ad ſaniora progrediamus, communiſſima vulgóque inter Doctos recepta ſententia eſt, eum primùm à TERACHO Patre, אברם *Abram* appellatum eſſe, voce ex duabus אב & רם conflatâ, ac ſi diceres *Patrem magnum.* Nec mirum, uti enim vox אב in nominum propriorum compoſitione apud Orientis populos non infrequens eſt, ut ex nominibus ABSALOM, ABNER, ABIMELECH, ABINABAB, ABINOAM & infinitis aliis patet, ita altera, רם *Ram*, aliquando ſola, ut nomen proprium uſurpatur, ut ex RAM Patre *Amminadabi* Ruth. IV. 19. & 1. Chron. II. 9, 10. RAM filio *Jerachmeelis* 1 Chron. II. 25, 27. & RAM, qui in hunc diem à multis Indiæ populis & præcipuè BRACHMANIS ut Deus colitur, & quondam magnus quidam Rex in illis regionibus fuiſſe dicitur, v. THEVENOTH *Itiner. Indiæ Oriental.* Lib. I. c. XXXVIII. aut magnus Sacrorum antiſtes, qui univerſam religionem inſtauraverit, v. GOLIUS ad ALFERGAN. p. 42, manifeſtum eſt; aliquando verò aliis vocabulis, inprimis in fine

fine vocis jungitur, ut ex ABIRAM, ADONIRAM aliíſque conſtat. De aliis ABRAHAMI nominibus propriis ex ſacris non conſtat. *Celeb.* HYDIUS quidem in libro *de Relig. Vett. Perſar.* cap. II. p. 79. exiſtimat, *ipſum in pueritiis procul dubio habuiſſe aliud nomen*, אברם ABRAM *enim converſionis nomen poſtliminiò inditum, quo ſignificatur celſus ſeu ſublimis pater, ſicque honoris cauſâ vocatum eſſe.* Verùm neſcio an hoc aſſertum ſatis firmo talo nitatur, certè nullo illud hactenus argumento, nedum teſtimonio, evictum eſt, ipſéque *Celeb.* HYDIUS fatetur, ſe quidnam illud nomen ethnicum chaldäicum fuerit, nullibi hactenus didiciſſe. Interim tamen non æquè facilè rejiciendum, quod idem *Vir Clariſſ.* aſſerit, illum à Vett. Perſis زرمان ZERMAN & aliquando زرهان ZERHÛN, i. e. *ſenem decrepitum*, appellari. Neque dubito, quin ordinarium nomen زروان ZERVÂN, ſeu ut aliquando ſcribitur, زرفان ZERFÂN aut زربان ZERBÂN idem denotet, licèt *eruditiſſ.* HYDIUS illa *divitem*, *auri cuſtodem*, aut *pecuniæ poſſeſſorem* reddat زرفان ZERFAN enim in hunc diem usque eodem ſignificatu ut زرمان ZERMAN de *ſene decrepito* ſupereſt, reliqua autem duo eandem explicationem non minùs commodè admittunt, cùm زر ZAR non ſolùm *aurum*, *pecuniam*, ſed etiam *hominem ſenem*, & بان BAN aut وان VAN non tantùm *cuſtodem*, ſed & *Dominum* in eadem linguâ denotent, atque adeò hæc omnia non minori jure per *ſenem dominum*, quàm *auri cuſtodem* reddi queant. Imò cùm his affinia, & ſono quoque ad illa accedentia, vel ipſo HYDIO fatente, hanc *ſenis decrepiti* ſignificationem habeant, multò convenientiùs ſanè eſt, ut & hæc, quæ cum illis permutantur, eadem ſignificatione accipiantur. Quicquid autem hac de re ſit, certè ſi verum eſt, quòd ABRAHAMUS ſub veterum χρονῳ ſeu SATURNO in hiſtoriâ mythicâ gentium aliquando lateat, quemadmodùm ex eo inprimis quod SANCHONIATON apud EUSEBIUM *Præpar. Evangel.* Lib. I. p. 40. narrat, ſcil. SATURNUM ſeu χρόνον filium JEÜD ſeu *unigenitum* יחיד dictum ex nymphâ ANOBRET ſuſcepiſſe, eúmque in holocauſtum obtuliſſe, pudenda ſibi circumcidiſſe, & commilitones ad idem faciendum adegiſſe, aliíſque pluribus argumentis poſt SCALIGE-

rum, Bochartum & Huetium confirmat Schuckford in *Harm. Sacror. & Profan. Scriptor.* Vol. II. pag. 18. verſ. germ., vix aliunde opportunior hujus appellationis ratio peti poterit, quàm ex hoc nomine apud Orientis populos uſitato, cùm & character *Senis longævi* atque *decrepiti* Saturno proprius ſit; & ipſa nomiminis χρόνυ appellatio nos eodem ducat.

V.

Verùm è diverticulo in viam! Nobis ſaltem hîc ſufficit eo tempore, de quo cum maximè agimus, eum Abram appellatum, hócque nomen ab ipſo Deo additâ literâ ה in אברהם Abraham mutatum eſſe, adjecta interpretatione כי אב המון גוים נתתיך *nam Patrem multitudinis gentium dedi* (conſtitui) *te.* Interpretatio hæc multos induxit, ut crederent ultimam ſyllabam הם ipſam decurtatam vocem המון eſſe, & vel cum Aben Esra literas præcedentes אבר vocem אביר conſtituere credentes, integrum nomen explicarent אביר המון גוים, vel ר quoque integram vocem innuere cenſentes, cum Mercero, Heideggero *Hiſt. Patriarch.* l. c. §. 1. & Hydio *de Relig. Vett. Perſar.* p. 79. אב רב המון *Patrem magnæ multitudinis*, aut cum Corn. à Lapide אב רם חמון *Patrem excelſæ multitudinis*, interpretarentur. Verùm & hæc coactiora ſunt. Quod enim ad ſententiam Aben Esræ attinet, illa explicationi à Deo ipſo ſubjunctæ nimis clarè refragatur, in quâ disertè nomen אב ut ſignificativum, & quidem ſenſu ordinario *Patris* retinetur, quod Paulus inſuper, non nudâ tantùm allegatione, ſed ulteriori ratiocinio, ex relatione, quam Abrahamus ut *Pater* ad credentes ex ipſis gentibus habet, petito, confirmat, Rom. IV. 17. Quod autem ad explicationes à reliquis datas ſpectat, in illis quoque notamus 1. quòd contra genium linguæ hebrææ, & uſum, antiquiorum præcipuè temporum, voces hîc decurtatæ, & duabus, imò unicâ literâ indicatæ eſſe ſtatuantur, cujus rei nullum exemplum in hebrææ linguâ ex univerſâ antiquitate oſtendi poterit. 2. Quòd naturalis quoque vocum ordo contra linguæ genium turbatus ſit, non enim illo ſenſu hebræi אב רב חמון vel רם המון ſed המון רב aut חמון רם dicunt. 3. Neque ratio dari poteſt, qua-

quare DEUS, ſi id voluiſſet, non formaſſet potiùs nomen אברהמון, ut הדרדכון, quàm אברהם, vel ſaltem 4. Nomen explicans non dixiſſet אב רב vel אב רם המון גוים quo pacto mens ejus clariùs patere potuiſſet. Fruſtra autem obtenditur, DEUM in explicatione diſertè vocem המון commemorare; neque enim tales explicationes ſemper innuunt, ipſa nomina iſtiusmodi vocibus conſtare, ſed eorum potiùs ſignificationem atque ſenſum ſæpiſſimè indicant. Sic LAMECH filium נח NOACH appellans, rationem addit, זה ינחמנו ממעשינו ומעצבון ידינו וגו׳ *hic conſolabitur nos à laboribus noſtris & à moleſtiâ manuum noſtrarum* &c. Gen. V. 29. licèt indubium ſit, nomen נח non à verbo נחם ſed à quieſcente mediâ radicali נוח quod tamen antiquitùs eandem ſine dubio conſolandi ſignificationem habuit, deſcendere. Atque hinc & in explicatione nominum propriorum, nonnunquam ad propriorem intellectum quædam adduntur, quæ in ipſum nomen minimè influunt. Sic non ſolùm, in verbis LAMECHI modo allatis, additur, *à laboribus noſtris & à moleſtiâ* &c. Sed & LEA primogenitum ſuum vocans ראובן *Reüben*, ſubjungit כי ראה יהוה בעניי *nam intuitus eſt Deus* MISERIAM MEAM, licèt nulla vocis עני in hoc nomine vola aut veſtigium exſtet. Atque idem ex allatâ nominis Abrahami explicatione manifeſtum eſt, quando dicitur אב המון גוים *pater multitudinis gentium*, vocis enim גוים ſaltem indicium nullum in nomine Abrahami eſſe, in confeſſo eſt, & ab omnibus agnoſcitur. Talia igitur, non etymi, ſed ſenſûs indicandi cauſâ addita eſſe, cenſeri debent. Atque eandem hîc vocis המון rationem eſſe ſequentia in clariori luce ponent.

VI.

Scilicet obſervavit dudum *Celeb.* HOTTINGERUS in *Smegmate Orientali* p. 788. vocem compoſitam eſſe ex אב *Pater*, & voce רהם quæ apud Hebræos quidem, & inprimis in ſacro codice, ut multa alia ἅπαξ λεγόμενα aliàs non invenitur, ſed apud Arabes eò frequentiùs uſurpatur, ubi رهام RAHÂM, aut additâ nunnatione RAHÁMON, denotat *multum* ſeu *copioſum numerum, numeroſam multitudinem*, à رهم RAHAMA, *numeroſus fuit.*

Cùm

Cùm autem nihil ad ſententiæ hujus confirmationem attulerit, quàm ipſa hæc vocabula, ut in GIGGEJI, GOLII & CASTELLI lexicis inveniuntur, non ingratum fortè lectori erit, rem ex ipſis Scriptoribus arabicis propiùs cognoſcere. Ita autem PHIRAUZABADIUS in *Camuſo* ſcribit:

الرهمة بالكسر المطر الضعيف الدايم والجمع رِهَم

ورِهَام وارهمت السماء اتت به والروضة مرهومة والرُّهَام

ما لا اصيد من الطير والعدد الكثير والرهام المهزولة

من الغنم وشاة رهوم i. e. RIHMATON *cum keſra* (eſt) *pluvia tenuis perdurans*, & *pluralis numerus*, RIHAM & RIHÂM & ARHAMAT (pluit) *cœlum inde deſcendit*: & *rigatus ager*, MARHUMATON: & RUHAM, *volucres quæ non venantur*, (aves non venaticæ) & NUMERUS MULTUS, & RAHÂM, *macie extenuata ex ovibus*, & *ovis* RAHUM &c. Quid igitur ſimplicius, magíſque conveniens eſt, quàm Abrahamum appellari אב רהם quaſi PATREM COPIOSI NUMERI, ſeu NUMEROSÆ MULTITUDINIS dicas?

VII.

Non ignoro *eruditiſſimos* ANGLOS, qui ante aliquot tempus *hiſtoriam mundi univerſalem* tanto Doctrinæ apparatu ediderunt, ut meritò univerſus literatus orbis ſemet illis æternùm obſtrictum agnoſcere debeat, P. I. cap. II. §. 345. in not. diverſum ſentire, dum aſſerunt, ſe poſſe quidem derivationem magis probabilem nominis ABRAHAMI ex linguâ arabicâ ſuppeditare, ubi ABU ROHAM *patrem multitudinis* denotet, niſi cogitarent, hanc contingentem ſimilitudinem certiſſiméque falſam eſſe. Verùm uti inſignem horum Virorum eruditionem cum pari judicii acumine in plerisque maximo opere veneror, ita hac in re tamen ipſorum ſententiæ ſubſcribere minimè poſſum. Quid enim hîc quæſo difficultatis, aut quænam contingens ſimilitudo, an quod hebræum אב idem cum Arabum ابو ſit? Hæc ſanè eadem eſſe nomi-

nomina, ſecundùm utriusque tantùm linguæ dialectum, ut latinorum *Pater* & Italorum *padre* pronunciata, nemo & ne ipſi quidem hi doctiſſimi Viri credo negabunt. An quod vocis רהם ſignificatio, cùm nullum ejus in linguâ Hebræâ exemplum exſtet, ex Arabicâ repetatur? At quot dantur alia ἅπαξ λεγόμενα, quibus genuinus ſignificatus hoc ſolo adminiculo quàm feliciſſimè reſtitutus eſt indiésque reſtituitur. An denique pro contingenti ſimilitudine habendum eſt, quòd vox رهم apud Arabes hanc ſignificationem, ad vim & etymon nominis ABRAHAMI tam egregiè quadrantem, habeat? Verùm ſi vox רהם eodem hoc ſenſu *copioſi numeri*, aut *numeroſæ multitudinis*, in ſacris, quo رهم apud Arabes, etiamnum inveniretur, num quæſo quisquam hanc contingentem convenientiam judicâſſet, vel annon potiùs omnes ultrò inde verum nominis ABRAHAMI etymon ſignificatúmque repetiiſſent? Cur igitur, cùm ἀδύνατον ſit, ut exiguus Veteris Inſtrumenti codex omnes voces hebræas complectatur, nec præter eum alius liber purè hebræus in toto orbe exſtet, nec lingua Arabica ab Hebræâ niſi ut diverſa ejusdem linguæ dialectus differat, tum quoque in innumeris aliis hodiernus linguæ hebrææ ob librorum penuriam defectus, omnibus nunc linguarum peritis conſentientibus, quàm feliciſſimè ſuppleatur, cur quæſo id in hac voce negabitur, & manifeſtiſſima convenientia, imò identitas, pro contingenti ſimilitudine, ſuâque ſe ſimplicitate ultrò commendans etymon, pro falſo reputabitur?

VIII.

Pedem nunc promovemus ad priſtinum æquè ac ipſius Dei juſſu mutatum Conjugis ABRAHAMI nomen. Hæc antea appellabatur שָׂרַי dein autem Deo ita jubente שָׂרָה vocanda erat. In utriusque iterum nominis ſignificatione non minus, quàm mutationis cauſâ aſſignandâ mirè Interpretes variant. PHILO *de nominum mutat.* p. 1056. ſupponit, totam mutationem in unius literæ (ר) ſeu (R) adjectione conſtitiſſe: Τὰ δὲ περὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Σάρας νῦν ἐροῦμεν· καὶ γὰρ αὐτὴ μετονομάζεται εἰς Σάῤῥαν, κατὰ τὴν τοῦ ἑνὸς στοιχείου πρόσθεσιν τοῦ ῥῶ. *Quæ verò ad uxorem ejus*

Saram *ſpectant, nunc dicemus: bujus enim etiam nomen mutatum in* Sarram *unius literæ*, ſcil. ϱ (r) *adjectione.* Quæ verba, quoniam in utroque hebræo nomine unicum tantùm ר (r) exſtat, hunc habere ſenſum exiſtimo, quòd nomen שרי Sarai à tali themate deſcendat, ejúsve formæ ſit, ut ſecundùm regulas grammaticas non niſi uno ר (r) ſcribi debeat, nomen autem Sarah ejus ſit indolis, ut ſive vi originis, ſive formæ ſuæ, ר deberet per dageſch forte geminari, & שָׂרָה ſcribi, cùm autem ר æquè ac gutturales dageſch forte non recipiat, illud cenſeri debeat, per productionem vocalis, ſeu *kametz* loco *patach* ſcripti, compenſatum eſſe; in illis autem linguis, quarum indoli geminatio literæ (ϱ) non repugnet, ut ex. gr. Græcæ, cum gemino ϱ Σάῤῥα ſcribi oportere. Atque hoc ſenſu fortè ſententia hæc non temerè rejicienda erit. Certè præter Philonem, cujus non adeò magna in talibus videri poſſet auctoritas, Interpretes Alexandrini, Viri linguæ hebrææ callentiſſimi, eandem foverunt ſententiam, unde Moſis verba reddunt, ΣΑ'ΡΑ ἡ γυνή σου οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς ΣΑ'ΡΑ, ΣΑ'Ῥ'ῬΑ ἔσαι τὸ ὄνομα αὐτῆς. Sara *uxor tua, non vocabitur nomen ejus* Sara, (ſed) Sarra *erit nomen ejus.* Unde & cum ante hanc nominis mutationem illud ſemper per unum ϱ Σάῤῥα ſcriberent, poſt eandem conſtanter per geminum ϱ exhibent Σάῤῥα. Quin & ipſi Apoſtoli eidem haud obſcurè ſubſcribunt ſententiæ, quater enim ejus mentionem injicientes Rom. IV. 19. IX. 9. Heb. XI. 11. & 1 Pet. III. 6. & quidem in talibus circumſtantiis, quæ illam nominis mutationem ſunt ſubſecutæ, ſemper eandem geminatâ literâ Σάῤῥαν appellant. Objiceret forſan aliquis, Apostolos hîc tantùm Græcos Interpretes ſecutos eſſe, neque adeò attendiſſe, utrum rem acu tetigerint nécne. Verùm uti id affirmanti probatio incumberet, ita illâ deficiente, meritò colligimus, eos tacitè aſſenſu ſuo hanc ſcribendi rationem comprobaſſe, inprimis cùm aliàs ab eorundem verſione, ubi illa ſe non ſat rectè habet, diſcedere non dubitaverint. Rationem autem mutationis cum utriusque nominis verâ ſignificatione mox eruemus, poſtquam aliorum hac de re ſententias excuſſerimus.

IX.

Digitized by Google

I X.

Conſultò hîc prætereo non ſolùm ALABASTRI & aliorum myſtica deliria, ſed & illorum ſomnia, qui teſte HIERONYMO in *Quæſt. in Geneſ.* additâ literâ ϱ, centenarii apud Græcos ſigno, innui volunt annum ABRAHAMI centeſimum, quo ex Sara filium ſuſcepturus eſſet, quorum ſtupiditas vel inde ſatis eluceſcit, quod Deus cum ABRAHAMO non *græcè*, ſed *hebraicè* locutus ſit, nec ר Hebræorum ut ϱ Græcorum in numeris *centum*, ſed *ducenta* denotet. Nec magis me morantur ABARBANELIS nugæ, exiſtimantis שרי SARAI eſſe nomen terminationis maſculinæ, שרה SARAH autem fœmininæ, ſicque permutatione hac indicari, *illam, quæ antea quaſi non fœmina fuerat, in poſterum, edendo prolem maſculam, ſe actu fœminam eſſe demonſtraturam.* Quis enim unquam audivit, fœminam ſterilem idcircò minùs fœminini generis eſſe, quòd non pariat, quàm proliferam, aut priorem eandem ob cauſam pro mare haberi, ejúſque nomine inſigniri? Neque ſatis aſſequor, quid hîc intelligat ABARBANEL ſub terminatione maſculinâ? Si enim id velit, quòd *terminatio* in ַי *ai*, tantùm competat perſonis aut rebus maſculini generis, obſtabit exemplum filiæ *Seſanis*, quæ אחלי ACHLAI appellabatur, quæque inſuper non obſtante hac appellatione plures liberos tulit 1 Chron. II. 31, 35. Si verò exiſtimet, nomen SARAI maſculinum eſſe, ob Eſdr. X. 40. non animadvertit, eadem nonnunquam nomina maribus æquè ac fœminis communia eſſe, ut *Abichail.* Num. III. 35. 1 Chron. V. 14. coll. 1 Chron. II. 29. & 2 Chron. XI. 18.

X.

Ceterùm duæ ſe inprimis ſententiæ aliquà probabilitatis ſpecie, aut ſaltem Patronorum auctoritate, commendant. Prior י in שָׂרַי pro affixo habet, vertítque adeò nomen hoc PRINCEPS MEA, שָׂרָה autem nudè poſitum vult VIRTUTEM denotare, quæ AUGUSTINI eſt ſententia *de C. D.* cap. XXVIII. aut abſolutè PRINCIPEM. Qui ita rationes ſubducunt, exiſtimant, quòd antea ab ABRAHAMO appellata ſit PRINCEPS MEA, quòd eſſet

unius modo familiæ ſeu domus mater, dein autem dicta Virtus, δύναμις, ut vult Auguſtinus, quia πίστει δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε. Hebr. XI. 11. vel ἀρχὴ, Principatus, aut ἄρχουσα abſolutè Princeps, aut Princeps Foemina, *quod omnium gentium quaſi princeps futura eſſet.* Placuit hoc jam Philoni loco adducto ſcribenti: ἑρμηνεύεται Σάρα μὲν ἀρχή μου. Σάῤῥα δὲ, ἄρχουσα. τὸ μὲν οὖν πρότερον εἰδικῆς σύμβολον ἀρετῆς ἐστι. τὸ δὲ ὕστερον γενικῆς· ὅσῳ δε γένος εἴδους διαφέρει κατὰ τὸ ἔλαττον· ὅσῳ τὸ δεύτερον ὄνομα τοῦ προτέρου. i. e. Gelenio iterum interprete: *Exponitur quidem* Sara, Principatus meus, Sarra *autem*, Princeps *ſeu* Domina. *Primum ergo* Specialis virtutis *indicium eſt: ſecundum vero* Generalis: *quantum porrò genus à Specie præſtantiâ differt: tantum poſterius nomen priore præſtat.* Unde in tranſitu patet, licèt Philo prius nomen Σάρα ſcribat, non tamen id niſi ob terminationem græcæ linguæ convenientem facere, ceteroquin autem ipſum in hebræo quoque *Sarai* legiſſe. Quas porrò addit myſticas nugas, miſſas facimus. Idem ex Judæis cenſuit Raschi, ex Chriſtianis Hieronymus, quos dein Cregutus aliique magno agmine ſunt ſecuti: & inter hos inprimis, quod mireris, ipſe ſummus Philologus Hydius *de Relig. Vett. Perſ.* p. 81. Dico, quod mireris, quoniam hîc tot cumulantur in ſanioris Philologiæ principia incurrentia, ut vix concipi queat, quo pacto tantus in literis orientalibus Vir ea non animadverterit.

Primò enim falſiſſimum eſt י in talibus nominibus affixum eſſe, cùm potiùs vel ut radicale, vel ſaltem ut paragogicum, ipſius nominis pàrtem conſtituat, ut in nominibus hebraicis שַׁדַּי *Schaddai*, שָׂדַי *Ager*, גּוֹבַי *locuſtarum agmen*, כֵּילַי & כִּילַי *avarus*, nec non Chald. יְהוּדַי *Judæus* מִצְרַי *Ægyptius*, innumeriſque aliis, ad oculum patet.

Dein affixum י nomini ſingulari junctum, ante ſe non *Patach*, ſed *Chireck* habere, imò ſecundùm leges adfixionis non שָׂרַי ſed שָׂרָתִי aut admiſſâ etiam ſyncope, minimùm שָׂרִי ſcribendum, vel tyrones nôrunt, rectéque jam monuit Heidegg. §. 2.

Tertiò, quid quæſo dici poteſt frigidius, quàm quæ antea Princeps Abrahami appellata, poſtea abſolutè Principem, aut

Prin-

PRINCIPEM FOEMINAM dicendam fuiſſe, ad innuendum, illam quæ antea unius tantùm familiæ mater fuerat, poſtea *multorum populorum matrem aut omnium gentium principem futuram eſſe*. Certè neque prior illa reſtrictio in appellatione PRINCEPS MEA, neque poſterior amplitudo in generaliori ſeu potiùs indeterminatâ voce PRINCEPS latet, aut ſecundùm ſanioris hermeneutices regulas ullis fidiculis inde extorqueri poteſt, neque ullius linguæ genio aut receptis locutionibus convenit aut comprobari poterit. Quis enim unquam vel fando audivit, magni principis Conjugem idcircò EJUS PRINCIPEM FOEMINAM dici, quòd STERILIS ſit, aut iſtiusmodi Conjugem multâ prole beatam hanc ob cauſam abſolutè PRINCIPEM appellari? Aut quis vel adfirmare auſit, Principis conjugem, ideò quia *ſterilis*, PRINCIPIS FOEMINÆ nomine abſolutè, indignam eſſe, *Proliferam* autem, ob numeroſam prolem, minus rectè EJUS PRINCIPEM aut EJUS PRINCIPEM FOEMINAM vocari? Coacta hæc eſſe, non ſolùm quivis ad rem ipſam ſine præjudiciis attendens ultrò intelliget, ſed & ita comparata, ut prodant, ſententiæ hujus auctores non aliam ob cauſam eò confugiſſe, quàm quia ſatis aptam nominis explicationem non inveniebant, neque videri tamen volebant nihil dixiſſe.

XI.

Altera ipſius PFEIFFERI eſt, & quos ipſe ſibi ὁμοψήφους laudat: ſcilicet ה pro י finali hîc ſubſtitutum eſſe ex nomine המון *multitudinem* denotante, ídque ob eandem cauſam, ob quam illud nomini אברהם inſertum credunt, quia ut ABRAHAM PATER, ita SARAH MATER MULTARUM GENTIUM FUTURA. Verùm hæc ſententia modo refutatæ nihil præſtat. Uti enim rationi æque ac Linguarum Orientis uſui repugnat, unicam literam ex integrâ voce ad eandem ſignificandam decerpi alteríque jungi, cujus rei hactenus exemplum deſidero, ita ſi id ne quidem in nomine ABRAHAMI אברהם locum habet, uti §. V. oſtenſum, licèt DEUS in ejus explicatione nomen המון adhibuerit, longè minus idem in nomine SARAH obtinere cum ratione ſtatui poterit, in cujus expoſitione nulla nominis המון mentio oc-

Digitized by Google

currit. Ne dicam ה in שרה *Sarah* eſſe quieſcens, in המן autem mobile, nec ſufficientem rationem dari poſſe, cur י abjiciatur, ſi ה ex alterâ voce המן aſſumendum à fine fuerit, cum æquè commodè שריה dici potuiſſet.

Neque ullius momenti ſunt quæ Pfeifferus in ſententiæ ſuæ præſidium adfert. Non ſanè, quòd eadem res in Abramo & Sarai eodem ſigno literæ ה denotata, atque adeò utrobique eadem literæ hujus ratio eſſe debeat. Eſt enim hæc principii petitio, cùm res non ſigno literæ ה ſed ipsâ potius integrarum vocum ſignificatione indicata ſit, uti de voce אברהם §. VI. oſtendimus, de nomine autem שׂרה §. ſeq. docebimus. Multò minùs procedit, quòd ipſe Spiritus Sanctus hanc rationem com. 16. ſuppeditet, idémque adeò utrobique promiſſionis ſymbolum eſſe voluerit. Nam & hîc iterum falſum eſt quod ſupponitur, cum com. 16. ut modo jam dictum, nulla planè vocis המון veſtigia occurrant.

X I I.

Faceſſant igitur omnes hæ ſimiléſque coactæ & contortæ, aut falſis hypotheſibus ſuperſtructæ explicationes, inprimis cùm, quod in ſtudio etymologico maximè requiritur, longè ſimplicior omnibúſque circumſtantiis convenientior ſuperſit. Hanc autem ut eruamus, juvat in anteceſſum totum ſcopum hujus μετονομασίας ſibi ritè ob oculos ponere. Hic, ut quivis hiſtoriam perlegens, & ad omnes circumſtantias debitè attendens, nobis ultrò concedet, erat docere & velut ſigno quodam confirmare, Saram, quæ hactenus ſterilis fuerat, *numeroſiſſimæ prolis* ſeu *poſteritatis matrem futuram*, ſicque *Abrabami ſemen, & quidem ex Sarah, futurum inſtar pulveris terræ & ſtellarum cæli.* Gen. XIII. 16. XV. 5. coll. XVII. 16. ſeqq. Hujus igitur rei veſtigium atque ſignificatio in nomine שרה Sarah oſtendi debet, ſi illud convenienter ſcopo Dei omnibúſque circumſtantiis illi impoſitum, quod ſi fieri queat, ſine dubio argumento huic in re difficilimâ atque hactenus obſcuriſſimâ ſatisfactum erit. Atque hîc nobis iterum egregiè ſuppetias fert uberrima illa Arabum lingua, ſine cujus adminiculo vix dimidiam hebrææ partem ritè cognoſceremus. In

Digitized by Google

In eâ enim verbum سرا שרא *Saraá* NUMEROSÆ PROLIS PROGENIEM ſeu PRODUCTIONEM involvit. Atque hinc non ſolùm de *locuſtis*, quibus vix ullum in terris animal fœcundius eſt, adhibetur, ſed & ad mulieres crebriùs parientes transfertur, denotátque OVA EXCREVIT LOCUSTA, & VALDE PROLIFERA FUIT MULIER, unde & formula deſcendit, quam GIGGEJUS adduxit سرات المراة *mulier multos filios ſuſcepit*, vel uti integra ſonat: سرات المرات اب كثر اولادها SARÂT (dicitur) *mulier, cui multi ſunt liberi.* Neque in primâ tantùm conjugatione hæc ſignificatio obtinet, ſed & in ſecundâ, quæ hebræorum *Pibel* reſpondet, & majorem adhuc emphaſin infert, ſignificationémque adauget, idem locum habet. Unde cùm Antiquiſſimi linguáeque hebrææ peritiſſimi INTERPRETES ALEXANDRINI, non ſolùm ρ in hoc nomine geminatum velint, ſed & poſt PHILONEM idem PAULUS confirmet, ut §. VIII. oſtenſum, non incommodè ab hac conjugatione mediam geminante deduci poſſet, ut שָׂרָה per productionem vocalis brevis ad compenſandum dageſch forte, quod apud hebræos litera ר non recipit, pro שַׂרָּה dicatur. Nec movere quenquam debet, quòd in *hebræo* nomine שרה ſit ה idque *quieſcens*, in *arabico* سرا autem ا & quidem *mobile*: uti enim ה & א in linguis orientalibus ſæpiſſimè permutantur, & ipſum hoc nomen apud INTERPRET. SYRUM tam Vet. quàm Nov. Inſtrumenti ſemper per *Olaph* ܣܪܐ ſcribitur, ita nihil notius eſt, quàm Arabes ſæpe pro Hebræorum ה *quieſcente* non ſolùm ا *quieſcens*, ſed & *mobile* ſubſtituere, ut *Orientalis literaturæ immortale decus Celeb.* SCHULTENSIUS docuit in *Clavi dialect.* p. 210. Quòd ſi quis etiam per ſyncopen שרה pro שראה dictum velit, forſan is quoque non omni ſpecie deſtituetur. Obſervari quoque inſuper meretur, quòd & سرو *Sarawa*, ipſiſſimum cum Hebræorum שרה (quoniam horum verba quieſcentia apud Arabes per و aut ي mobile ſemper ſcribi ſolent, unde & *Clar.* SCHULTENS Hebræorum ה finale in iſtiusmodi verbis pro ו vel י ſubſtitutum eſſe contendit *Grammat. hebr.* §. CXXXII.) ſine dubio idem cum سرا alternantibus ut ſæpe aliàs و & ي

deno-

denotaverit; cujus rei ſatis evidens ſignum eſt, quòd سرأة etiam سروة ſcribitur, ut diſertè Gieuhari monet, atque adeò etiam hinc regulariter שרה formaretur, ſive illud à primâ, ſive auctoritate illorum, qui ر geminant, à Conjugatione dageſſatâ deducendum ſtatuas. Addo, ejuſdem quoque ſignificationis veſtigia fortè in *verbo geminante mediam*, ſeu ut Arabes loquuntur, *ſurdo*, سرر latere. Certè non multum hinc abit, quòd Giggejus & Castellus illud denotare obſervant, *Ancillâ uſus eſt ad prolem*. Nec malè eodem referuntur formulæ, in quibus ipſum nomen Sarra occurrit امراة سارة & امراة سرة *Mulier te lætitiâ perfundens*. Nulla enim major eſt lætitia, quâ Mulier Virum perfundere queat, inprimis ex populorum orientalium indole, quàm ſi illi prolem, & quidem maſculam pariat, conf. idem *Cl.* Schultensius in luculentiſſimo *in Jobum commentar.* cap. III. com. 3. Ex quibus omnibus luce meridianâ clariùs jam patere exiſtimo, ſummo jure huic nomini שרה ſignificationem mulieris proliferæ, foecundæ, *ſeu virum numeroſâ ſobole beantis atque* exhilarantis tribui, neque quicquam magis conveniens, aut mentem Dei, mutatíque nominis rationem ſimpliciùs clariúſque pandens, facile adferri poſſe. Verùm quid ulterioribus ambagibus opus eſt? cùm Deus ipſe rem haud obſcurè ita explicet comm. 15, 16. *Non vocabis amplius nomen ejus* Sarai, *nam* Sarah *nomen ejus erit. Et benedicam illi, &* dabo etiam tibi ex illa filium, *& benedicam illi, &* erit in populos. Neque morari quenquam debet, quòd ſubjungit: *Reges populorum ex illâ erunt*, unde nonnulli anſam ſumſerunt de ſignificatione *principatûs* in nominis hujus explicatione cogitandi; uti enim priora verba proximè vim nominis indicant, ita poſteriora hæc ad promiſſionis excellentiam extollendam meritò ſubjungi creduntur, ut pateat, ad quantæ dignitatis faſtigium poſteritas Abrahami ex Sara evehenda ſit, quòd & ipſis circumſtantiis conveniens erat. Cùm enim Abrahamus non privatæ ſortis homo, ſed Princeps eſſet, unde & cum Regibus fœdera pepigit, neceſſariò ampliſſimæ poſteritatis promiſſio, ſi ut inſigne bonum ſpectanda, in-

vol-

volvere debebat, illam à ſuæ gentis Regibus atque Principibus regendam, taléſque adeò etiam ex SARA prodituros, cùm ceteroquin peregrinis perpetuò ſervire deberet, quæ ſanè non exigua infelicitas futura fuiſſet. Atque his quidem acquieſcere jam poſſem, omittere tamen non poſſum, & hæc denuò confirmari, & lucem ſimul accendere inſigni loco Jeſ. LIV. 1. uti enim tota locutio, ipſo PAULO interprete ad Gal. IV. 22 --- 27. à SARAH deſumta eſt, ita ibidem bonum, quod ſub hoc ſchemate promittitur Eccleſiæ, non tam in ſpiritualium liberorum dignitate aut principatu, quàm potiùs in *incredibili numero matrísque adeò Eccleſiæ per* SARAM *adumbratæ* FOECUNDITATE *poſt præcedentem ſterilitatem* collocatur: *Canta ſterilis, quæ non peperiſti, fragorem ede cantu, quæ dolores partûs experta non es, quoniam* PLURES ERANT LIBERI DESOLATÆ, QUAM LIBERI MARITATÆ, *ait Jehovah.*

XIII.

Uti autem à debitâ nominis hujus explicatione omnis emphaſis, totiúſque loci ſenſus præcipuè dependet, ita non multum intereſt, quid priſtinum nomen שרי SARAI ſignificaverit. Interim tamen non ingratum erit, & in hujus veram ſignificationem inquirere, quò eò magis integro argumento fiat ſatis, inprimis ſi & hoc pacto illis, quæ de nomine שרה SARAH oſtendimus, adhuc lux quædam accendi queat. Atque hoc quidem mirum in modum fieri poſſet, ſi certò ſtare liceret teſtimonio, quod ABULKASEM ABDORRACHMIN in *Obſervat. MSS. ad nomina Alkorani* cap. 3. exhibet, prouti illud adduxit *Celeb.* RELANDUS *de Relig. Mohammed.* Lib. I. p. 37. ſcilicet *Saram* antea dictam يساره id eſt *ſterilem, non parientem.* Quid enim locupletius, quid prægnantius dici poſſet, quàm illam, quæ antea (non ſine occultâ Dei cuncta moderantis providentiâ) appellata erat SARAI i. e. *ſterilis, non pariens*, in poſterum SARAH i. e. *valdè proliferam*, aut *maritum multâ ſobole beantem* vocandam eſſe? Atque hoc inprimis adhuc exactiùs conveniret elegantiſſimæ illi alluſioni, quam modo ex Jeſ. LIV. & Gal. IV. tetigimus, ubi eadem hæc oppoſitio omni ex parte obtinet. Verùm cùm candidè

Digitized by Google

nomen urbis diceretur לוז *Luz.* Gen. XXVIII. 18, 19, 22. Quâ in re cùm varia occurrant, nondum ſatis, ut videtur, expedita, illis propiùs illuſtrandis pauliſper immorari lubet.

I I.

Et primò quidem DRUSIUS verborum illorum, ERIT DOMUS DEI, ſenſum nimis coarctat, dum illa explicat, i. e. *locus orationis meæ*, plus enim phraſis hæc non ſolùm in receſſu habet, ſed & JACOBUS ad voti hujus ſolutionem plus præſtitit, ut in ſequentibus videbitur. Ab alterâ autem parte eundem nimis extendit PSEUDO-JONATHAN, dum illa explicat ואבנא הדא דשויתי קמא תהי מסדרא בבי מוקדשא דיי ויהון דריא פלחין עלה לשמא דיי *& lapis hic, quem poſui columnam, erit diſpoſitus in domo Sanctuarii Jehovæ, & ætates colent ſuper illo nomen Jehovæ.* Licèt enim Judæi vulgò exiſtiment, lapidem hunc eundem fuiſſe, cui dein arca in S. S. templi I. impoſita fuit, quíque, illâ ſub templo II. deficiente, ſolus ibidem loci remanſit, quorſùm verba JONATHANIS in KETORETH HASSAMMIM applicantur, videatur hac de re unus inſtar omnium *Celeb.* THEOD. HASÆUS, Collega noſter, dum fata ſinerent, conjunctiſſimus, in *Diſſertat. de Lapide fundamenti*, cap. I. §. 14. & cap. II. traditio hæc tamen non ſolùm hactenus admodum incerta eſt, ſed & ſi vel maximè vera eſſet, vix tamen tale quid ex hac phraſi erui poſſet; multóque adhuc minùs probabile eſt, JACOBUM tale quid prævidiſſe, aut his verbis prædicere voluiſſe.

I I I.

Quemadmodum autem בית ſ. *domum* in linguis orientalibus quemcunque locum denotare, omnibus, qui illas vel à limine ſalutarunt, notum eſt, DOMUS autem DEI omnis locus appellari ſolet, ubi DEUS ſeſe, inprimis ſæpiùs & familiariùs manifeſtat, aut ubi is convenitur atque colitur, quare tabernaculum & maximè templum hoc titulo κατ' ἐξοχὴν gaudere ſolet, ita ſine dubio JACOBUS innuere voluit, ſe ubi incolumis reverſus eſſet, hunc locum propiùs eâ ratione habiturum aut ad id conſecratu-

rum

rum eſſe, ut quemadmodum DEUS ſemet illic extraordinario modo manifeſtaverat, eundem ibidem ſolemniter conveniret, ſive in precibus, aut ut os ejus in dubiis conſuleret, vel officia cultûs divini ipſi præſtaret. Ita verba rectè accepit ONKELOS, illa reddens: ואבנא הדא דשויתי קמא תהי דאהי פלח עלה קדם יי *& lapis hic, quem poſui, cippus erit, ad quem peragam cultum coram Domino*, quod & calculo ſuo firmat RASCHI. Imò cùm Jacobus ipſe non addat, eum SIBI *in domum Dei futurum*, ſed ſine ullâ limitatione generatim dicat יהיה בית אלהים *erit domus Dei*, quin & locutio illa *Domus Dei* videatur majoris emphaſeos eſſe, quàm ut ad unum hominem reſtringi queat, crederem illum potiùs dicere voluiſſe, quòd eundem ſuis, quin & aliis, in locum cultûs publici conſecraturus eſſet, ubi ſolemnes eum in finem conventus, ſaltem quoties in hac regione degerent, agerentur.

IV.

Nimis autem hîc ineptiunt, qui vel locum hunc eundem fuiſſe volunt, cum urbe HIEROSOLYMA, unde & LUZ & BETHEL inter nomina illius Metropoleos Canaanis numerantur notiſſimo verſiculo

Solyma, Luza, Bethel, Hieroſolyma, Jebus, Elia,
Urbs Sacra, Jeruſalem, dicitur atque Salem.

vel propius per eum montem Moriah intelligunt, quâ de re vide quæ ex Judæis adfert *Excellentiſſ.* BREITHAUPTIUS in not. ad R. S. J. *Commentar. in Geneſ.* XXVIII. 17. Verùm hæc ita comparata ſunt, ut refutationem non mereantur, cùm ſcriptura ſemper Hieroſolymam à Bethel ſollicitè diſtinguat, nimiſque longè, tam urbs illa, quam mons Moriah à Bethel abfuerit, quàm ut pro iisdem haberi ullâ ratione queant, conf. quæ hanc in rem jam monuit MUNSTERUS ad ejusdem capitis com. 18.

V.

Quòd autem, eo quo dixi §. III. ſenſu JACOBI verba accipienda ſint, non obſcurè evincit nuncupati per eundem voti, DEO

ipſo monente, facta ſolutio. Cùm enim Deus triginta annis poſt, eum ad patrios lares reducere vellet, dicebat non ſolùm: *Ego ſum Deus Bethelis, ubi unxiſti cippum, ubi nuncupaſti mihi votum, nunc ſurge, egredere ex terrâ hac & revertere ad terram generationis tuæ*, Geneſ. XXXI. 13. ſed & dein iterum ſubjungebat, *ſurge aſcende Bethelem & conſide illic, & fac illic altare Deo, qui apparuit tibi, cùm fugeres à facie Eſavi fratris tui.* Gen. XXXV. 1. Tum verò *Jacobus hoc oraculo admonitus, dicebat domui ſuæ & omnibus qui cum ipſo: removete Deos peregrinos, qui ſunt in medio veſtrûm, & mundamini & mutate veſtes veſtras. Et ſurgamus atque adſcendamus Bethelem, faciámque illic altare Domino, qui reſpondit mihi in die anguſtiæ meæ, & mecum fuit in viâ, quam ivi.* ibidem com. 2. & 3. quod & dein exſecutioni dedit com. 6. 7. Vides B. L. eum ſolviſſe votum, atque adeò lapidem hunc, ſeu locum, ubi is erutus, feciſſe *Domum Dei*, dnm illic ad cultum publicum altare ſtruxit, eúmque in finem ad hanc ſolemnitatem, tam domum ſuam, quàm famulitium, ſeu omnes, qui cum ipſo erant, ritè præparavit. Quin & poſtquam Deum ibidem ſingulari iterum ratione præſentem propitiúmque expertus eſſet, videtur denuò propiorem conſecrationem, repetitâ cerimoniâ unctionis atque impoſitionis antea jam dati nominis Bethelis, confirmaſſe comm. 14, 15. Imò non de nihilo eſſe videtur, quòd licèt Jacobus ante voti illius ſolutionem etiam alibi altare erexerit, v. Gen. XXXIII. 20. poſt illam tamen id nunquam iterum feciſſe legatur, ſive ubi alibi habitaret, ſtructis ibi jam antea ab Abrahamo aris uſus ſit, ſive fortè in ſolemnioribus ſacris, aut ubi Betheli vicinior eſſet, eodem reverſus fuerit.

V I.

Saltem etiam poſt hæc tempora dudum non exiguam loci hujus religionem fuiſſe, haud paucis, nec obſcuris indiciis conſtat. Jud. XX. 18. dicuntur Iſraëlitæ, cùm vindictam vellent ſumere à Benjaminitis, *adſcendiſſe Bethelem, ut Deum conſulerent.* Dein poſtquam cæſi eſſent, *ibidem fleviſſe coram Domino & jejunaſſe, quin & ſecundâ vice eum conſuluiſſe* com. 26. additâ hac ratione ושם ארון ברית האלהים בימים ההם׃ *& illic erat arca fœderis Dei in*

in diebus illis. Mox cap. XXI. 2. & 4. iterum dicitur *populus veniſſe Betbelem, ibi conſediſſe usque ad veſperam coram Domino, & fleviſſe fletu magno, tum verò craſtino die primo mane illic erexiſſe altare, & bolocauſta atque ſacrificia ἰυχαριστικὰ obtuliſſe.* Non ignoro quidem, Rabbinos vulgò in his locis vocem *Betbel* non propriè, de loco hujus nominis, ſed appellativè ſumere, pro *domo Dei*, atque ita de TABERNACULO in urbe SILO interpretari, v. R. L. B. G. & R. D. K. ad hæc loca, quod & LUTHERUS & BELGÆ ſequuntur. Verùm mihi potiùs omni dubio carere videtur, locum *Betbel* illic intelligi debere,

1. Quia nunquam vox Bethel in univerſo ſacro codice appellativè uſurpatur, & licèt ſæpiſſimè in ſacris *domûs Dei* mentio fiat, nunquam tamen illa בית-אל *Betbel*, ſed ſemper בית-אלהים aut בית האלהים vel בית יהוה dicitur.

2. Idque in ipſis illis locis inprimis, ubi id maximè uſu venire potuiſſet, ut in ipſâ illâ hiſtoriâ, quæ nomini *Betbel* originem dedit. Cùm enim evigilans Jacobus exclamaſſet: *quàm tremendus eſt locus bic!* non ſubjungit אין זה כי אם בית-אל *non eſt bic niſi* BETHEL, ſed כי אם בית אלהים *niſi* BETH ELOHIM. & com. 22. *Et bic lapis, quem erexi columnam, erit* בית אלהים *Betb Elobim*, non בית־אל *Betbel.*

3. Accedit, quòd ipſo illo, quod adduximus, capite Jud. XXI. 19. extra omnem dubitationis aleam propriè ſumitur, quando dicitur, *Ecce feſtum Jebova eſt annuatim in Scbilunte, quod ad ſeptentrionem* BETHELIS *eſt verſus ortum ſolis, ad ſemitam adſcendentem ex* BETHEL *Sicbemum.* Ubi licèt Eruditi BELGÆ vocem quoque appellativè ſumant, verbáque reddant: *daar is een feeſt des Heeren te Silo van jaar tot jaar, dat* (gehouden wort) *tegen bet Noorden van* 'T HUYS GODES *tegen der ſonnen opgang, aan den boogen weg, die opgaat van* 'T HUYS GODS *na Sicbem*, verſio tamen hæc adeò coacta eſt, ut non facilè quis, ad omnes circumſtantias ritè attendens, illi ſubſcribere queat. Quis enim, ut alia ejus incommoda taceam, unquam de feſto ad SEPTENTRIONEM DOMûs DEI acto, aliquid inaudivit? aut quis unquam viam, ab urbe, ubi DOMUS DEI eſt, usque ad alteram urbem deſcripturus,

rus, dixit, eam à DOMO DEI *ad alteram illam urbem ducere?* Nec ſententia PATRICII & POLI verſioni huic opitulatur, quòd illis verbis non ſitus urbis SCHILO, ſed illius loci, ubi virgines in feſto ſaltare ſolitæ, deſcribatur, quia hujus hypotheſeos nec vola nec veſtigium in his verbis occurrit. Quid mirum igitur, quòd LUTHERUS & alii, qui in reliquis locis vocem etiam appellativè ſumunt, in hoc commate tamen illam propriè accipiunt.

4. Accedit, quòd quemadmodum illic, ut modo viſum, nomina BETHEL & SICHEM ut *terminus à quo & ad quem* conjuntur, ita cap. XX. 31. BETHEL & GIBEA ut loca, ad quæ via, ubi in duas una finditur, ducit, combinantur. Hinc igitur res ipſa flagitat, ut utrumque pro nomine proprio, non appellativo, ſumatur. Inprimis cùm non facilè quis exemplum ſit producturus, ubi in ſimilibus locutionibus *tabernaculum*, *templum*, aut *domus Dei* cum nomine proprio loci conjungatur, ſed potius ſemper locus ubi *tabernaculum*, *templum* vel *domus Dei* erat alteri loco reſpondere ſoleat.

5. Denique cap. XXI. 4. vidimus, Iſraëlitas in בית־אל altare ſtruxiſſe, ſnque illo holocauſta & ſacrificia euchariſtica immolaſſe, quòd ſi autem res *Schilunte*, *in domo Dei* ſeu *tabernaculò* geſta, quomodo illic quæſo ſpreto altari Moſäico, quod illic erat, aliud in hunc uſum à populo ſtructum fuiſſet? Nec cum modo laudatis eruditiſſimis Anglis reſpondere juvat, ob multitudinem ſacrificiorum præter ordinarium altare adhuc aliud paratum eſſe, nam & hujus rei nullum indicium occurrit, & ſaltem vel verbulo ejus, aut ordinarii ſaltem altaris, ut 1 Reg. VIII. 64. mentio injecta eſſet. Unde longè probabilius eſt, quòd uti antea, ob anguſtiam, ut videtur, temporis, forſan vel in terrâ, vel ſuper lapide aliquo, aut ruderibus antiquioris altaris collapſi, quædam ſacrificia obtulerint Jud. XX. 26. ita nunc, poſtquam illic pernoctaſſent, primo mane ad majorem ſolemnitatem novum altare erexerint.

6. Neque illud de nihilo eſt, quòd antiquiſſimi INTERPRETES, ALEXANDRINI æquè ac CHALDÆUS, quorum in talibus certè ceteris paribus non exigua eſt auctoritas, vocem ſemper non appel-

appellativè, ſed propriè ut *nomen loci* accipiant.

Omnibus igitur his in unam ſummam collectis, nulli dubitamus, propriè dictum locum *Bethel* in his locis intelligi debere, ubi non ſolùm populus ad Deum, qui ſe illic quondam Patriarchæ Jacobo ſingulari ratione manifeſtaverat, conſulendum convenerit, ſed quorſum quoque arca ex urbe *Schilante* translata ſit, ut jam rectè agnovit *Celeb.* Relandus *Antiqq. Hebr.* P. I. cap. III. §. VI. ſive id hunc in finem ſolùm factum, ſive accedentibus etiam aliis cauſis ibidem ad paulò longius tempus ſubſtiterit. Saltem arcam eo tempore illic fuiſſe, dubitari nequit, quia diſertè dicitur, *& illic erat arca fœderis Dei illis diebus.* XX. 27. quæ verba ſi de urbe *Schilo* intelligi deberent, ſupervacanea forent, quia jam antea monitum erat, ædem Dei *in illâ urbe fuiſſe.* XVIII. 31.

Objiciunt quidem R. Levi B. G. & R. D. K. quòd nullibi memoretur diſertè, arcam eò eſſe translatam: verùm neque id opus erat, cùm ex omnibus enumeratis locis id ſatis pateret, & inprimis modo adducto com. 27. cap. XX. diſertis verbis illic fuiſſe dicatur. Minoris adhuc momenti eſt, quod addit R. L. B. G. non poſſe urbem *Bethel* intelligi, quoniam hæc fuerit in limite tribus *Benjamin*, licèt enim eſſet in confiniis tribûs *Benjamin*, non tamen ad illam, ſed ad tribum *Ephraim* pertinuit, v. Joſ. XVIII. 13. coll. XVI. 2. & 2 Chron. XIII. 19.

VII.

Serioribus adhuc temporibus ejuſdem rei ſatis clara indicia deprehendimus. Cùm enim Samuel Sauli prædiceret, quæ illi à ſe diſcedenti eventura eſſent, inter alia ait: 1 Sam. X. 3. *& invenient te illic tres Viri adſcendentes ad Deum* Bethelem, *unus ferens tres hædos, unus ferens tres placentas panis, & unus ferens lagenam vini*, ubi poſtquam Polus verba rectiſſimè explicuiſſet de propriè dictâ urbe Bethel *in regione tribûs Ephraim, ubi excelſum fuerit, celebre ob viſum Jacobo illic exhibitum* Gen. XXVIII. 19. addens, *veroſimile eſſe, quòd Iſraëlitæ in perturbato illo rerum ſuarum ſtatu ibi ſacrificia obtulerint*, ſubjungit quidem, vel ſecundùm ſignificationem vocis *Bethel* verti poſſe, *ad domum Dei*,

Digitized by Google

id eſt, *ad Kirjath-Jearim, ubi tum* DEUS *cum arca præſens erat:* verùm ſine omni ratione, cùm præter illa, quæ com. præcedenti de voce *Betbel* monuimus, ipſa phraſis & conſtructio verborum עלה אל האלהים ביתאל hanc verſionem non admittant, ut omnes, quibus hebraicæ linguæ genius paulò propiùs cognitus eſt, concedent, rectè autem verba reddantur *adſcendere ad Deum, Betbelem.* Cùm igitur adſcenderent illuc ad Deum cum hœdis, pane & vino, ſine dubio illorum intentio fuit, ut illic rem divinam peragerent, & ſacrificia feſta atque libamina offerrent. Unde Chaldæus ſatis benè verba reddit דסלקין למסגד קדם יי בביתאל *adſcendentes ad ſemet incurvandum* (*aut adorandum*) *coram Jebova in Betbel*, & prolixius R. D. K. *adſcendentes ad Deum Betbelem.* הוא לוז שקראו יעקב ביתאל ושם היה המזבח שבנה יעקב ובשעת היתר הבמות היו מקריבים שם ואותו הבית היה קדוש והיו באים שם ישר׳ באותו הזמן להתפלל בזכות יעקוב וכן אמר על זה יעקוב יהיה בית האלהים ואף על פי שהדרש יש לו דרך אחרת בזה זה שכתבנו הוא הנראה לפי פשטי הפסוק׳ כי בית אל תיה מקום קדוש לעולם ומקום מזבח והיו באים להתפלל שם והיה מקום נבואה כמו שאמר וזה שער השמים פי׳ שער לידע ממנו מה שגוזרין בתחתונים מן השמים ואמר הושע בית אל ימצאנו ושם ידבר עמנו *Hæc eſt Luz, quam Jacobus appellavit Betbel, atque ibi fuit altare, quod Jacobus ſtruxit, & tempore, quo excelſa erant licita,* (de quo tempore ex mente Judæorum fuſius differit Celeb. Relandus Antiqq. Hebr. P. I. Cap. I. §. IX.) *illic obtulerunt, bâecque domus fuit ſancta, venerúntque eò Iſraëlitæ illo tempore ad precandum propter meritum Jacobi, atque ſic bac de re dicit Jacobus* (Gen. XXVIII. 22.) ERIT DOMUS DEI: *& licèt aliâ viâ ſublimiori modo locus bic explicetur, boc tamen, quod ſcripſimus, maximè conveniens videtur ſecundùm ſimplicitatem locorum ſcripturæ, quia Betbel fuit ſemper locus ſanctus, & locus altaris, eóque venerunt, ut illic adorarent, idem fuit locus propbetiæ, quemadmodum etiam dixit* (Gen. XXVIII. 17.) ET HÆC EST PORTA COELI. *Porta enim dicitur, quoniam illinc cognoſcitur, quod decretum eſt de rebus ſub*

Digitized by Google

ſub cœlo. Et Hoſeas quoque dicit: (Hoſ. XII. 5.) BETHELIS INVENIT ILLUM, ATQUE IBI LOCUTUS EST NOBISCUM.

VIII.

Quod modo de loco prophetiæ dixit KIMCHIUS (licèt inquirere nolim, an rectè eò applicet JACOBI verba,) omni tamen fundamento non caret. Certè degiſſe illic Prophetas, non ſolùm ex 1 Reg. XIII. 11. conſtat, ſed & ibidem *Scholam Prophetarum* fuiſſe ex 2 Reg. II. 3. patet, cùm enim Eliſa Eliam ſequens, Bethelem veniſſet, *obviam illi procedebant filii Prophetarum, dicentes, noſtine, quòd hodiè Jehova abs te auferet Dominum tuum.* Quòd ſi ABARBANELEM audiamus, etiam ELIAS antequam aſſumeretur in cœlum ideò GILGALEM, BETHELEM & HIERICHUNTEM ſe contulit, quia hæc loca ſancta habebantur, quòd ſe in uno eorum aſſumendum crederet, aut ELISAM illic relinquere cuperet, & inter hæc quidem BETHELEM inprimis, quia *Deus ſe illic Jacobo revelaverit, fueritque ab antiquo locus Prophetiæ & influxui divino deſtinatus.* v. quæ ex illo fuſiùs attulit *Cel.* MEYERUS in not. ad *Seder Olam Rabba* p. 875. ſeqq.

IX.

Superiùs diſputatis non immeritò jungo, quòd JEROBOAM, cùm Iſraëlitas ad vitulorum cultum pertrahere quæreret, eorum unum in *Dan*, alterum in BETHEL collocavit. 1 Reg. XII. 29, 32, 33. & XIII. 1. ſeqq. Licèt enim minimè negem, loca ad extremos fines regionis decem tribuum, boream atque auſtrum verſus, huic rei deſtinata eſſe, ut eò faciliùs univerſo populo ad eorum unum aditus pateret, nullus tamen dubito, quin ad auſtrum, ubi aliàs Hieroſolymam proficiſcendum erat, *Bethel* aliis urbibus in eodem tractu ſitis prælata fuerit, quia hæc jam priſcâ loci religione, rerum illic geſtarum memoriâ, conſecratione à JACOBO communi tribuum Parente factâ, & cultu ibidem toties, idque etiam poſt erectum in Canaane Sanctuarium, non à privatis tantùm, ſed & univerſo populo, obſervato, maximè inclyta, & in ſummâ apud Judæos veneratione erat, quò tanto faciliùs Iſraëlitæ inducerentur, ut illic ad ſolemnia ſacra pera-

 genda

genda ſubſiſterent. Quin & quoties cogito, quòd JOSIAS non ſolùm ALTARE BETHELITICUM, combuſtis in illo oſſibus idololatrarum, & excelſum cum luco deſtruxerit atque combuſſerit, ſed & exuſto HIEROSOLYMIS in valle *kidron* apparatu cultûs *Baalis* &c. pulverem curaverit BETHELEM deferri, nullam opportuniorem ejus rei rationem invenio, quàm ut, profanato inquinatóque omnibus modis loco hoc, omnem priſtinæ ſanctitatis venerationem aboleret.

X.

Neque tamen illa ita deleri potuiſſe videtur, ut non aliquando in animos iterum irreperet. Saltem cùm juſſu Regis Aſſyriorum aliquis Sacerdotum Samariâ abductorum in terram reverteretur, qui colonias eò deductas, & in urbibus Samariæ habitantes, cultum Dei regionis illius doceret, non is eum in finem Samariæ, ſed BETHELIS conſedit, 2 Reg. XVII. 28. Atque ita ex his omnibus abundè patere exiſtimo, quo pacto conſecratio à JACOBO facta per plurima ſecula vim ſuam retinuerit, licèt uti nihil tam ſacrum unquam fuit, quo non ſuperſtitio abuteretur, ita etiam poſterorum culpâ res aliquando in idololatriam & abuſum degeneraverit.

Atque hæc ſunt, quæ circa hunc locum monenda habebamus, unde de *unctione lapidis hujus*, nec non *bætiliis* apud Veteres tantopere celebratis, quáeque huic hiſtoriæ originem debere creduntur, quoniam hæc & ab inſtituto noſtro aliena, & ab aliis peculiaribus Diſſertationibus pertractata ſunt, hîc nihil addidimus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE PORTIONE UNÂ JOSEPHO PRÆ FRATRIBUS À PATRE DATÂ.

AD GEN. XLVIII. 22.

I.

Obſcuriora, nec per omnia ſatis hactenus excuſſa ſunt verba, quibus morti jam propinquus Jacobus propenſum animum erga Josephum, filium optimè de ſe meritum, declarat, dicens, Gen. XLVIII. 22. ואני נתתי לך שכם אחד על אחיך אשר לקחתי מיד האמרי בחרבי ובקשתי: *Ego verò tibi dedi portionem unam præ fratribus tuis, quam cepi è manu Amoræorum gladio meo & arcu meo.*

II.

Prima hîc difficultas oritur circa ſignificationem vocis שכם quam nonnulli quidem ut nomen proprium urbis *Sichem* conſiderant, quò & Versio Alexandrina tendere videtur; verùm ut alia hujus ſententiæ incommoda taceam, rectè illi obſtare monuit Polus vocem אחד *unam.* Hinc Interpretes plerique omnes vocem de *portione* ſeu *parte* accipiunt. Sic Onkelos reddit חולק חד Syrus ܡܢܬܐ ܚܕܐ Arabs قسما Aben Esra והנכון בעיני שפי׳ שכם אחד חלק אחד *mihi autem conveniens videtur, quòd voces* שכם אחד *denotant* partem unam. Raschi ושכם לשון חלק הוא *vox* שכם *autem ſignificat* partem. Idem addit, plura hujus ſignificationis exempla in ſacris occurrere, eóque refert loca Pſalm. LX. 8. XXI. 13. Hoſ. VI. 9. & Zeph. III. 9. quem ultimum quoque adduxit Aben Esra.

 Verùm

Digitized by Google

Verùm vix tamen, ſi loca hæc ritè excutiantur, videntur huc facere, cùm nonnullis ſignificatio propria *Sichem*, aliis appellativa *humeri* longè magis conveniat, niſi fortè illi Pſalm. XXI. 13. quodammodo applicari queat.

I I I.

Quicquid autem hac de re ſit, ad præſentem certè locum illa optimè quadrat, tantóque Interpretum conſenſu non parum confirmatur. Id ſolùm mirum eſt, tam hos Interpretes, quàm pleroſque Lexicographos, vel nullam, vel longiſſimè petitam, frigidiſſimámque ſignificationis hujus rationem adferre. Cui enim non ſummo jure talis vel ipſo ſtatim ſono videbitur? quam *Summus* ceteroquin COCCEJUS his verbis complectitur: *Partem ſpoliorum aut rerum diviſarum promtiſſimum eſt humero impoſitam auferre domum.* aut POLUS hiſce: *Vox hebræa* SHECHEM —— —— *propriè denotat* HUMERUM, *ut Gen.* IX. 23. *hîc autem ſumitur pro* PARTE TERRÆ, TAM BONÂ, TÀMQUE SELECTÂ, AC HUMERUS INTER PARTES CORPORIS EST, *v.* 1 *Sam.* IX. 24. Verùm quis non hæc coacta & violenta eſſe, ultrò intelligit. Certè non ita philoſophabantur Orientis populi in vocum uſu & ſignificatione, taléſque longè quæſitæ & paraphraſticæ explicationes ſemper ſuſpectæ eſſe debent. Longè autem ſaniora & certiora hîc, ut aliàs ſæpius, ſuppeditat lingua arabica, in quâ verbum شكم inter alia denotat *remuneratus fuit*, *donum pro dono*, *præmium vel mercedem largiens*. Atque hinc شكم ſignificat *Donum pro dono*, ut jam monuit HOTTINGER. in *Smegm.* p. 199. & KROMAYER. *de uſu L. Arab.* p. 185. Quâ obſervatione non ſolùm, quæ vulgò hic voci שכם tribuitur, ſignificatio, *partis* ſeu *portionis* egregiè confirmatur, ſed & longè prægnantior evadit. Neque enim tantùm mens JACOBI erit, *dedi tibi portionem unam præ fratribus*, ſed eam inprimis vocabulo שכם inſignivit, quia hanc dedit in *præmium* ſeu *mercedem*, & quaſi *donum* pro *dono*, ſive in *remunerationem omnis illius amoris atque benevolentiæ*, quam JOSEPHUS JACOBO, imò & omnibus ejus liberis univerſáeque familiæ, tot annis in Ægypto exhibuerat. Interim tamen non intercedo, quò

quò minùs Jacobus tali potiſſimùm vocabulo in ſacris hoc ſenſu infrequentiori, quàm alio uſus, ſimul alludere voluerit ad ipſum nomen regionis *Sichem*, cùm ager verè in hac regione ſitus fuerit, idémque nomen geſſerit.

I V.

Altera eáque præcipua difficultas oritur ex verbis ſequentibus אשר לקחתי בחרבי ובקשתי *quam cepi gladio meo & arcu meo.* Cùm enim Sacer codex hac de re planè aliàs ſileat, quin imò contrà diſertè aſſerat, JACOBUM agrum illum Sichemiticum pretio centum קשיטה *Keſchita* emiſſe à filiis Chamor Patris Sichem, Gen. XXXIII. 19. non immeritò quæritur, quid hac locutione innuere voluerit. Judæorum nonnulli verba emblematicè ſumunt, ut gladius arcúſque *preces* ſignificent, quæ præcipua arma militiæ piorum eſſe ſolent 2 Cor. X. 4. Ita in JALKUT SCHIMONI f. 49. c. 1. ad hæc verba, dicitur: וכי בחרבו ובקשתו לקח והא כבר נאמר כי לא בקשתי אבטח וחרבי לא תושיעני אלא חרבי זו תפלה. וקשתי זו בקשה. אמר יעקוב מה אני מניח את בני ליפול ביד אומו׳ העולם אני נלחם כנגד׳ הוא דא״ל ליוסף אשר לקחתי מיד האמורי וגו׳ *Num autem* (illam) *gladio ſuo & arcu ſuo cepit? Ecce jam dictum eſt* (Pſalm. XLIV. 7.) NON ENIM ARCUI MEO CONFIDO, NEQUE GLADIUS MEUS ME SERVABIT. *Sed vox* GLADIUS MEUS *hîc denotat preces*, & ARCUS MEUS *orationem. Dixit Jacobus, quid ego relinquo filio meo? quod cadet in manum gentium: ego dimicabo pro ipſo. Hoc eſt quod dixit Joſepho;* QUAM CEPI è MANU AMORÆORUM &c. Breviter quoque R. S. J. poſtquam alias attuliſſet explicationes ſubjungit בחרבי ובקשתי היא חכמתו ותפלתו *Gladio meo & arcu meo, hæc eſt ſapientia ejus & preces ejus.* Verùm parum hæc ſententia probabilitatis habet. Licèt enim ſub œconomiâ Novi Foederis, cujus tota ratio ſpiritualis eſt, ſpiritualibus propriè tantùm pro cœleſti hæreditate armis pugnandum, jus tamen ad externam illam Canaanis hæreditatem etiam propriis & externis armis ſæpiſſimè, Deo ipſo auctore, aſſerendum atque

que vindicandum erat. Dein nulla excogitari poteſt ratio, cur Patriarcha morti vicinus, non in propheticâ rerum futurarum delineatione, ut capite ſequente, ſed ſimplici aſſignatione & traditione juris in certam regionem, tam inſolitâ metaphorâ uti voluerit, quum æquè facilè plana & ſimplici oratione loqui potuiſſet. Ne jam dicam, non clariora impetratæ per preces & orationem poſſeſſionis agri hujus, quàm vi & propriè dicto gladio atque arcu captæ veſtigia ullibi in ſacris exſtare, neque adeò ullam vel probabilem rationem dari poſſe, cur à proprio ſenſu ad improprium ſit delabendum.

V.

Minori adhuc ſpecie ſe commendat altera ſententia, quæ tamen inter Patres arriſit HIERONYMO, nec diſplicuit dein aliis magnis Interpretibus, inprimis *S. Rev. Epiſcopo* PATRICIO & POLO, quòd nempe JACOBUS per *gladium ſuum* & *arcum ſuum* intelligat ARGENTUM SUUM. Cùm enim, præter hæreditatem aut donationem, duo præcipuè ſint acquirendi modi, quorum alter *vi*, alter *ſolutione pretii* conſtat, ſeu *armis* fit, aut *argento*, ab omni quidem ſpecie veri abhorrere mihi videtur, ut Vir ſapiens alterum indicare volens alterum nominet, neque credo quenquam ita unquam locutum aut facilè locuturum eſſe, quemadmodum nec quæ à Viris illis eruditiſſimis ad palliandam hanc interpretationem allata ſunt, quicquam probant, aut ut verum fatear, ad rem propriè faciunt. Neque in quaſcunque etiam partes cogitationes vertam, vel probabilem hîc quoque rationem diſpicere valeo, cur in ſimplici & planâ oratione inter familiares JACOBUS voluerit non ſolùm res adeò diverſas inter ſe permutare, ſed & loco juſtiſſimi emtionis tituli, alterum violentæ occupationis, qui, licèt & juſtus eſſe queat, & hîc loci verè ſit, ut mox videbimus, tamen ſæpe quoque aliter ſe habet, & invidioſus eſt, ſubſtituere. Ut taceam, me adhuc valdè dubitare, an verbum לקח cum ב conſtructum, unquam de *emtione*, ſeu *acquiſitione*, *quæ ſoluto pretio* fit, adhibeatur.

V I.

V I.

Nullus itaque dubito, quin, ſecundùm proprium verborum ſenſum, Jacobus innuere voluerit, ſe quod hîc Josepho dono dabat, *vi, & propriè dicto gladio atque arcu, interveniente ſcilicet juſto & legitimo bello ſibi vindicaſſe.* Neque tamen idcircò cum illis facio, qui ad urbem Sichem ejúsque ditionem, internecione deletis per Simeonem & Levi incolis ejus, à Jacobo occupatam reſpici volunt. Nam ut rectè monuit S. R. Patricius, illam ipſo inſcio, non Amoræis, ſed Hevitis eripuerunt. Neque probabile eſt, ut optimè addit Polus, *Jacobum ſibi factum adſcripturum eſſe, quod ſe ſummopere deteſtari teſtatus eſt* Gen. XXXIV. 30. & XLIX. 5. 6. aut *ſuum gladium ſuúmque arcum* appellaturum fuiſſe, quæ alibi *arma violentiæ* vocavit Gen. XLIX. 5.

V I I.

Veriſſimum igitur non ſolùm eſſe exiſtimo, quòd uterque Vir S. Venerandus quoque agnoſcit, Jacobum ante oculos habere agrum illum in regione Sichem, quem ab Hemore emit Gen. XXXIII. 19. ſed & verbis illis innui, quod uterque etiam (licèt ſimul cum aliis à nobis refutatis ſententiis) adducit; ſcilicet, *quòd Amoritæ, cùm Jacobus in aliam Canaanis regionem ſeceſſiſſet, hunc agrum occupaverint, cúmque eundem ipſi reddere abnuerent, illum coëgerint, ut eos vi expelleret, ſibique & ſuis dominium emtionis jure acquiſitum, bello vindicaret.* Obſtat quidem, quòd Scriptura nullam ſive occupationis per Amoræos, ſive recuperationis per Jacobum factæ mentionem injiciat, verùm reſponderunt quoque jam rectiſſimè, præeunte *incomparabili* Bocharto, Scripturam multas res ut geſtas recenſere, neque tamen circumſtantias temporis locíve memorare. Interim non parum tamen roboris res hæc acciperet, ſi ex aliis monumentis hiſtoricis illa confirmari poſſet. Quod ut unicum in hoc argumento optandum conſiderans *Doctiſſimus* Calmetus, tandémque in eo acquieſcens, quod nihil ſaltem illi repugnet, ait: *Il n'y auroit rien à ſouhaiter à cette explication, s'il ſe trouvoit quelque dans l'Hiſtoire, qui la confirmât. Mais au moin il n'y rien, qui le*

 com-

que vindicandum erat. Dein nulla excogitari poteſt ratio, cur Patriarcha morti vicinus, non in propheticâ rerum futurarum delineatione, ut capite ſequente, ſed ſimplici aſſignatione & traditione juris in certam regionem, tam inſolitâ metaphorâ uti voluerit, quum æquè facilè plana & ſimplici oratione loqui potuiſſet. Ne jam dicam, non clariora impetratæ per preces & orationem poſſeſſionis agri hujus, quàm vi & propriè dicto gladio atque arcu captæ veſtigia ullibi in ſacris exſtare, neque adeò ullam vel probabilem rationem dari poſſe, cur à proprio ſenſu ad improprium ſit delabendum.

V.

Minori adhuc ſpecie ſe commendat altera ſententia, quæ tamen inter Patres arriſit HIERONYMO, nec diſplicuit dein aliis magnis Interpretibus, inprimis *S. Rev. Epiſcopo* PATRICIO & POLO, quòd nempe JACOBUS per *gladium ſuum* & *arcum ſuum* intelligat ARGENTUM SUUM. Cùm enim, præter hæreditatem aut donationem, duo præcipuè ſint acquirendi modi, quorum alter *vi*, alter *ſolutione pretii* conſtat, ſeu *armis* fit, aut *argento*, ab omni quidem ſpecie veri abhorrere mihi videtur, ut Vir ſapiens alterum indicare volens alterum nominet, neque credo quenquam ita unquam locutum aut facilè locuturum eſſe, quemadmodum nec quæ à Viris illis eruditiſſimis ad palliandam hanc interpretationem allata ſunt, quicquam probant, aut ut verum fatear, ad rem propriè faciunt. Neque in quaſcunque etiam partes cogitationes vertam, vel probabilem hîc quoque rationem diſpicere valeo, cur in ſimplici & planâ oratione inter familiares JACOBUS voluerit non ſolùm res adeò diverſas inter ſe permutare, ſed & loco juſtiſſimi emtionis tituli, alterum violentæ occupationis, qui, licèt & juſtus eſſe queat, & hîc loci verè ſit, ut mox videbimus, tamen ſæpe quoque aliter ſe habet, & invidioſus eſt, ſubſtituere. Ut taceam, me adhuc valdè dubitare, an verbum לקח cum ב conſtructum, unquam de *emtione*, ſeu *acquiſitione*, *quæ ſoluto pretio* fit, adhibeatur.

Digitized by Google

V I.

Nullus itaque dubito, quin, ſecundùm proprium verborum ſenſum, JACOBUS innuere voluerit, ſe quod hîc JOSEPHO dono dabat, *vi, & propriè dicto gladio atque arcu, interveniente ſcilicet juſto & legitimo bello ſibi vindicaſſe.* Neque tamen idcircò cum illis facio, qui ad urbem Sichem ejúsque ditionem, internecione deletis per SIMEONEM & LEVI incolis ejus, à JACOBO occupatam reſpici volunt. Nam ut rectè monuit S. R. PATRICIUS, illam ipſo inſcio, non AMORÆIS, ſed HEVITIS eripuerunt. Neque probabile eſt, ut optimè addit POLUS, *Jacobum ſibi factum adſcripturum eſſe, quod ſe ſummopere deteſtari teſtatus eſt* Gen. XXXIV. 30. & XLIX. 5. 6. aut *ſuum gladium ſuúmque arcum* appellaturum fuiſſe, quæ alibi *arma violentiæ* vocavit Gen. XLIX. 5.

V I I.

Veriſſimum igitur non ſolùm eſſe exiſtimo, quòd uterque VIR S. VENERANDUS quoque agnoſcit, JACOBUM ante oculos habere agrum illum in regione SICHEM, quem ab HEMORE emit Gen. XXXIII. 19. ſed & verbis illis innui, quod uterque etiam (licèt ſimul cum aliis à nobis refutatis ſententiis) adducit; ſcilicet, *quòd Amoritæ, cùm Jacobus in aliam Canaanis regionem ſeceſſiſſet, hunc agrum occupaverint, cúmque eundem ipſi reddere abnuerent, illum coëgerint, ut eos vi expelleret, ſibique & ſuis dominium emtionis jure acquiſitum, bello vindicaret.* Obſtat quidem, quòd Scriptura nullam ſive occupationis per AMORÆOS, ſive recuperationis per JACOBUM factæ mentionem injiciat, verùm reſponderunt quoque jam rectiſſimè, præeunte *incomparabili* BOCHARTO, Scripturam multas res ut geſtas recenſere, neque tamen circumſtantias temporis locíve memorare. Interim non parum tamen roboris res hæc acciperet, ſi ex aliis monumentis hiſtoricis illa confirmari poſſet. Quod ut unicum in hoc argumento optandum conſiderans *Doctiſſimus* CALMETUS, tandémque in eo acquieſcens, quod nihil ſaltem illi repugnet, ait: *Il n'y auroit rien à ſouhaiter à cette explication, s'il ſe trouvoit quelque dans l'Hiſtoire, qui la confirmât. Mais au moin il n'y rien, qui le*

 com-

combatte. Talia autem, quod ſciam, hactenus à nemine producta ſunt, neque tamen idcircò de illis eſt deſperandum. En locum inſignem, quem ex Jalkut Schimeoni *in Leg*. f. 40. c. 4. & f. 41. c. 1. obſervavimus! quíque licèt prolixior, tantò tamen magis integer adſcribi meretur, quò magis memorabiles circumſtantias compectitur. Ita autem ſe habet ונפל פחדו של הקב"ה עליהם לכך לא רדפו אחרי בני יעקב· רבותינו אמרו אף על פי שלא רדפו אחריהם בפעם ההיא אבל לאחר ז' שנים רדפו ונתכנסו כל מלכי האמורי על בני יעקוב יבקשו להורגם בבקעת שכם· לפי שלאחר מיכן חזר יעקב ובניו לשכם ועמדו שם וישבו שם אמרו לא די להם שהרגו כלו אנשי שכם אלא שורשים את ארצם· נתקבצו כולם ובאו עליהם להורגם· כיון שראה יהודה כך קפץ לתוך מערכת הרגלי' הנלחמים עמהם והרג בתחלה לישוב מלך תפוח שהיה מכוסה מראשו ועד רגליו בברזל ובנחשת והי"ה רוכב על סוס והיה מור' חניתו בשני ידיו מעל הסוס לפניו ולאחוריו ולא יחטיא בכל מקום שהיה מטיל כי היה גבו' בכוחו לירות בשתי ידיו· כיון שראהו יהודה לא נתירא ממנו ולא מגבורתו· קפץ ורץ לקראתו נטל אבן מן הארץ משקלה ט' סלעים והשליכה עליו· והוא היה רחוק ממנו שני חלקי ריס שהן קע"ז אמות ושליש· והוא היה בא לקראת יהודה מקושט בכלי ברזל ומורה חניתות· והכהו יהודה באותה האבן על מגינו והפילו מן הסוס: כיון שרצה לקום רץ יהודה ובקש להורגו קודם שיקום מן הארץ· והוא מהר ועמד על רגליו לקראת יהודה וערך מלחמה כנגדו מגינו טול מגינו ושלף כידונו ובקש לחתוך ראש יהודה· ויהודה הרים מגינו לנגד הכידון וקבל הכאת הכידון ופסק המגן לשנים· מה עשה יהודה גזל והכהו בכידונו וקטע שתי רגליו למעלה מן הקרסולים ואז נפל לארץ וכידונו נפל מידו וקפץ וקטע ראשו· ועד שהיה חולץ שריונו באו עליו תשעה חביריו· הראשון שהגיעו נטל יהודה

אבן והכהו ארת ראשו ומגינו נפל מידו ולקחו יהודה ועמד
לקראת השמונה. ולוי אחיו הגיע ובא ועמד אצלו וירה בחץ
והרג לאילון מלך עש. ויהודה הרג כל השמונה. ויעקב אביו
קרב והרג לזירורי מלך שילה וכולם לא קמו לקראת בני יעקב
ועוד לא היה להם לב לעמו' אלא לנוס. ובני יעקב רדפו אחריה'
והרג מהם יהודה ביום ההוא אלף קודם שיבא השמש. ושאר
בני יעקב יצאו מתל שכם מן המקום שהיו עומדין בצידו ורדפו
אחריהם בהר עד שיצאו לחצר העיר. ולפני חצר העיר היה
להם מלחמ' כבדה מן אותה המלחמה שנלחמו עמם בבקעת
שכם. וירה יעקב והרג לפרעתון מלך חצר: ופסוסי מלך סרתה.
ללבן מלך ארם. לשביר מלך מהנהי. ויהודה היה ראשון ועלה
לחומה של חצר וארבע גבורים ערכו מלחמה עם יהוד' קודם
שהגיע נפתלי אצלו שהיה עולה אחריו וטרם שעלה הרג
לאותם ד' גבורים ונפתלי קפץ ועלה אחריו. עמד יהודה לימין
החומה ונפתלי לשמאל החומה והתחילו להרוג בהם. ושאר בני
יעקוב דלגו ועלו אחריהם ושברו אותם ביום ההוא וכבשו לחצר
והרגו כל הגבורים ולא הניחו איש שלא הרגוהו ושבו כל חשבי.
ביום השני הלכו לסרטן וגם בה היה עמם מלחמה כבדה עיר
גבוהה ותלה גבוה וכתשה לכל מי שקרב אצלה ולא היה מקום
לקרב אצל החומה משום שחזק היה השור וגבוה מאד ולא היה
מקו' ללוכדה ביום ההוא כבשו אותה ועלו לחומה וקדם יהודה
ועלה ראשון מן המזרח וגד עלה מן המערב. עלו שמעון ולוי מן
הצפון. עלו ראובן ודן מן הדרום. קרבו נפתלי ויששכר והדליקו
צירי השערים. ועל החומה היה עמם מלחמה כבדה עד שעלו
סיעת חבריהם שם. עמדו לנגדם על המגדל קודם שכבש
יהוד' את המגדל. ואחר כך עלה יהודה לראש המגדל והרג
מאתי' איש על גג המגדל טרם שירד ממנו. כל בני העיר לכדו
והרגו כל הגוים ולא החיו מהם איש מפני שהאנשים חזקים

וקשים

וקשים היו למלחמה והוציאו כל השבי משם וחזרו לא חוריהם
והלכו לתפוח. מפנו שיצאו אנשי תפוח להציל מידם השבי
שלקחו מחצר העיר והלכו משם לארבע והרגו לאותו אנשים
שיצאו להציל השבי. ביום השלישי הלכו להפוח בעת הכוק
וכאשר היו מקבצים השבי נבני שילה באו אצלם לעשות מלחמה
או חלצו עצמם ויצאו אחריהם והרגו כלם קודם חצות יום
ונכנסו אחר הנשי׳ לתוך שילה ולא נתנו להם יד לעמוד. בו ביום
לכדו העיר והוציאו כל השבי לסיעת חבריהם שהניחו בתפות
באו אצלם ועמהם של תפוח. ביום הרביעי היו עוברים נגד
מחנה שביר יצאו אף הם להציל את השבי וירדו מהם תוך
הבקע׳ וקפצו ועלו אחריהם והרגו׳ קודם שעלו המעלה. בו ביום
יצאו אנשים ממחנה שביר לנגדם עליהם היו משליכים אבנים.
בו ביום לכדום והרגו כל הגבורים והצילו לכל השבי
ודבקוהו לאותו שהיה עמהם. ביום החמישי הלכו לגע״ש
משום ששמעו שנאספו שם עם רב מן אמורי׳ והיו אומרי׳
שהיו באים עליהם ועיר חזקה היתה גע״ש אחת מן ערי
מלכו האמורי הלכו לשם ועשו מלחמה עם העיר עד חצות
היום ולא יכלו ללכדה מפני ששלש חומות היו לה חומת
לפנים מחומה. והתחילו מצערין להן והיו מחרפין להן.
באותה שעה עלתה חמתו של יהודה ורוח קנאת גבור נכנס׳
בו וקפץ בכל כחו ועלה ראשון לחומה. ושם הגיע יהודה
למות אילו לא היה יעקב אביו ושם היה נהרג שהוא משך
בקשתו והרג מן ימין ומן שמאל. מן ימין היו משליכין עליו
אבנים ומן שמאל ומלפניו היו עומדין למלחמה וכולן היו
מבקשין לטורדו מן החומ׳. וכאשר עלה דן אחיו הנחירום
מעט מן החומה. ונפתלי שלישי מאחריהם. ושמעון ולוי

בבשו

כבשו ועלו מערב וחמשתן השעו ולא נתנו להם יד לעמוד
והרגו בהם רבים הרוגים עד זמן שהיה מושך נחל של דם
מרמן . ולכדו העיר בעת נטה השמש למערב והרגו כל
הגבורים ביום ההוא והוציאו את השבי והלכו ונפשו מחוץ
לעיר משום שיגעים היו . ביום ששי נתקבצו כל האמורים
ובאו אצלם בלא כלי מלחמה והיו משתחוים להם ובקשו
מהם שיעשו שלום ואז עשו עמהם שלנם ונתנו להם תמנה
ולכל ארץ חרריה ואז עשה יעקב עמהם שלום ושלמו לבני
יעקב כל הצאן ששבו מהם שנים באחד ונתנו להם מס
והחזירו להם כל השבי ונטה יעקב לתמנה ויהודה לארבאל
ומשם והלאה עמדו בשלום עם האמוריים . i. e. *& cecidit timor Dei ſuper illos, idcircò non perſecuti ſunt filios Jacobi. Rabbini noſtri dicunt, quòd licèt hac vice illos perſecuti non ſint, ſeptem tamen annis poſt id fecerunt, congregatíque ſunt omnes Reges Amoræorum contra filios Jacobi, & quæſiverunt illos interficere in valle Sichem. Quoniam poſthæc reverſus eſt Jacobus & filii ejus Sichemum, ſubſtiterúntque & conſederunt illic, dixerunt, non ſufficit illis, quòd occiderunt omnes Sichemitas, ſed & terram ipſorum hæreditario jure occupare volunt. Congregati,* (igitur) *ſunt omnes, illíſque ſupervenerunt, ut eos occiderent. Hoc cùm videret Jehuda, proſiliit in mediam aciem peditum illos oppugnantium, occiditque primùm Jaſchub regem Tapuah, qui à vertice ad pedes usque tectus erat ferro & ære, vehebatúrque equo, & ambabus manibus ex equo jaciebat lanceam ſuam antrorſum & retrorſum, ita ut quorſumcunque jaceret, non aberraret à ſcopo, pollebat enim robore ad jaculandum utraque manu. Ejus conſpectum atque robur nullo modo reformidabat Jehuda, ſed proſiliens illi obviam currebat, arreptúmque ex terrâ lapidem* (ponderis) IX. *Sela, in illum projecit, qui tum aberat ab ipſo duas partes ſtadii, ſeu* CLXXVII. *& tribus partibus ulnæ. Cùm igitur is adverſus Jebudam veniret, inſtructus armis ferrëis, haſtáſque projiciens, Jebuda lapide illo per-*

 cuſſit

cuſſit clypeum ejus, ut ex equo decideret. Cùm autem ſurgere vellet, accurrens Jebuda, eum, antequam id poſſet, occidere quærebat. Ipſe verò feſtinans in pedes ſe adverſus Jebudam erigebat, pugnámque clypeis ſibi mutuo oppoſitis inſtruens bipenni, ejus caput præcidere quærebat. Jebuda autem ſublato clypeo ictum excipiebat, ita ut clypeus in duo finderetur. Quid igitur fecit Jebuda? Eripuit ipſi bipennem ſuam eáque eum percuſſit, ita ut ambos pedes ejus ſupra talos ſucciderct. Tunc eodem in terram cadente, & bipenni manui ejus excidente, amputando illi caput præcidit. Dum autem illi loricam exuebat, irruebant in illum novem ejus ſocii: quorum primo, ad ſe appropinquanti, Jebuda arrepto denuò lapide caput percuſſit, ut clypeus manu ejus excideret, quo prebenſo Jebuda adverſus octo illos conſtitit. Levi autem frater ejus accedens, & pone illum conſiſtens, emiſſo telo Elon Regem Aſcb occidit. Jebuda autem interfecit omnes octo. Jacob verò appropinquans trucidavit Zerori regem Schilo, ſicque nulli eorum adverſus filios Jacobi ſtare potuerunt, imò nec animus illis amplius fuit ſtandi, ſed fugiendi. Filii autem Jacobi perſequebantur illos, occidítque illo die Jebuda mille (eorum) *antequam Sol occideret. Reliqui verò filii Jacobi prodeuntes ex caſtello, Sicbem, ubi in inſidias collocati, eos in montibus perſequebantur uſque dum pervenirent ad urbem Cbatzer. Coram bac urbe accidit prælium gravius eo, quod cum illis geſſerant in valle Sicbem. Emiſit Jacobus tela, occidítque Paratbon regem Chatzer, & Peſuſi regem Sarta, & Labanem regem Syriæ, & Scbebir regem Mebanbai. Primus autem murum Cbatzer conſcendit Juda, cum quo quatuor fortes pugnam inierunt, antequam ad eum veniret Naphtali, qui poſt illum adſcendebat, ſed antequam conſcendiſſet, quatuor illos fortes jam trucidavit, dum Naphtali ſubſiliens poſt ipſum in altum eniteretur. Stabat itaque Juda ad dextram muri & Naphtali ad ſiniſtram, incipiebántque boſtes cædere. Tum reliqui Jacobi filii aſſilientes poſt illos adſcenderunt, fregerúntque boſtes illo die, & urbem ſubjugarunt, interficientéſque omnes fortes, nec virum ullum in vitâ relinquentes, abegerunt prædam. Die ſecundo progreſſi ſunt Sartanem uſque, ubi etiam grave ipſis fuit prælium: urbs* (enim) *erat excelſa, & caſtellum ejus altum, & præruptum omni ad eam appropinquanti, nec ſpatium erat accedendi ad murum,*

qua-

quoniam is validus & altus valdè, nec ſpatium erat ad urbem capiendam. Nihilominus ipſo illo die eam ſubegerunt murúmque conſcenderunt, & primus quidem Juda ad orientem, Gad ad occidentem, Simeon & Levi ad boream, Ruben & Dan ad auſtrum. Naphtali verò & Iſaſchar appropinquantes incenderunt cardines portarum. At in muro pugna admodum gravis fuit, donec adſcenderet cœtus ſociorum ipſorum. Reſtiterunt enim ipſis ex turre, quamdiu Juda hanc non expugnaſſet. Sed poſtquam is faſtigium turris conſcendiſſet, interfecit ſuper tecto ejus ducentos viros, priuſquam inde deſcenderet. Ceperunt igitur omnes incolas, omnéſque gentes occiderunt, neque virum ullum in vita reliquerunt, quoniam viri fortes & ad bellum validi erant, (tandem) *abductâ prædâ ad* (urbem) *Tappuach reverſi ſunt: quoniam incolæ urbis Tappuach egreſſi erant, ut ex eorum manibus eriperent prædam, quam abegerant ex urbe Chatzer, indéque progreſſi ſunt ad Arba, atque interfecerunt viros ad diripiendam prædam egreſſos. Die tertio iverunt verſus Tappuach tempore matutino, cúmque dum in colligendâ prædâ occupati eſſent, ſupervenirent ipſis incolæ Schilo ad dimicandum, indutis armis poſt illos egreſſi ſunt, omnéſque ante meridiem occiderunt, nullum illis conſiſtendi ſpatium relinquentes, ex quo poſt mulieres in ipſam urbem intraſſent. Captâ igitur hoc die urbe omnem prædam abduxerunt ad cœtum ſociorum ſuorum, quos reliquerant in urbe Tappuach, ad quos venerunt, & penes quos erat præda Tappuach. Die quarto tranſiverunt coram caſtris Schebir, egreſſi ſunt & hi ad diripiendam prædam, tum quoque nonnulli eorum deſcenderunt in mediam planitiem, ſed inſilientes adſcenderunt poſt illos, eóſque occiderunt, antequam ſuperare poſſent adſcenſum. Hoc die eruperunt contra illos viri ex caſtris Schebir, quos lapidibus impetiverunt. Eodem die illos ceperunt, omnéſque viros fortes interfecerunt, eripuerunt quoque omnem prædam, & illi quam, jam habebant, addiderunt. Die quinto perrexerunt ad Goas, quoniam audiverant, illic congregatam eſſe magnam multitudinem Amoræorum, qui ſe adverſus ipſos in aciem prodituros jactaverant. Erat autem Goas urbs valida, una ex urbibus regum Amoræorum. Illuc igitur profecti, eam oppugnarunt ad meridiem uſque, neque tamen capere*

po-

potuerunt, quoniam triplici muro, uno poſt alterum, cincta erat. Subſannabant igitur illos & convitiis petebant, unde irâ accenſus eſt Juda, & ſpiritus zeli fortis eum invaſit, ita ut vehementer ſubſiliens murum primus conſcenderet. Hic Juda in mortis diſcrimen venit, & niſi adfuiſſet Pater ejus Jacobus, illic occiſus fuiſſet; is autem arcum tetendit dextram & ſiniſtram verſus. ad dextram enim projiciebant in illum lapides, ad ſiniſtram autem & à facie pugnabant cum ipſo, omnéſque quærebant eum de muro deturbare. Poſtquam autem adſcendiſſet frater ejus Dan, repulit illos paululùm à muro. Tum poſt illos adſcendit Naphtali, & Simeon atque Levi ad occidentem. Hi quinque verterunt ſe, nec dederunt illis ſpatium ſtandi, tótque eorum interfecerunt, ut rivus ſanguinis inde manaret. (Tandem) *ſole ad occaſum vergente ceperunt urbem, occiderúntque omnes viros fortes, eductâque prædâ progreſſi ſunt extra urbem, ut reſpirarent, quoniam feſſi erant. Sexto die congregati ſunt omnes Amoræi, venerúntque ad illos ſine armis, & incurvantes ſe quæſiverunt pacem, tunc fecerunt cum illis pacem, dederunt autem ipſis Timna & loca ejus ſicca. Illo igitur tempore cum illis Jacobus pacem fecit, reſtituerúntque filiis Jacobi omnes abductas oves, duas pro unâ, tum ſolverunt tributum, & reddiderunt illis omnem prædam. Jacobus autem tentorium ſuum erexit in Timna, & Juda in Adbeël, indéque ab illo tempore pacem coluerunt cum Amoræis.*

VIII.

Vides hîc B. L. fuſius expoſita quæ Jacobi verbis breviter continentur. Vides hîc Jacobum non ſolùm per liberos, ſed & proprio marte ſuo arcu cum agro Sichemitico etiam vicina loca Amoræis eripientem, ſibíque vindicantem. At videre mihi quoque jam videor, illos, qui quæcunque à Judæis dicta ſunt, ut aniles fabulas explodere ſolent, hæc ſuſpenſo naſo albíſque dentibus ridere; inprimis cùm omnia, licèt antiquiſſimis jam temporibus geſta, omnibus etiam minutiſſimis circumſtantiis tam exactè deſcribantur, tum verò Judæ & paucis Jacobi filiis adverſus incredibilem hoſtium multitudinem tam ſtupenda facta tribuantur, ut ferè Romanenſium fabulis non abſimilia judicari poſ-

poſſent. Verùm uti poſterius exiguâ difficultate laborat, cùm non ſoli pugnaſſe cenſendi ſint, ſed ut in ABRAHAMO patet, cum ſervis & domeſticis ſuis, quorum ſatis ingens numerus illâ ætate erat, tum quoque ipſo hoc loco diſertè ſocii eorum memorentur, licèt interim præcipua belli gloria ducibus, ut fieri ſolet, tribuatur, quin & ipſi præ aliis præcipua pericula ſubire conſueverint, neque etiam quicquam hîc occurrat, quod omnem fidem exſuperet, & cui non ſimilia aut majora ab omnibus hiſtoricis narrentur, fidémque inveniant, ita non opus erit, ut me vadem ſiſtam, omnia ad minimas circumſtantias uſque, prout narrantur, acta, neque quicquam ex ingenio judaico ad hiſtoriam exornandam additum eſſe. Id autem & ſufficere ad ſcopum noſtrum, & rectè inde colligi exiſtimo, verè regionem illam abſente JACOBO cum ſuis ab AMORÆIS occupatam, & ab his armis recuperatam eſſe: atque hoc ut mihi firmiter perſuadeam, plus unam rationem habeo,

Primò enim, quam omnium gentium Scriptoribus in rebus domeſticis non abjudicamus fidem, eam abſque ſufficienti ratione Judæis denegare nimis iniquum foret. Inprimis cùm

Secundò, non pauca ſint, de quibus Veteris Inſtrumenti libri ſilent, ab ipſis memorata, quæ non ſolùm alii Scriptores, ſed & ipſi Novi Fœderis ſuo teſtimonio confirmarunt.

Tertiò, accedit, quòd uti rem, ſive ex monumentis hiſtoricis, ſive antiquâ traditione ſcire potuerunt, ita eandem præter omnem veritatem comminiſcendi nullam rationem habuerunt, cùm tale quid ad dogmata ſua erroréſve ſtabiliendos fortè eos audere cogitari poſſet, ex falsâ autem iſtiusmodi rei geſtæ narratione nihil Doctrinæ ipſorum commodi accedere queat.

Quartò neque illud de nihilo eſt, quod uti hæc Jacobi verbis inſignem lucem fœnerantur, ita tamen eum in finem excogitata eſſe nequeunt, quoniam ne hanc in rem quidem allegantur. Meminit enim eorum quidem AUCTOR JALKUT SCHIMONI ad Gen. XXXV. 5. ſed ad noſtrum locum de illis planè ſilet, imò acſi eò minimè facerent, hunc planè aliter, ut §. IV. viſum, interpretatur, & ad explicationem impropriam confugit. Eandem autem hiſtoriam tangit quoque RASCHI ad Gen. XLVIII.

 22.

22. ſed fuſiùs illam proſequitur AUCTOR LIBRI SEPHER HAJASCHAR ad Paraſch. וישלח lit. י

I X.

Quo pacto autem donum hoc Jacobi actu JOSEPHI poſteris ceſſerit, eúmque in finem, poſtquam in terram promiſſam intrarunt, JOSEPHI oſſa in agro Sichemitico ſepeliverint, íſque inde ab illo tempore eorum peculium fuerit, tum quoque quanti hoc fecerint, alii ex Joſ. XXIV. 32. & Joh. IV. 5. jam monuerunt, unde illi non immoramur.

DISSERTATIO V.

DE

AZERETH FESTI,

AD DEUT. XVI. 8.

I.

Cùm MOSES ἐν δευτερώσει τοῦ νόμου ſolemnia *feſti Azymorum* annuatim obſervanda denuò inculcaret, ait Deut. XVI. 8. ששת ימים תאכל מצות וביום השביעי עצרת ליהוה אלהיך לא תעשה מלאכה: *Sex diebus comedes azyma, & die ſeptima eſt Azereth Jehovæ Dei tui nullum opus facies.* In quibus verbis major difficultas occurrit, quàm primâ fronte videtur, ídque partim, quia Scriptura alibi paſſim inculcat, feſtum Azymorum non *ſex*, ſed *ſeptem diebus* celebrandum, & tamdiu panes infermentatos comedendos eſſe, ut loco huic maximè parallelo Exod.

Exod. XIII. 6 & 7. שבעת ימים תאכל מצת וביום השביעי חג ליהוה: מצות יאכל את שבעת הימים ולא יראה לך חמץ ולא יראה לך שאר בכל גבלך: Septem diebus *comedes azyma*, *& ſeptima die eſt feſtum Jebovæ. Azyma comedentur* Septem illis diebus, *neque videbitur tibi fermentatum*, *neque videbitur tibi fermentum in omnibus finibus tuis.* conf. Exod. XII. 18. & Num. XXVIII. 17. & inprimis ipſo hoc capite Deuteronomii comm. 3 & 4.

II.

Non admodum mirum eſſet, ſi qui integritati Codicis Sacri, ſæpè ob longè minorem difficultatem, inſidias ſtruunt, hîc quoque eum in mendo cubare dicerent, & vel poſteriora hæc loca, aut ſaltem parallelum Exod. XIII. 6. ex noſtro hoc, vel hunc ex illo emendari vellent. Priori ſententiæ videri poſſent velificari duæ antiquiores verſiones, *Græca Alexandrina* & *Samaritana*, quarum illa diſertè, Exod. XIII. 6. legit ἓξ, hæc autem ࠔࠔ *ſex.* Poſteriori autem præter locum illum parallelum omnia reliqua faverent, quibus toties ſeptem dierum in hoc negotio fit mentio. Verùm neutra tamen ullâ ſe veriſimilitudine commendat. Non prior, quia ubique, ut vidimus, hæc res ad ſeptem ſucceſſivè dies extenditur, quod & ipſæ illæ verſiones ſemper, & quod mireris, ipſo illo capite Exod. XIII, commate ſtatim ſequente ſeptimo agnoſcunt. Accedit, quòd, ne quis erret, diſertè ſeptem illi dies propiùs determinentur, ſcil. inde à veſperâ diei XIV, ſeu à die XV *Niſan* uſque ad diem XXI. Exod. XII. 18. coll. Num. XXVIII. 17. Denique Josephus omnéſque Scriptores Judæorum idem agnoſcunt, & in hunc diem uſque conſtanter obſervant. Clariſſima inprimis ſunt verba Josephi *Antiq.* Lib. III. cap. X. Πέμπτῃ δὲ καὶ δεκάτῃ διαδέχεται τὴν τοῦ Πάσχα ἡ τῶν Ἀζύμων ἑορτὴ, ἑπτὰ ἡμέρας οὖσα. *Die autem quinto decimo excipit feſtum Paſcbatis illud Azymorum*, quod Septem dierum est. Multò minus autem poſterior ullâ ſpecie gaudet, quia conſtanter in omnibus codicibus Lectio illa שש ימים *ſex diebus*, occurrit, eandémque præter duas memo-

ra-

ratas verſiones omnes reliquæ ſequuntur, tum verò Judæorum Commentatores eandem agnoſcunt, & de ἐναντιοφανείᾳ inter hunc locum & illum Exodi monent. Sic Raschi ad h. l. Deuteron. ſcribit שֵׁשׁ יָמִים תֹּאכַל מַצּוֹת / וּבְמָקוֹם אַחֵר הוּא שִׁבְעַת יָמִי׳ וְגו׳ *Sex diebus comedes azyma, alio autem loco* (ſcil. Exod. XIII. 6.) *dicit ſeptem diebus* &c. Denique addimus, quòd nullo hîc violento remedio opus ſit, cùm ἐναντιοφάνεια facillimè tolli, & loca hæc commodiſſimè inter ſe conciliari queant.

III.

Circa hanc conciliationem autem non conveniunt Viri Docti. *Celeber.* Relandus *Antiqq. Hebraic.* P. IV. Cap. III. §. 2. ſtatuit, in numero ſex dierum omiſſum eſſe *primum*, nempe XV. Niſan, ídque, vel quia is Hieroſolymis tranſigendus, com. 7. vel quia illo comederint ex proventu anni elapſi, reliquis autem ſex hîc memoratis ex proventu novo, vel denique quòd eſus azymorum die primo, ſeu XV Niſan, eſſet חובה *debiti*, reliquis autem ſex diebus רשות *libertatis*. Cujus ſententiæ auctores laudat Veteres Judæos in *Sipbra* & *Mecbilta*, quibus addo Rabbi Salom. Isacid. ad Deut. loc. add. quóſque ibidem laudat Breithaupt. ut & Meierus *de feſtis Hebræor.* cap. XII.

Idem plerique Interpretes Christiani ſequuntur, unam alterámve allatarum rationum amplectentes, aut eaſdem ſimul enumerantes. Sed, ut verum fatear, mihi id planè non ſit probabile,

1. Quia Moſes diſertè ſeptimum diem à ſex modo nominatis diſtinguit. *Sex diebus comedes azyma &* Septimus *eſt* Azereth Jehovæ Dei tui. unde manifeſtum eſt, non *primum* τ̃ ſeptem dierum, ſed *ſeptimum* ſeu *ultimum* potiùs à ſex reliquis ſeparari, & ex numero τ̃ ſeptem eximi.

2. Quia idem Scriptor Sacer naturali ordine progreditur, & poſtquam in initio capitis generatim de feſto Paſchatis æquè ac ſequentibus ſeptem diebus feſti Azymorum monuiſſet, dein comm. 5, 6, 7, 8. addit ſigillatim, quomodo in feſto Paſchatis agnus mactandus atque comedendus, tum quid in feſto azymorum, quod

quod ſtatim ſequebatur, diebus ſex & denique ſeptimo ſit obſervandum, unde cum ratione aliter colligi nequit, quam *ſex illos* eſſe primos, ſeptimum autem ultimum feſti Azymorum.

3. Denique id locus parallelus Exod. XIII. 6. extra omnem dubitationis aleam ponit, uti enim dum illic dicitur: *ſeptem diebus azyma comedenda*, tum verò additur, & *ſeptimo eſſe feſtum Jehovæ*, clarè patet, primum diem ſine ullâ diſtinctione reliquis annumerari, ſed ſeptimum ab illis, quoniam peculiare quid in eo locum habebat, diſtingui, & in hac relatione ex pleno [illegible] ſeptem numero eximi, ita neceſſariò & hîc ſub ſex à ſeptimo diſtinctis, dies primus cum quinque ſequentibus comprehendi, ſeptimus autem ab illis diſtinctus, & eorum quoque numero exemptus, cenſeri debet.

I V.

Neque rationes, ob quas *Celeb.* RELANDUS, quósque ipſe ſequitur, JUDÆI, ſex dies ultimos feſti azymorum omiſſo primo intelligi volunt, mihi quidem ullo pacto ſatisfaciunt.

א Non primum, quod ſcilicet primus feſti azymorum dies Hieroſolymis tranſigendus, præterquam enim, quòd neque primo, neque ſecundo die Hieroſolymâ diſcedere licuerit, & licèt die tertio urgente neceſſitate permittatur, laudabilius tamen Judæi ſtatuant, per totum ſeptiduum illic manere, ut docet LIGHTFOTUS in *horis hebr. in Lucæ* Cap. II. 43. coll. ALTING. ad Deut. XVI. 7. Quid, quæſo, id faciebat ad ſubjectam materiam, de quâ noſtro commate agitur? quæ non alia erat quàm *eſus azymorum*, hic autem tam domi, & in omnibus finibus, quàm Hieroſolymis obſervari debebat, unde dies primus hac in re nihil privum præ reliquis ſex ſequentibus habebat.

ב Eodem modo comparatum eſt cum alterâ ratione, utrum enim de proventu veteri an novo comedendum, hîc non quærebatur, neque hoc diſcrimen, aut totam rem, vel verbo tangit Scriptor, ſed tantùm, quòd azyma comedenda, quod tam primo, quàm ſequentibus diebus fieri debebat.

ג Nec majoris momenti eſt tertia ratio, quòd die primo eſus azymorum ſit *debiti*, ſex ſequentibus *arbitrii*. Hoc enim fru-

ſtra aſſeritur, cùm contra Lex omnibus ſeptem diebus id maximè debiti faciat. *Septem diebus comedes azyma.* Exod. XIII. 6. imò *ſeptem diebus comedentur azyma, neque videbitur tibi fermentum, in omnibus finibus tuis.* ibid. com. 7. Quid quod? anima, quæ *ſeptem illis diebus fermentatum comederet, exſcindenda erat ex cœtu Iſraëlis.* Exod. XII. 19. Neque etiam videtur *Celeb.* RELANDUS hîc Judæorum mentem ſatis aſſecutus eſſe, cùm nullus eorum ſtatuat, licuiſſe ſex ſequentibus diebus firmentatum comedere, ſed tantùm die primo debitum fuiſſe, ut *panem afflictionis* ex farinâ ſolâ aquâ ſubactâ, comederent, diebus autem ſequentibus licuiſſe, ſi vellent, quædam addere, quæ panem ſapidiorem redderent; aut eorum loco panem ex oryza comedere, ut præter BUXTORFIUM *Synag. Judaic.* Cap. XVII. p. 400. docet BOCHART. *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. L.

V.

Ad nos itaque quod attinet, cum illis potiùs facimus, qui per *ſex dies*, ſex priores feſti Azymorum, inde à XV uſque ad XX. incluſivè intelligunt, per *ſeptimum* autem, qui verè ordine talis erat, ſcilicet *ultimum* ſeu *vigeſimum primum.* Ita jam præivit nobis KIMCHIUS, prouti ejus verba latinè reddita laudat MEYER. *de temporibus Sacr. S. feſtis Hebræorum* Cap. XII. §. XXIX. ſcribens: Dici poſſe „ Septem illis diebus duo feſta „ includi, videlicet FESTUM AZYMORUM & CLAUSULÆ ſive IN„ TERDICTI, illa comedenda: quando verò eadem dicit, *Sex* „ *diebus azyma comedes, & dies ſeptimus eſt feſtum clauſulæ* vel „ *interdicti*, ſignificat, *ſex illis diebus ſolùm fermento abſtinen*„ *dum*, aut *azyma comedenda*; at notabiliorem ſeptimum eſſe, „ nimirum עצרת AZERET *Clauſulæ* ſeu *interdicti*, quo *nullum* „ *opus facere cuiquam liceret.* Non malè rem breviter ita com„ plexus eſt ALTINGIUS ad h. l. De *ſolemni die obſervando* verſ. 8. „ *Sex dies azyma* &c. Septem dixit verſ. 3 & 4. neque hic nu„ merum minuit, ſed *ſeptimum* nova ſolennitate inſuper hono„ rat, fit ille *feſtus Domino*, & ut Sabbatha vacationem ab opere „ poſcit, quod intermediis diebus licitè fiebat.” conf. & CALOVIUS, nec non PATRICIUS & POLUS ad h. l. qui tamen & ex prioribus ſententiis quaſdam jungunt.

VI.

Digitized by Google

V I.

Ut autem locutionis hujus ratio propiùs pateat, obſervandum, nonnunquam qvidem præcedenti numero alium, & præcipuè quidem *unitatis* ſubjungi, ad res planè diverſas indicandas, ultimúmque præcedentibus in certâ quadam relatione opponendum, quemadmodum hac ratione ſex diebus hebdomadis labore tranſigendus opponitur ſeptimus, quo ab omni labore ceſſandum. Exod. XX. 9. ששת ימים תעבוד ועשית כל מלאכתך: ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך לא תעשה כל מלאכה SEX DIEBUS *laborabis & omne opus tuum facies*, SEPTIMUS *autem eſt Sabbathum Jehovæ Dei tui, nullum opus facies.* Aliquando autem *ultimum* à prioribus diſtingui, ſive tantùm per *gradationem*, ſive ut innuatur, *ultimum quidem ad claſſem priorum quoque pertinere, ſed tamen ſimul præ reliquis prærogativam quandam habere, atque in tantum ab illis omninò diſtingui debere*, vel, quod eodem recidit, non tantùm idem, quod de prioribus prædicatur, de ultimo quoqve verum eſſe, ſed in hoc inſuper aliud quid, quod ſubjungitur, adhuc locum habere. Priori ſenſu accipitur Prov. XXX. 15. שלש הנה לא תשבענה ארבע לא אמרו הון: *Tria hæc non ſatiantur, quatuor non dicunt, ſatis eſt.* id eſt *tria*, imò, *quatuor non ſatiantur* &c. & com. 18. שלשה המה נפלאו ממני וארבעה לא ידעתים *Tria hæc mirabilia præ me ſunt, & quatuor non novi*, i. e. *Tria*, imò *quatuor* &c. & com. 21. vid. præter GEIER. ad locum priorem, etiam, quem laudat, BOCHART. *Hieroz.* P.II. Lib.V. c.XIX. p. 800. nec non GLASS. *Philol.* Lib.III. Tract. VII. can. III. Eadem ratione GEIERUS duo loca, in quibus ſex ante memoratis eodem modo, ut hîc, ſeptimum ſubjungitur, accipit: Scilicet Prov. VI. 16. שש הנה שנה יהוה ושבע תועבות נפשו *Sex hæc odit Jehova, & ſeptem* (i.e. imò ſeptem) *abominationes animæ ejus.* & Job. V. 19. בשש צרות יצילך ובשבע לא יגע בך רע *In ſex anguſtiis eripiet te, & in ſeptem* (imò in ſeptem) *non tanget te malum.* Verùm uti in prioribus locis Prov. XXX. res manifeſta eſt, cùm pluralis numerus in

in verbo אמרו *dicunt*, & *affixo* ם ſatis doceat, per gradationem hîc de tribus, imò quatuor rebus ſermonem eſſe, ita duo ultima loca à multis poſteriori ſenſu ſumuntur, ita ut mens *Parœmiaſtis* ſit, *Deum ſex illa odiſſe*, hócque ſeptimum non ſolùm cum iisdem commune habere, ſed *illud adbuc ipſi magis diſplicere*, cùm animæ Jehovæ abominationi ſit: *loci* autem *Jobæi*, quòd Deus in ſex malis ſit liberationem conceſſurus, neque in ſeptimo idem tantùm exſpectandum, ſed & providam Dei curam in illo tantam futuram, ut ne ullum quidem malum ipſum tacturum ſit. Verùm licèt hæc ſpecie non careant, apodicticè tamen demonſtrari nequeunt, quia & prior ſenſus locum habere poteſt, imò illi numerus ordinalis שבע *ſeptem* (non שביעי *ſeptimus*) ut & pluralis תועבות *abominationes* in loco Prov. VI. maximè favere videntur. Quicquid autem hac de re ſit, id ſaltem certum eſt, quod ut rectè monuit Glaſſius l. c. ſæpe *iſtiusmodi locutio in eo, quod præcedentibus ſubjungitur, aliquid præ reliquis ſingulare, & in eo genere majus deſignat*: addo, quòd & *per ipſam gradationem aliquod incrementum ſignificationi accedit*, majórque & prægnantior ſenſus evadit. Hîc loci autem, ubi non ſolùm numerus ordinalis שביעי *ſeptimus* prioribus *ſex* jungitur, ſed & antea jam comm. 3. & 4. disertè monitum fuit, *ſeptem dies azyma comedenda eſſe*, indubium eſt, non poſſe eundem uſum ad *ſex dies* reſtringi, ſed potiùs innui, ſex priores dies eſum tantùm azymorum requirere, ſeptimum verò, licèt illo idem obtineat, hoc inſuper privum habere, quòd ſit Azereth Jehovæ, *nullúmque adeò opus illo peragere liceat*.

VII.

Dum his expeditis ad vocem עצרת *Azereth* delati ſumus, juvat in eam, de quâ in hunc diem maximo opere inter philologos controvertitur, paulò propiùs inquirere. Eſt enim ex illarum numero, quæ licèt aliquoties in ſacris occurrentes, admodum tamen obſcuræ ſunt, & de quarum uſu magis, quàm verâ ſignificatione hactenus conſtat. Ad uſum enim quod attinet, manifeſtum ſatis eſt, eam de die feſto aut ſolemnibus ſacris deſtinato uſurpari. Hinc enim aliquando cum voce חַג ſeu *feſto* conjun-

Digitized by Google

jungitur, ut Amoſ. V. 22. *Odi, ſperno, feſta veſtra, neque odorabor in* עצרות *veſtris.* Aliquando cum ſolemni *jejunio*, ut Joël. I. 14. *Sanctificate jejunium, proclamate* עצרה *Azara.* & II. 15. *Clangite buccinâ in Zione, ſanctificate jejunium, proclamate* עצרה *Azara.* Tum quoque quies ab omni opere eodem die exigitur. Lev. XXIII. 36. Deut. XVI. 8. Sigillatiùs adhuc in ſacris *ſeptimo diei feſti Azymorum* & *octavo tabernaculorum* idem nomen datur. Prius ex ipſo illo Deuteronomii loco patet, quem præ manibus habemus. Poſterius ex Lev. XXIII. 36. ubi de feſto tabernaculorum dicitur: *Septem diebus offeretis ſacrificium Jehovæ, ſeptimo die erit vobis convocatio ſancta, & offeretis ſacrificium Jehovæ,* עצרת היא AZERETH hæc (eſt) *nullum opus ſervile facietis.* coll. Num. XXIX. 35. 2 Chron. VII. 9. Nehem. VIII. 19.

V I I I.

JOSEPHUS eodem nomine inſigniri FESTUM PENTECOSTES ſcribit, *Antiq.* Lib. III. c. X. Τῇ πεντηκοστῇ, ἣν Ἑβραῖοι Ἀσαρθὰ καλοῦσι. σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν. *quinquageſimo die, quem Hebræi* ASARTHA *appellant, ſignificat autem hoc* PENTECOSTEN. Verùm dupliciter ob hæc verba vapulat, partim à Celeb. VITRINGA ad Jeſ. I. 13. quoniam Pentecoſten ita appellari ſcribit, cùm tamen hoc nomen veluti proprium *octavi diei feſti tabernaculorum, non verò Pentecoſtes* fuerit, licèt etiam *ſeptimo feſti Paſchatis* detur: partim verò à PETAVIO *Doctr. Temp.* Lib. VII. cap. XVIII. quòd ſignificationem Pentecoſtes voci huic tribuerit, quare uterque in eo JOSEPHI imperitiam accuſat. Verùm ad prius quod attinet, licèt certum ſit, FESTUM PENTECOSTES in ſacris nunquam hoc nomine venire, quod & JOSEPHUS nullibi dicit, indubium tamen eſt, JOSEPHI ætate illud apud Judæos omninò geſſiſſe, nam & CHALDÆUS INTERPRES *Pentecoſten* eo inſignivit, Num. XXVIII. 26. & in ſcriptis Judæorum nihil eſt frequentius. vid. BICCURIM cap. I. m. 3. MAIMONID. in *hilch. Temid. Umuſaph.* cap. VIII. §. 1. Imò apud ipſos Arabes PENTECOSTE, tam JUDÆORUM, quàm CHRISTIANORUM adhuc eodem nomine عنصرة venit, ut pluribus docuit BERNHARDUS ad l. c. *Joſephi.* Ad alterum quod ſpectat, *Celeb.* RELANDUS quidem

dem in *not.* ad h. l. cenſet, id rectè à *Joſepho* dictum eſſe, *non quod vi originis ſuæ idem notet*, *'Ασαρθα* & *πεντηκοστὴ*, *ſed quod Judæis in uſu quotidiano idem notet 'Ασαρθὰ* עצרתא *quod Pentecoſte, quum in ſacris literis hoc nomen aliis feſtis tribuatur:* dubito tamen, an hæc reſponſio omnibus ſatisfaciat, cum id jam verbis præcedentibus dixiſſe, & *τὸ σημαίνει* potiùs ad ſignificationem reſpicere videatur. Quicquid autem hac de re ſit, ſaltem indubium eſt, Judæos illud nomen quoque feſto Pentecoſtes dare.

I X.

Uti autem hæc de uſu vocis, tam in Sacris, quàm apud Judæos, ſatis perſpicua ſunt, ita ſignificatio vocis admodum obſcura eſt, unde *Celeb.* Meyer. *de feſtis* cap. XIII. & cap. XVI. varias aliorum explicationes enumerans, *ipſe tamen nihil determinat. Rev.* Wolfius autem in not. *ad Lund.* Lib. V. cap. XVI. *ſe ferè induci*, ait, *ut credat, quoniam duo reliqua majora feſta, ſcilicet Paſchatis & Tabernaculorum in Sacrâ Scripturâ* Azereth *appellentur, idcircò Doctores Judäicos etiam feſto Pentecoſtes ut tertio majori idem nomen dediſſe, neque tamen eo magnopere quid præterea intendiſſe.* Verùm vix credo hanc ſententiam aliorum calculos facilè laturam, neque enim duo reliqua festa majora, Paschatis & Tabernaculorum, ſed utriuſque ultimus tantùm dies hoc nomen accepit. Chaldæus Interpres reddit כנישן *congregationem*, aut *cœtum congregatum.* Verùm uti hujus ſignificationis veſtigia in ipſo themate עצר hactenus mihi in nullâ linguarum orientalium obſervare licuit, ita eadem nimis generalis eſt, omnibúsque diebus, quibus congregatio populi inſtituebatur, applicari poſſet. Græci aliquando ἐξόδιον reddunt, quod & Lundio maximè placet, verùm quo pacto id ſignificationi verbi עצר conveniat, nemo hactenus ſatis oſtendit, tum quoque feſto Pentecoſtes unico tantùm die conſtante, minus commodè vox hæc tributa fuiſſet. Poſterior hæc ratio quoque obſtat, quò minùs cum Raschio & Rambam, præeunte libro Siphre, ſignificationem *detinendi* eligam, quæ aliàs themati עצר convenit, ita ut octavus dies feſti tabernaculorum hoc nomine inſignitus ſit, quia eadem ejus ſit ratio, *ac ſi quis amicum ſuum per octo dies convivio excepiſſet, & ad propenſum animum eò magis teſtan-*

Digitized by Google

ſtandam eundem adbuc octavo detineret: præterquam quòd illud etiam in ſeptimum feſti Azymorum non quadret, & tota quoque hæc ſententia coactior videatur. *Celeb.* Dantzius in *Programm. Pentecoſtali ad Act.* II. 1. *apud Meuſchenium in Nov. Teſtam. ex Talmude* p. 738. ſeqq. ſingularem planè ſententiam fovet, in quâ tamen nonnulli Judæorum ipſi præiverunt, quod nempe à *coactione, coërcitione,* & *dominio* ita appelletur feſtum Pentecoſtes, quoniam in memoriam latæ legis inſtitutum, eóque Iſraëlitæ *receperint* in ſe *jugum regni cæleſtis,* ejúſque *coërcitioni* ac *Imperio* plenè ſe ſubjecerint. At hæc, quod pace Viri, cujus in linguam hebræam merita ſummopere veneror, dictum ſit, ſe mihi omnium minimè probat, cùm, ut alia mittam, vel hoc unum ſatis obſtet, quod ratio hæc in ultimum Paſchatis & Tabernaculorum diem, quibus tamen in ſacris unicè tribuitur, planè non quadret. Longè quidem melior primo intuitu videtur illa *Clariſſ.* Simonis in *Arc. Form.* P. I. p. 180. cui ex ſignificatione radicis Syriac. *collegit,* eſt 1. *feſtum, quo populus congregatur,* ſpec. & κατ' ἐξοχὴν *ultimus feſti dies,* 2. *Cœtus, populus collectus & congregatus.* Verùm licèt Castellus in *Lexico* hanc ſignificationem Radici Syr. tribuat, valde tamen vereor, ne Vir πολυγλωττότατος hîc aliquid humani paſſus ſit. Saltem in locis, quæ eum in finem adducit Deut. XX: 6. & Exod. XXVII: 20. illa non obtinet. In priori enim, licet is vertatur *collegit muſtum,* pro hebræo tamen חלל uſurpatur, imò uti longè rectiùs dicitur, *ex recens plantatâ vineâ muſtum exprimere,* quàm *colligere,* ita ordinaria ſignificatio *premendi, exprimendi, calcandi,* rectiùs ſine dubio ſervatur, quàm nova *colligendi* fingitur. In poſteriori autem, loco hebræi כתת de *oleo* adhibetur, atque adeò vel (oleum) *contuſum,* vel uti in additâ verſione factum eſt, *expreſſum* optimè redditur. Ne jam dicam, rationem nullam eſſe, cur, cùm tot congregationis ſolemnis dies eſſent, ultimus feſti Paſchatis & Tabernaculorum hac inprimis appellatione inſignitus ſit, præcipuè cùm populus illo non magis quàm præcedentibus congregaretur, ſed ejus congregatio tantùm continuaretur. Communiſſima explicatio eſt, quæ à *claudendi* ſignificatione petitur,

 ita

ita ut ultimus feſti Paſchatis & Tabernaculorum dies ſic appellatus ſit, quia uterque clauſula feſti eſſet; Pentecoſti autem idem nomen à RABBINIS datum ſit, quoniam *computum ſeptem hebdomadum inde à die poſtriduano Sabbathi clauderet*, unde & à Judæis עצרת של פסח *Azereth Paſchatis* dicta ſit. conf. COMP. DE VEIL in not. ad MAIMON. *Kele hammikd.* c. III. §. 6. MEIER. in *Seder Olam Rabba* p. 290. ſeqq. & RELAND. *Antiqq.* P. IV. c. IV. §. II. Non diffiteor, me quoque hactenus in eadem hæreſi fuiſſe, at poſtquam hac occaſione omnia denuò ſub examen revocavi, graviſſimis rationibus inductus, ſententiam hanc nunc penitus repudiandam eſſe cenſeo. Idque

1. Quia clariſſimè deprehendi, dari hoc nomen feſto, in quo nulla præcedentium dierum clauſula locum habet. Sic de FESTO BAALIS dicitur 2 Reg. X. 20. Et dixit Jehu קדשו עצרת לבעל *Sanctificate* AZERETH *Baali.*

2. Ipſa illa locutio *ſanctificationis*, vel ut aliàs dicitur, *proclamationis Azereth*, quæ Joël. I: 14. & II: 15. occurrit, idem confirmat, nunquam enim ultimus feſti dies ſigillatim ſanctificatus aut proclamatus eſt. Quod ſi dicas, vel generaliorem feſti appellationem uſu dein κατ' ἐξοχὴν ultimo feſti diei datam, vel contrà peculiarem ultimi diei denominationem ad feſta generatim tranſlatam eſſe, non ſolùm dices, quæ ſine fundamento ex ingenio fingis, nec probare poteris, ſed & minus convenientia loqueris: ſi enim ultimus dies ita appellatus ſit, quoniam feſtum claudat, ratio hæc in feſta generatim non quadrat, generalis autem feſtorum appellatio contrà, ultimo duorum feſtorum diei non magis, quàm multis aliis competit. Imò audacter addo, falſum eſſe, quòd vel peculiaris ultimi diei appellatio ad feſta generatim, vel generalis feſtorum ad ultimum illum diem ſigillatim tranſlata ſit, quia nullo exemplo oſtendi poterit ſive in hebræâ, ſive ullâ aliâ orientis linguâ, vocem hanc de feſto generatim uſurpari, ſed ſemper eodem potiùs ſenſu adhibetur, ut ſtatim videbimus, ob quem & diebus illis memoratis tribui ſolet.

3. Quod ſi dies ultimus ita à *clauſulâ* appelletur, mirum foret; quod

quòd Rabbini ultimos aliorum feſtorum, per plures dies continuatorum, ut inprimis Festi Encæniorum, non eodem nomine inſigniant.

4. Quod autem ad appellationem illam עצרת של פסח Azereth Paschatis, quam Rabbini feſto Pentecoſtes dediſſe dicuntur, attinet, obſervandum, nondum quidem ſatis patere, quòd hæc appellatio vulgò recepta fuerit. Neſcio an alius hactenus locus productus ſit, præter quem protulit *Cel.* Relandus ex *Middraſch Schir Haſſchirim*, non ut mendoſè illic legitur f. 36. 1. ſed f. 34. 2. Ubi tantùm ex ſententiâ R. Josuæ F. Levi dicitur, conveniens videri, ut עצרת של חג Azereth *feſti tabernaculorum diſtet ab hoc feſto 50 diebus, quemadmodum* עצרת של פסח Azereth Paschatis (ſeu, *ut reſpondeat* τῷ Azereth Paschatis.) Tum verò ratio redditur, quare id locum non obtineat, quam & Relandus attulit. Deinde nullo indicio conſtat, ſive hic doctor ſolus, ſive & alii in vulgari uſu hanc appellationem feſto Pentecoſtes tribuerint, id eo ſenſu factum eſſe, quia illud quaſi *clauſula Paſchatis* eſſet. Sæpe enim Judæi non attendentes ad ſignificationem, denominationes à rebus certam ad alias relationem habentibus, ad alias in ſimili relatione conſtitutas transferre ſolent, atque ita & feſto Pentecoſtes nomen Azereth Paschatis dare potuerunt, quoniam uti *Azereth feſti tabernaculum* eſt ſimul *feſtum per ſe*, & certo reſpectu quoque, dum ſeptem dies tabernaculorum ſequitur, ut ultimus & octavus feſti illius conſideratur, ita & *dies Pentecoſtes* eſt feſtum per ſe, & ſimul certam relationem ad feſtum Paſchatis habebat, dum poſt elapſos ſepties ſeptem dies ſequens ultimus quaſi ſeu 50^mus^ in illo computo erat, indéque jam finitâ meſſe, quæ ſecundo Paſchatis inceperat, licebat ferta ad altare adducere. Denique ſi vel maxime R. Jehuda aut alii quoque Pentecoſten ita dictam velint, quaſi *clauſulam Paſchatis*, eorum non magis hîc, quàm in aliis, infallibilis erit auctoritas, ſed ob rationes idoneas hæc explicatio, eodem jure quo multæ aliæ, rejicietur.

X.

Ad nos itaque quod ſpectat, hactenus præferendam ſenten-

tiam cenſemus, quæ ab INTERDICTO OPERE nominis hujus rationem repetit. Idque

1. Quia id maximè convenit vulgatiori verbi עצר notioni, *continendi*, *retinendi*, *cobibendi*, quam cum illâ *premendi* eleganter conciliat *literaturæ orientalis immortale decus* ALB. SCHULTENS *luculento commentario* in Job. IV. 2. atque ita uſurpatur de rebus, quæ dum cohibentur, ceſſant, ut *pluviâ*, quò minus cadat, Deut. XI. 17. *aquis*, quò minus fluant, imò quò penitùs exareſcant, Job. XII. 15. הן יעצר במים ויבשו *Ecce coërcebit aquas & exareſcent.* Ubi idem *Cel.* SCHULTENS rectè monet: *Ad decus Linguæ paucis teneatur* עצר *in aquis eam inferre* COHIBITIONEM *&* COMPRESSIONEM, *quâ conſtrictæ quaſi fluere nequeant; ſive jam* COELESTES *intelligas, ſive è* FONTIBUS ORIUNDAS. *Verbis*, quò minùs proferantur, ut Job. IV. 2. ועצר במלין מי יוכל *at* COHIBERE VERBA *quis valeat?* nec non XXIX. 9. שרים עצרו במלין וכף ישימו לפיהם *Principes* COHIBEBANT VERBA, *manúmque ori imponebant.* Neque alia ratio eſt ſignificationis *retinendi* aut *detinendi*, quò minus nempe quis progrediatur. Jud. XIII. 15. Atque ita denotabit vox עצרת *cobibitionem*, ſcil. *operis*, quò minùs, nempe, id peragatur, aut continuetur.

2. Atque hoc non obſcurè ipſa lex indigitat, quando disertè, quaſi explicationis cauſâ addit, Lev. XXIII. 36. AZERETH *bæc eſt*, NULLUM OPUS SERVILE FACIETIS. coll. Num XXIX. 35. & Deut. XVI. 8. *& ſeptimo die eſt* AZERETH *Jebovæ Dei tui*, NULLUM OPUS FACIES.

3. Quod tantò magis valere debet, quia eadem planè locutione de Sabbatho dicitur. Exod. XX. 10. *Et die ſeptimo* SABBATHUM *eſt Jebovæ Dei tui*, NON FACIES ULLUM OPUS. & paſſim.

4. Adde quod & ipſum verbum עצר aliàs ejusdem cum verbo שבת ſignificationis eſt, & utrumque, hoc quidem præcipuè *activè*, illud *paſſivè* pro *ceſſare* uſurpatur. conf. Geneſ. cap. VIII. 22. Joſ. V. 12. Neh. VI. 3. cum Num. XVI. 48, 50. XXV. 8. 2 Sam. XXIV. 21, 25. 1 Chron. XXI. 22. Pſalm. CVI. 30.

5. Idem egregiè omni vocabuli hujus uſui reſpondet. Sic enim ratio

Digitized by Google

ratio manifeſta eſt, quare licèt per ſe feſtum non denotet, tamen de *talibus diebus feſtis, quibus ab omni labore ceſſandum* erat, non ſolùm uſurpari, *cúmque voce* חג *conjungi* Amos V. 21. ſed dein ſatis commodè etiam ad *feſtum Pentecoſtes* transferri potuerit, quia illo eadem quies & abſtinentia obſervanda; quemadmodum inde quoque patet, quare nunquam de חול מועד ſeu diebus feſti intermediis, adhibeatur, quoniam nempe illis quidam labor licitus erat.

6. Nec de nihilo eſt, quòd ſimul cum jejunio conjungatur, imò permutetur Joël. I. 14. *Sanctificate jejunium, proclamate* עצרה conf. II. 15. cujus rei non ſatis commoda ratio ex ullâ reliquarum ſententiarum dari poteſt, inprimis ſi cum præcedente argumento id comparetur, cùm propriè dicta *feſta* חגים & *jejunia* apud Judæos adeò diverſa fuerint, ut ne in unum quidem diem cadere poſſent, feſta enim cum gaudio tranſigi debebant, nec illis jejunare licebat, vid. Reland. *Antiqq. Hebr.* P. IV. Cap. X. §. II. At ex noſtrâ hac ſententiâ, ratio manifeſta eſt, quia in jejuniis ſolemnioribus æquè ac propriè dictis feſtis, à labore ceſſandum erat. Imò ſi quis etiam generaliorem cohibitionis, cessationis aut abstinentiæ vocem pro re natâ & ubi circumſtantiæ id permittunt, paulò latius quàm ad laborem & opus extendi poſſe, cenſeat, adhuc clariùs patebit, in omni emphaſi eandem de jejuniis adhiberi. In ſolemnioribus enim & gravioribus jejuniis non ſolùm à labore, ſed & *cibo*, *potu*, *lotione*, *unctione*, *συνουσίᾳ* &c. abſtinendum erat, v. Taanith Cap. I. m. 6. & ibi Lundius in not. conf. Bartenor. ad *Joma* Cap. VIII. m. 1. & Reland. *Antiqq.* P. IV. Cap. VI. §. III.

7. Omnia hæc fortè propius non ſolùm ex Jeſ. I. 13, 14. confirmari, ſed & loco huic difficillimo lucem accendere poſſunt, quando Deus proteſtatur: *Ne pergatis offerre fertum vanum, ſuffitus mihi abominationi eſt. Novilunium & Sabbathum, convocanem ſanctam,* (ferre) *nequeo* און ועצרה. Ubi miſerè ſe in vocum און ועצרה explicatione Interpretes torquent. Præcipuas eorum ſententias recenſet *Cel.* Vitringa, ſed quæ omnes vel aliquid demunt, vel addunt verbis textûs, aut eadem in alienum ſenſum detorquent, ut adeò illas recenſere, ſit refutare. Sic

Arabs

Digitized by Google

Arabs omittit vocem אין, Syrus reddit, *non comedo fraude & coactu parta.* Raschi: *Non poſſum ferre* INIQUITATEM, *quæ eſt in animo veſtro propendente ad idolaltriam, & ſimul cum eâ* CONGREGATIONEM. *Hæc enim duo inter ſe non conſiſtunt:* à quibus parum abeſt Abarbanelis explicatio. *Cel.* Vitringæ magis placet ſententia Calvini: *Res vana eſt. nec conventum;* ac ſi illud אין παρενθετικῶς orationem interrumperet. Verùm præterquam quòd ipſe obſervet, *illi punctationem Maſoretharum non favere,* obſtat eidem, quòd nulla iſtiuſmodi παρενθέσεως veſtigia adſint, illam autem ſi absque omni fundamento fingere liceret, certè ubique pro lubitu verborum ordo mirum in modum per inſertas parentheſes turbari poſſet. Nec melior eſt, quam ipſe tandem *Cel.* Vitringa præfert, & in quâ eruditi Belgæ præiverunt, interpretatio. *Res vana eſt, etiam conventus,* ſive, ut Latini dicerent, *Res vana eſt vel conventus.* Uti enim & hæc vel ipſo ſono admodum coacta eſt, ita exempla, quæ pro illâ adfert, nihil probant, cùm talis uſus particulæ ו in orationis conſtructioniſque ulteriori continuatione, haud difficulter quidem admitti queat: hîc autem conſtructio præcedentis verbi cum nominibus quarti caſûs: *Neomeniam & Sabbathum non poſſum ferre,* ſubitò debeat abrumpi, & in ſolâ voce אין absque verbo, nova planè formari. Saltem unusquisque facilè intelliget, extrema hæc remedia eſſe, ad quæ non facilè deveniendum, inprimis ſi alia flumini totius orationis exactè reſpondens explicatio dari queat. Hanc autem illa, quam dabimus, obſervatio ultrò ſuppeditat. Scilicet vox אין apud Arabes أون *quietem, tranquillitatem* denotat, eandémque ſignificationem alia ejusdem Radicis ſtabiliunt, nam & آن *quievit, placidè, tranquillè ſe habuit &* أين pro أون *Vir tranquillus* eſt. Hoc igitur ſenſu ſi vox אין hîc loci quoque ſumatur, egregiè non ſolùm hæc duo convenient, ſed & totus ſermo ſine ullo hiatu ſponte fluet: *Neomeniam & Sabbathum non poſſum ferre, quietem & abſtinentiam.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

DE

MERCEDE MERETRICIA ET PRETIO CANIS AD DOMUM JEHOVÆ NON ADFERENDO.

AD DEUT. XXIII. 19.

I.

Quàm plana primo intuitu videntur verba Legis hujus Deut. XXIII. 19. לא תביא אתנן זונה ומחיר כלב בית יהוה אלהיך לכל נדר כי תועבת יהוה אלהיך גם שניהם : *Non adduces mercedem meretricis & pretium canis ad domum Jehovæ Dei tui, ex ullo voto; quia utrumque abominatio eſt Jehovæ Deo tuo*, tam eorum vera ſignificatio, ipſiúsque adeò Legis ſcopus atque ratio hactenus incerta manſerunt, diverſíſque adeò Interpretum ſententiis anſam præbuerunt.

I I.

Ubi primò quidem quod ad mercedem meretriciam attinet, in eâ quidem non opus eſſet, ut hæreremus, niſi tum quorundam circa etymon ejus & ſignificationem fluctuatio aut error, quàm JUDÆORUM RABBANITARUM inprimis παρερμηνεία nos in tranſitu quædam monere juberet. Et quod ad etymon quidem atque ſignificationem attinet, multi vocem à זון *cibavit*, *aluit*, deducunt, atque adeo non tam MERETRICEM, quàm CAUPONARIAM denotare volunt, inprimis quia CHALDÆUS in quibusdam locis eam reddit פונדקיתא *Pundekita*, quod ipſum Græcorum πανδοκεύτρια eſt. Verùm uti hæc derivatio minùs eſt conveniens, cùm vel ipſa vocis forma potiùs radicem זנה *ſcortatus eſt*, requirat, & affinia, atque ab eodem themate deſcendentia vocabula זנות & תזנות *ſcortatio*, derivationem hanc non minùs quàm ſignificationem

 mere-

Digitized by Google

meretricis tam luculenter confirment, ut meritò pronunciet *Summus* Coccejus, quæ de priori illo etymo & ſignificatione dicuntur, *nullâ probabilitate nixa eſſe, nec analogiâ linguæ.* Accedit, quod & lingua Arabica eam, quam amplectimur ſententiam, egregiè corroboret, ubi & ab eodem themate زني *ſcortatus fuit* زانية de *meretrice* uſurpatur. Non minùs autem hinc manifeſtum eſt, quàm longè à ſcopo aberrent Rabbini, qui per זונה hîc non quamcunque meretricem, ſed talem tantùm intelligi volunt, quam ducere alicui nefas eſt. Ita Maimonid. *in* Hilch. *Iſſure Hammisb.* cap. IV. §. 8. אחד זונה גויה או שפחה או ישראלית שהיא ערוה עליו או מחייבי לאוין · אבל הפנויה אפילו היה כהן אתננה מותר · וכן אשתו נדה אתננה מותר אף על פי שהיא ערוה : i. e. *perinde eſt, utrum ſit ethnica, aut ſerva, aut Iſraëlitis, quæ ex earum numero quarum inceſtæ ſunt nuptiæ, aut præcepto negativo interdictæ. Sed cælebs, etiamſi cum illâ Sacerdos coïerit, pretium* (pro concubitu datum) *licitum eſt, licèt ejus conjugium ſit inceſtuoſum.* conf. & *Toſeph.* Jom Tobh & *Gemara* ad Temurah cap. VI. m. 2. Eſt autem hoc ex communi illâ Rabbanitarum ſententiâ, quòd illæ ſolæ, quarum nuptiæ inceſtæ aut interdicto prohibitæ (i. e. quas ducere nefas eſt) ſunt, ſub nomine זונה *meretricis* intelligantur, quod fuſius idem Maimonid. docet in *Hilch. Iſſure Biah* cap. XVIII. §. 1, 2. מפי השמוע׳ למדנו שהזונה האמורה בתור׳ היא כל שאינ׳ בת ישראל . או בת ישראל שנבעלה לאדם שהיא אסורה להנשא לו איסר השוה לכל · או שנבעלה לחלל אף על פי שהיא מותרת להנשא לו · לפיכך הנרבעת לבהמה אף על פי שהיא בסקילה לא נעשת זונה ולא נפסלה לכהונה שהרי לא נבעלה לאדם והבא על הנדה ואפע׳ שהיא בכרת לא נעשה זונה· ולא נפסלה מכהונה שהרי אינא אסורה להנשא לו : וכן הבא על הפנויה אפילו היתה קדשה שהפקידה עצמה לכל אף על פי שהיא במלקות לא נעשה זונה · ולא נפסלה מן הכהונה שהרי אינה אסורה להנשא לו ·אבל הנבעלת לאחת מאסורי לאוין השון בכל ואין מוחדין בכוהנים · או מאיסורי

עשה

עשה ואין צריך לומר למי שהיא אסורה לו משום ערוה או לגוי ועבד הואיל והיא אסירה לו להנשא הרי היא זונה: *Ex traditione didicimus, quòd meretrix, cujus in Lege ſit mentio, appellatur quæ non eſt filia Iſraëlitæ: aut filia Iſraëlitæ, quæ ſubacta eſt à Viro, cui interdicta eſt, & quidem interdicto quod omnes æqualiter ſpectat: aut quæ ſubacta eſt ad profanationem, etiamſi ceteroquin ei licitè nubere poterat: Hanc ob cauſam quæ ſuccubuit animali, licèt lapidationis rea ſit, non tamen facta eſt meretrix, neque illegitima eſt, ut nubat Sacerdoti, quoniam non eſt ſubacta ab homine, ſic ſi quis congrediatur cum menſtruatâ, licèt hæc excidii rea ſit, non* (tamen) *eſt facta meretrix, neque illegitima eſt Sacerdoti, quoniam interdicta non eſt, quò minus illi nubat. Eadem ratione, ſi quis concumbat cum cœlibe, licèt ſit proſtibulum, quod ſe omnibus proſtituit, etiamſi pœnam flagellationis meretur, non eſt facta meretrix, neque illegitima eſt Sacerdoti, neque enim interdictum eſt, quò minus illi nubat. Verùm quæ ſubacta eſt alicui, cui ob interdictum negativum omnibus commune, nec ſolis Sacerdotibus privo, nubere non poteſt, aut ob interdictum affirmativum, neque opus eſt dicere, quòd ipſi interdicta ſit ob inceſtum, aut* (ſi concubuerit) *cum ethnico aut ſervo, quoniam ipſi nubere non poteſt, ecce hæc eſt* MERETRIX.

Verùm in his omnibus multifaria atque infanda Scripturæ ϛρέβλωσις eſt. Ne enim jam dicam, horrendum planè eſſe, cùm Sacerdoti meretrix interdicta ſit, eidem talem, quæ longè atrocius crimen cum bruto commiſerit, permittere, hac ſanè ratione plurima ſcortationis genera diſertè licita pronunciantur, vagáeque libidini lata porta panditur, ſícque traditionibus humanis multis modis Legi divinæ derogatur. Quare ſummo jure hanc παρερμηνείαν Rabbanitarum longè ſobriùs ſaniúsque ſentientes KARRÆI graviſſimè deteſtantur. Inſignis locus eſt, qui in libro MSC. Karraitico quantivis pretii, לחם שעורים ſeu *Panis bordeaceus*, quem dudum prelo paratum ſervo, & unde jam nonnulla in *Diſſert. poſter. de die, quo Servator Paſcha θανάσιμον comedit*, produxi, occurrit, dignúsque quem hîc cum Lectore communicem. Ita autem Auctor, poſtquam ipſa hæc MAIMONIDIS verba adduxiſſet, pergit: הנך רואה שכל הסבות

שיודמנו

שזרכנו מצד הזנות הכשירו וכל מעשי זמה התירו ואיך תקראו זרע קדש והשי"ת אינו חפץ בכל הפעלות כאלו כאשר גנה ע"י נביאיו בתכלית הגנות. *Ecce vides, quòd omnes cauſas, quas excogitarunt à parte ſcortationis, licitas fecerunt, & omnia opera impudicitiæ permiſerunt. Quomodo igitur vocabimini ſemen ſanctum. Deus autem benedictus minimè delectatur omnibus iſtiusmodi operibus, quemadmodum illa abominatus eſt per manus Prophetarum ſuorum ſumma abominatione.* Quare cùm ipſa vox latioris ſit ſignificationis, nec in ipſâ Lege ulla reſtrictio occurrat, nec cum ratione cogitari queat, non omnia impuri concubitûs atque fornicationis genera ſanctiſſimo Numini eſſe exoſa, certum potiùs atque indubium eſſe cenſemus, omnem hîc meretricem, ſeu quæ ſe illegitimo concubitu polluerat, intelligi debere.

I I I.

Præcipuam autem difficultatem hîc nonnulli in voce Canis nectunt, utrum nempe illa ſenſu proprio, an improprio, ſit accipienda. Multis poſterius placet, quibus idcircò idem, qui com. præcedente קדש *Cynædus* appellatus erat, hîc *Canis* nomine, ob extremam impudicitiam, ſeu quia talis canes in viâ coëuntes imitatur, venire videtur. Hanc ſententiam optimis Interpretibus tribuit *eruditiſſimus* Calmetus, ſcribens: *Les meilleurs Interpretes prennent le nom du Chien en cet endroit, pour marquer les mémes debauchez dont nous avons parlé au verſet precedent.* Idem poſtquam aliquot eorum, puta Menochium, Bonfrerium, Piscatorem, Junium, Gerhardum, enumeraſſet, quibus addi poſſunt Abarbanel, Fesselius & Muys, quos adducit Spencerus Lib. II. cap. XXXVI. ut & præter hos adhuc inprimis Polus atque Clericus nobis obſervati.

I V.

Ad nos autem quod attinet, uti omnium horum Virorum laudi nihil detractum volumus, ita tamen nobis perſuadere minimè poſſumus, eos rem acu tetigiſſe, ſed cum illis potius facere cogimur,

gimur, qui verba de *propriè dicto Cane* accipienda eſſe ſciſcunt. Doctè inprimis hanc cauſam agit *Summus* BOCHARTUS in *Hieroz.* P. I. Lib. II. cap. LVI. & poſt illum modo laudatus SPENCERUS loco adducto, idque ex eo præcipuè fundamento, quòd *tropis & metaphoris uti non ſolent Legislatores, ſed dicta ſua verbis propriis efferre, ne ulla ſubſit æquivocatio.*

Quibus quidem opponit CLERICUS, *multas voces tropicas ita uſu tritas eſſe, ut in certa vocum junctura nullam habeant amplius ambiguitatem: quin & falſum eſſe, quòd non ſint tropi in legibus Moſaicis, cùm in iis non modo tropi, ſed & ſymbolicæ multæ leges ſint.* Verùm uti id nemo facilè negabit, ita rem minimè conficit: aliud enim eſt, an locutiones metaphoricæ, uſu ita receptæ, ut propriis æquipolleant, nec ſenſu proprio uſurpari ſolitæ, adhibeantur, aliud, an voces ſenſu proprio quotidiè in vulgari ſermone æquè, ac ipſâ ſcripturâ S. adhibitæ, hoc planè miſſo in brevioribus legibus, ſenſu maximè improprio uſurpentur, quod vel unico exemplo oſtendere CLERICUS debuiſſet. Deinde certum quoque eſt, Leges multas eſſe ſymbolicas, verùm æquè indubium eſt, in illis tum proprium ſenſum minimè rejici, ſed potiùs ut primum & proximum ſupponi, ipſam autem rem iſtiuſmodi verbis ſignificatam ſimul emblema alterius rei gerere.

Sic in Lege *de bove triturante non capiſtrando Deut.* XXV. 4. bos minimè ſignificat *Doctorem Eccleſiæ*, ſed propriè dictum *bovem*, omninóque κατὰ τὸ ῥηθὸν lege hac vetatur, ejus os capiſtro obturare, licèt in ſenſu altiori ſymbolicè, ipſo PAULO Interprete, ſimul innuatur, *illos qui altari deſerviunt, ex altari quoque vivere debere* 1 Cor. IX. 9. Huic autem *Cel.* BOCHARTI argumento, quod primo hîc loco conſtituere volui, plura alia adhuc addere licet. Huc refero

2. Æquiſſimam illam regulam hermeneuticam, quod verba tamdiu ſenſu proprio accipi debeant, donec nos aliqua neceſſitas cogat, ut inde recedamus. Quæ tanti momenti eſt, ut ſine illâ nunquam in ullo, nedum ſacro ſcriptore, ritè explicando ſatis ſolidè progredi queamus, quin eadem neglectâ quidvis ex qvovis pro lubitu fingere liceret. Imò quod magis

eſt, non præſuppoſito (multo magis autem penitùs neglecto) proprio & literali ſenſu, ne quidem licet illi ſymbolicum ſuperſtruere. Quâ in re ipſe Apoſtolus exemplo ſuo prudentiſſimè præit, dum ut evincat lege illâ de bove triturante non capiſtrando, ſenſum altiorem & ſymbolicum ſubeſſe, oſtendit, neceſſitatem id flagitare, quia ceteroquin ſapientiâ Dei minus dignum foret, tale quid boum propriè dictorum cauſâ ſolùm præſcribere: Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ; Ἢ δι' ἡμᾶς πάντως λέγει; 1 Cor. IX. 9, 10. Hanc igitur neceſſitatem prius demonſtrare debuiſſet Clericus, & quicunque cum illo ſentiunt, & hîc loci obtinere, ut in locum ſenſûs proprii improprius ſubſtituatur, antequam illum cum ratione rejicere potuiſſent. Quæ autem in ſpeciem adfert, nullam planè demonſtrationis aut ſolidæ rationis vim habent, ut de nonnullis ſtatim patebit, nonnulla autem potiùs contra ipſum militant, noſtráeque ſententiæ adſtruendæ quàm maximè inſerviunt.

3. Ita cum illo comparatum, quod ſtatim in acie collocat, ſcribens: „ Certè poſtquam Moſes memoravit *meretricem* & „ *cynædum*, & iterum loquitur de *meretrice* & *cane*, quis dubi- „ tet, quin idem utrobique ſit intelligendum? " Quæ enim quæſo ſatis opportuna ratio excogitari poteſt, cur Legislator à locutione propriâ, quâ modo uſus erat, commate ſequente diſcedat? aut cur *meretricis* nomen proprium repetat, pro altero autem *Cynædi* improprium *Canis* ſubſtituat? aut cur loco poſterioris tantùm nomen *Canis* adhibeat? cum tamen Canes non tantùm impurorum iſtiusmodi adoleſcentum, ſed etiam meretricum emblema gerere ſoleant, quemadmodum ipſe Junius ad h. l. obſervavit Horatium *Epod.* 5. ſic de meretricibus loqui: *Suburranæ latrent Canes.* Unde inverſâ Clerici argumentatione potiùs dicerem, certè *poſtquam Moſes memoravit* Meretricem *&* cynædum, *& iterum loquitur de* Meretrice *&* cane, *quis dubitet idem minimè utrobique intelligendum eſſe?*

4. Denique licèt in explicatione ſcripturæ S. aliorum auctoritate ſemper ſtandum eſſe, minimè ſtatuamus, non exiguo tamen contra illam allegoricam interpretationem præjudicio eſt, quòd nulla omnium antiquiorum verſionum, nullus omnium, quan-

quantum quidem ſcio, Veterum Interpretum illi faveat, non obſcuro indicio, priſcam *Eccleſiam Judaicam* minimè hac ratione, ſed potiùs propriè verba accepiſſe, atque allegoricam illam explicationem in recentiorum demum interpretum cerebro natam eſſe.

V.

Ut autem ad propiorem ipſius legis expoſitionem progrediamur, id quod Deus hîc ad domum ſuam adduci vetat, אתנן זונה & מחיר כלב appellatur. *Magnus* CASAUBONUS in not. ad SUETON. CALIGUL. cap. XL. cum *hebræo* אתנן confert *græcum* ἔδνον hócque ex illo ortum cenſet, ſed non magnâ probabilitate, judice quidem *Cel.* WAGENSEILIO in *Sota pag.* 255. Deducunt autem nonnulli vocem à Rad. נתן verùm cùm ſic *nun* radicale deberet regulariter per dageſch compenſari, rectiùs KIMCHIUS ad *Hoſ.* II. 12. radicem ſtatuit תנה *paciſci*, quod inprimis altera vox אתנה quæ ejuſdem cum אתנן ſignificationis eſt, confirmat. Ut adeò אתנן vi originis propriè ſit tale quid, quod ex pacto datur. κατ' ἐξοχὴν autem in ſacris, ſive nudum æquè ac אתנה ſive additâ diſertè voce זונה de eo, de quo quis convenit, quódque adeò quaſi ex pacto pro concubitu cum meretrice ſolvit. v. HOSEÆ loc. adduct. ut & IX. 9. & *Jeſ.* XXIII. 17, 18. Ezech. XVI. 32, 34, 41. & Mich. I. 7. uſurpatur, quemadmodum & verbum התנה de ipſâ conductione adhibetur. Hoſ. VIII. 9, 10. Hinc non malè אתנן definiunt Rabbini in TEMURAH cap. VI. m. 2. איזהו אתנן האומר לזונה הוליך טלה זה בשכרך אפילו הן מאה כולן אסורין: *Quid eſt* אתנן? *Si quis dixerit meretrici, aufer agnum hunc pro mercede tuâ, quod ſi etiam* (numero) *centum fuerint, omnes vetiti ſunt:* quia ſcil. meretrici in mercedem aſſignati. Ibidem rectè ſatis ſubjungunt, ſi quis etiam non cum meretrice ipſâ, ſed cum meretricis domino de hac mercede pactus ſit, idque non pro ſe, ſed pro ſervo ſuo, eandem ejus rationem eſſe: וכן האומר לחבירו הוליך טלה זה ותלין שפחתך אצל עבדי ר' מאיר אומר אינו אתנן וחכמים אומרים אתנן: *Ita quoque ſi quis*

quis dixerit proximo ſuo, ſinito pernoctare ancillam tuam cum ſervo meo, Rabbi Meier *quidem dicit, non eſt* אתנן (*merces meretricia*) *ſed ſapientes dicunt, eſt merces meretricia.* Et rectiſſimè quidem, cum res ſit eadem, ſive merces ipſi meretrici, ſive ejus Domino, ab ipſo qui cum illa concumbit, vel ab alio ejus loco detur, quia tamen pro concubitu meretricio ſolvitur. Ad eundem locum in Gemara fusè diſputant, quare ſi vel ad centum oves uſque dederit, omnes pro mercede lege hac vetitâ habeantur, tum quoque quid ſtatuendum ſit, ſi dederit quis meretrici mercedem, ſed ad eam non appropinquaverit, aut concubuerit cum illâ, & diu poſt illi mercedem ſolverit, verùm cum hæc ad inanes quæſtiones & vitilitigationes Rabbinorum maximè pertineant, illis non immoramur, quibus volupe eſt, illa locis adductis fuſius relegere poterunt, nobis enim ſatis eſt, ut ex dictis patet, quicquid quis pro concubitu cum meretrice ſolverit, cujuſcunque etiam illud generis, aut quocumque etiam tempore id datum fuerit, id omne verbis Legis hujus comprehendi.

V I.

Ad מחיר כלב quod ſpectat, vulgò ab omnibus vox מחיר ſolet *pretium* reddi. Sed in etymo & ſignificationis ratione adſignandâ minùs conveniunt. Multi eam à מכר *vendidit* deducunt, ח & ך inter ſe permutatis, v. *Clariſſ.* Simonis *Arcan. Formar.* p. 116. conf. & *Celeb.* Cocceji *Lexicon & Clariſſ.* Clodii *Lexicon Selectum* p. 314. Verùm etſi ſignificatio ſatis conveniat, nec literarum harum permutatio planè infrequens ſit, v. *Celeb.* Schultens in *Clavi Dialect.* p. 235. (licèt idem moneat vix ullam literam τῶ ח eſſe conſtantiorem,) non tamen exiſtimem ſine ſummâ neceſſitate eò deveniendum eſſe, inprimis quia utriuſque radicis מחר & מכר vocabula in eadem linguâ hebræâ, ídque, quod probè notandum, diverſiſſimo ſignificatu in uſu ſunt. Kromayerus *de uſu Ling. Arab.* p. 170. cenſet deduci poſſe ab arabico مجر quod in IV. Conjug. denotat, *emit, vendidit*, unde مجر *fœnus.* Verùm ipſe tamen in

in eo non ſubſiſtit, quia ח & ج variè pronuncientur, adde quod & non facilè hujus mutationis exemplum adduci queat; ſaltem nullum ejus habet ſæpius laudatus diligentiſſimus talium inveſtigator SCHULTENSIUS. Alii itaque in radice מחר rectè ſubſiſtere maluerunt, ſed in ejus applicatione tamen mirè hallucinati ſunt. dum cum magno noſtro COCCEJO à מחר *cras* ortum cenſuerunt, quia *poſtridie ſive die ſtato in poſterum ſoleat pretium rei emtæ dari.* Verùm huic rectè jam oppoſuit MAJUS in *Supplem.* quod *pretium ſæpius etiam præſenti detur tempore quàm poſtero.* Novo eóque admodum miro acumine hîc utitur GUSSETIUS, ſcribens: *His exemplis perducimur ad originem & cauſas vocis* מחיר *pretium, nempe ut primo, ſit pretium mercenarii, nam hoc ſolvi debet veſpere, cùm incipit dies, quæ* מָחָר *craſtina, reſpectu diei laboris præſtiti nuncupatur, mercedem ſane tunc ſolutione præſente pendere docet ipſa natura, lege Lev. 19, 13. comprobata.* Verùm uti nihil excogitari poteſt coactius, ita vel id ſolùm totam hanc derivationem refellit, quod nunquam vox hæc, eo qui hîc primarius habetur, ſenſu, pro *pretio mercenarii*, vel apud hebræos, vel ullos orientis populos uſurpatur. Omnibus autem una errandi cauſſa fuit, admiſſum ſemel præjudicium, vocem מחיר propriè *pretium* ſignificare, unde exiſtimarunt, etymon & ſignificationis rationem in *emtione*, aut *venditione*, ejúſve circumſtantiis, vel, ut GUSSETIUS vult, in *tempore ſolutionis pretii*, quæri debere; quin & eandem ob cauſam, qui radicem ſatis rectè tetigerunt, ut MAJUS, KROMAYERUS, & quem hic quoque jam laudat HOTTINGERUS, in ejus tamen applicatione non ſatis clarè locuti ſunt. Omnia autem plana evadunt, modo obſervetur, nativam, primam atque propriam ſignificationem non eſſe illam *pretii*, ſed potiùs *rei quæ ab aliquo eligitur*, ſicque vocem inprimis ad omne id transferri, quod ſecundùm hanc electionem pro re aliâ recipitur. Patet id ex radice, quam lingua arabica ſervavit خبر in VIII. Conjug. *ſelegit meliores, meliorem cepit rei partem,* nec non derivato, quod noſtro מחיר proximè convenit مِخْبَرَة & مُخْبَرَة *Micbra & Mocbra, quod eligitur, res ſelecta.*

Hæc autem generalis ſignificatio dein variis rebus adplicatur, quæ ſive in permutatione aut emptione, venditione, aut aliâ quacunque tranſactione in compenſationem rerum traditarum, imò & aliquando laboris præſtiti, redduntur aut accipiuntur, atque ita etiam de *pretio* aut argento *uſurpatur*, v. 1 Reg. XXI. 2. Prov. XXVII. 26. Jeſ. XLV. 13. LV. 1. Jer. XV. 13. Job XXVIII. 15. Mich. III. 11. Prov. XVII. 16. Quæ omnia ex mercaturæ antiquiſſimâ ratione, quæ in permutatione rerum conſiſtebat, v. Bochart. *Hieroz.* P. I. Lib. I. c. II. lucem accipiunt.

VII.

Atque hinc jam ultrò patet, quid per מחיר כלב intelligatur, ſcilicet id quod cum cane permutatur, ſeu quo canis comparatur. Ita deſcribitur in Temurah cap. VI. m. 3. איזהו מחיר כלב האומר לחברו · הא לך טלה זה · תחת כלב זה: *Quid eſt* Mechîr Celeb.? *Si quis dicat ſocio ſuo: Ecce tibi* (vel ut in Gemara legitur הוליך לך טלה זה *accipe tibi agnum hunc*) *loco canis hujus.* Ad quæ verba Jom Tobh ſic commentatur: איזהו מחיר כלב האומר הא לך טלה זה תחת כלב זה · דתנו רבנן מחיר כלב · זהו חליפי כלב · וכ"הא תמכר עמך בלא הון ולא רבית במחיריהם · אלמא מחיר היינו דמים: *Quid eſt* Mechir Keleb? *Si quis dicat, Ecce tibi hunc agnum pro cane hoc. Idcircò dicunt Rabbini, Mechir Keleb eſt quod pro cane permutatur: atque ita ait* (Pſalm XLIV. 13.) Vendis populum tuum sine opibus, neque multiplicasti pretia ipsorum. *Ergo mechîr ſignificat pretium*, conf. & Gemara f. 130. a. & Maimonid. *Hilch. Iſſure hammish.* cap. IV. §. 16. Rectè idem Maimonides addit; etiamſi canem permutet cum pluribus animalibus aut avibus, omnia hæc vetita eſſe. Quin imò hoc eo uſque extendunt, ut ſi duo ſocii diviſionem inſtituant, ita ut unus accipiat decem agnos, alter novem cum cane, hos novem quidem licitos eſſe, pronunciant, omnes autem decem illegitimos, quia nempe novem hi non erant loco canis reputati, ſed contrà unus ex decem, qui alteri ceſſerat, cùm autem ſciri non poſſet, quis

quis ille eſſet, omnes decem eſſe illicitos, vid. TEMURAH & MAIMON. locis adductis, & ad priorem locum DOCTORES GEMARICI, BARTENORIENSIS & JOM THOVIUS.

VIII.

Uti autem hæc non malè ſe habent, ita contrà iidem Doctores Rabbanitæ cum aliis ſuæ ſectæ, more ſuo hîc variis vitilitigationibus non ſolùm nodum in ſcirpo quærunt, ſed & ipſam Legem pervertunt atque enervant. Huc pertinet

1. Quòd *pretium meretricis & mercedem canis* legitima pronuntiant TEMURAH. VII. 3. אתנן כלב ומחיר זונה הרי אלו מותרין. *Merces canis & pretium meretricis licita ſunt.* Quod ita explicat, ut ſi quis *meretricem emat in ancillam*, aut dicat, *Ecce tibi agnum hunc, ut canis tuus mecum pernoctet*, agnus hic aut pretium pro meretrice datum licitum ſit. v. RASCHI & JOM TOBH ad h. l. Verùm uti ſi meretricem nudè in ancillam emat, id quidem admitti poſſet, ita ſi eum in finem id faciat, ut eâ pro meretrice utatur, manifeſtum eſt, id in oculis Dei idem valere debere, ac mercedem meretriciam, quin imò longè adhuc fœdius eſſe, cùm quod alias pro unico actu daretur, nunc continuandæ fornicationis pretium foret. Ad mercedem autem canis quod attinet, horrenda hæc eſt Rabbinorum ϛρέβλωσις, quid enim quæſo intereſt, utrum merces an pretium dicatur? cùm non ſolùm pro cane tamen ſolvatur, ſed quod magis eſt, ad id ut quis cane ad infandam & maximè deteſtabilem libidinem abutatur. Quis igitur vel cogitare audeat, Deum qui canis pretium repudiavit, tam horrendam mercedem pro cane ſolutam ad ſanctuarium admittere voluiſſe? Quorſum non delabuntur homines, qui perditâ cognitionis clave, nucleum legis omittentes corticem lambunt?

2. Ejuſdem farinæ eſt, quòd ipſa quidem merces meretricia & pretium Canis illegitima ſint, non verò quod pro illis iterum emitur, aut ex illis paratur, quod Rabbini ſolent ולד אתנן & ולד מחיר *prolem mercedis* & *prolem pretii* appellare. Hinc in TEMURAH ſtatim ſubjungitur ולדותיהן מותרין שנאמר הן

Hæc autem generalis ſignificatio dein variis rebus adplicatur, quæ ſive in permutatione aut emptione, venditione, aut aliâ quacunque tranſactione in compenſationem rerum traditarum, imò & aliquando laboris præſtiti, redduntur aut accipiuntur, atque ita etiam de *pretio* aut argento *uſurpatur*, v. 1 Reg. XXI. 2. Prov. XXVII. 26. Jeſ. XLV. 13. LV. 1. Jer. XV. 13. Job XXVIII. 15. Mich. III. 11. Prov. XVII. 16. Quæ omnia ex mercaturæ antiquiſſimâ ratione, quæ in permutatione rerum conſiſtebat, v. BOCHART. *Hieroz.* P. I. Lib. I. c. II. lucem accipiunt.

VII.

Atque hinc jam ultrò patet, quid per מחיר כלב intelligatur, ſcilicet id quod cum cane permutatur, ſeu quo canis comparatur. Ita deſcribitur in TEMURAH cap. VI. m. 3. איזהו מחיר כלב האומר לחברו · הא לך טלה זה · תחת כלב זה: *Quid eſt* MECHÎR CELEB.? *Si quis dicat ſocio ſuo: Ecce tibi* (vel ut in GEMARA legitur הוליך לך טלה זה *accipe tibi agnum hunc*) *loco canis hujus.* Ad quæ verba JOM TOBH ſic commentatur: איזהו מחיר כלב האומר הא לך טלה זה תחת כלב זה · דתְנו רבנן מחיר כלב · זהו חליפי כלב · וכ"הא תמכר עמך בלא הון ולא רבית במחיריהם · אלמא מחיר היינו דמים: *Quid eſt* MECHIR KELEB? *Si quis dicat, Ecce tibi hunc agnum pro cane hoc. Idcircò dicunt Rabbini, Mechir Keleb eſt quod pro cane permutatur: atque ita ait* (Pſalm XLIV. 13.) VENDIS POPULUM TUUM SINE OPIBUS, NEQUE MULTIPLICASTI PRETIA IPSORUM. *Ergo mechir ſignificat pretium*, conf. & GEMARA f. 130. a. & MAIMONID. *Hilch. Iſſure hammiſh.* cap. IV. §. 16. Rectè idem MAIMONIDES addit; etiamſi canem permutet cum pluribus animalibus aut avibus, omnia hæc vetita eſſe. Quin imò hoc eo uſque extendunt, ut ſi duo ſocii diviſionem inſtituant, ita ut unus accipiat decem agnos, alter novem cum cane, hos novem quidem licitos eſſe, pronunciant, omnes autem decem illegitimos, quia nempe novem hi non erant loco canis reputati, ſed contrà unus ex decem, qui alteri ceſſerat, cùm autem ſciri non poſſet, quis

Digitized by Google

quis ille eſſet, omnes decem eſſe illicitos, vid. Temurah & Maimon. locis adductis, & ad priorem locum Doctores Gemarici, Bartenoriensis & Jom Thovius.

VIII.

Uti autem hæc non malè ſe habent, ita contrà iidem Doctores Rabbanitæ cum aliis ſuæ ſectæ, more ſuo hîc variis vitilitigationibus non ſolùm nodum in ſcirpo quærunt, ſed & ipſam Legem pervertunt atque enervant. Huc pertinet

1. Quòd *pretium meretricis & mercedem canis* legitima pronuntiant Temurah. VII. 3. אתנן כלב ומחיר זונה הרי אלו מותרין. *Merces canis & pretium meretricis licita ſunt.* Quod ita explicat, ut ſi quis *meretricem emat in ancillam*, aut dicat, *Ecce tibi agnum hunc, ut canis tuus mecum pernoctet*, agnus hic aut pretium pro meretrice datum licitum ſit. v. Raschi & Jom Tobh ad h. l. Verùm uti ſi meretricem nudè in ancillam emat, id quidem admitti poſſet, ita ſi eum in finem id faciat, ut eâ pro meretrice utatur, manifeſtum eſt, id in oculis Dei idem valere debere, ac mercedem meretriciam, quin imò longè adhuc fœdius eſſe, cùm quod alias pro unico actu daretur, nunc continuandæ fornicationis pretium foret. Ad mercedem autem canis quod attinet, horrenda hæc eſt Rabbinorum στρέβλωσις, quid enim quæſo intereſt, utrum merces an pretium dicatur? cùm non ſolùm pro cane tamen ſolvatur, ſed quod magis eſt, ad id ut quis cane ad infandam & maximè deteſtabilem libidinem abutatur. Quis igitur vel cogitare audeat, Deum qui canis pretium repudiavit, tam horrendam mercedem pro cane ſolutam ad ſanctuarium admittere voluiſſe? Quorſum non delabuntur homines, qui perditâ cognitionis clave, nucleum legis omittentes corticem lambunt?

2. Ejuſdem farinæ eſt, quòd ipſa quidem merces meretricia & pretium Canis illegitima ſint, non verò quod pro illis iterum emitur, aut ex illis paratur, quod Rabbini ſolent ולד אתנן & ולד מחיר *prolem mercedis* & *prolem pretii* appellare. Hinc in Temurah ſtatim ſubjungitur ולדותיהן מותרין שנאמר הן

ולדרותידן ולא הן *proles ipſorum ſunt legitimæ , quia dictum eſt* (Deut. XXIII. 18.) ipsa , *non verò proles ipſorum.* atque hinc Maimonides in *Hilch. Iſſure bammisb.* c. IV. §. 14. Canonem ponit אין אכור מ״ים אתנן ומהיר אלא גופן. *Non valet interdictum de mercede meretriciâ & pretio canis , niſi de rebus ipſis, quæ dantur.* Quin & hinc idem mox addit §. 15. נתן לה חטים ועשאתן סולת · זיתים ועשאהן שמן ענבים ועשאתן יין הרי אלו כשרים שכבר נשתנו · *ſi dederit illi* (meretrici) *triticum, atque ipſa inde fecerit farinam ; olivas , atque inde fecerit oleum ; uvas , atque inde paraverit vinum , ecce hæc ſunt licita , quoniam mutata jam ſunt.* & deinde §. 18. de pretio canis נשתנה המחיר כגון שהחליף כלב בחיטים ונעשה סלת הרי זה מותר · *ſi permutatum fuerit pretium , ex. gr. ſi commutaverit canem cum tritico, atque facta ſit farina , ecce hæc eſt licita.* Verùm quid hoc eſt niſi Dei legem exinanire per ἐνταλματα ἀνθρώπων ? Quo pacto enim faciliùs fraus legi fieri , imò ipſi Deo illudi potuit, quàm hoc, cùm hac ſanè ratione quicunque vellet, implicitè Deo tam mercedem meretriciam quàm pretium canis obtrudere potuiſſet , dum non opus haberet , quàm ut rem protinùs cum alterâ permutaret. Et quid quæſo intereſt, utrum triticum an farina, olivæ an oleum, uvæ an vinum detur, quùm poſteriora ex prioribus parentur, ipſiſſimæ ſanè res, tantùm comminutæ aut expreſſæ Deo offerrentur ? Unde mirum non eſt, quòd *Schola Schammæana* huic ſententiæ *Scholæ Hillelianæ* ſeu *Phariſæorum*, contradixerit, vid *Bava Kama* f. 94. a.

3. Ejuſdem inſaniæ eſt, quòd Lex non ſit intelligenda niſi de rebus, quæ in altari offerri poterant, ut ex eodem modo memorato Canone, quod interdictum non niſi de rebus ipſis intelligendum ſit, deducit Maimonid. §. 14. pergens לפיכך אינו חל אלא על דבר הראוי ליקרב על גבי המזבח · כמו בהמה טהורה ותורין ובני יונה ויין ושמן וכלת · *Idcircò non cadit* (hoc interdictum) *niſi in rem , quæ apta eſt ut in altari offeratur : ut animal mundum , turtures , duo pulli columbarum , vinum , oleum & farina.* Quin & hinc porrò infert , ſi quis meretrici dederit argen-

Digitized by Google

gentum, quæ pro illo emerit victimam, hanc rectè offerri. נתן לה מעות ולקחה בהן קרבן הִרי זה כשר *Si dederit illi nummos, & pro illis comparaverit ſibi ſacrificium, ecce id licitum eſt.* quibus paria leguntur in TEMURAH VII. 4. Verùm uti contra hæc eadem, quam modo dedimus, reſponſio valet, ita inprimis obſervari meretur, in oblationibus magis ad valorem, quàm ipſam rem, quæ offerebatur reſpici, unde qui peregrè adveniebant, ut onere hoc in viâ non gravarentur, ne opus quidem habebant ſacrificia & ferta (paucis exceptis, quæ certa individua requirebant) de ſuo adferre, ſed ſoluto argento, illa in templo emebant. v. SCHEKALIM cap. V. m. 4. unde manifeſtum eſt, perinde utique coram Deo fuiſſe, utrum ipſum animal aut fertum, quod in mercedem meretriciam, aut pretium canis acceptum, an quod argento malis his moribus comparato emptum erat, offerretur, quia poſteriori ratione tamen implicitè ipſe illegitimus quæſtus Deo offerebatur. Addi his adhuc poſſet, quod ipſam quoque *mercedem meretriciam* æquè ac *pretium Canis* aliis templi uſibus impendi legitimum cenſent.

I X.

Scilicet quia Rabbini exiſtimant, Legem tantùm loqui de rebus, quæ in altari offerri poſſent, ut animalibus mundis modo enumeratis, hæc autem in ipſius templi uſum cedere non poſſent, niſi vendantur aut cum aliis rebus permutentur, at ex eorundem ſententiâ res venditæ aut cum aliis permutatæ hoc interdicto non comprehendantur, hinc eliciunt, mercedem meretriciam aut pretium canis ad reparationem templi, exceptis tantùm laminis, licitè voveri atque recipi potuiſſe. Ita MAIMONID. §. 18. אתנן זונה ומחיר כלב מותרין לבדק הבית שהרי הן משתנין · אבל גופן של אתנן לא יעשה רקוע׳ז לבית שנאמר לכל נדר להבי׳א את ריקועים: *Merces meretricia & pretium canis licita ſunt ad reparationem templi, nam ecce eorum nullus uſus eſſe poteſt, niſi permutentur: Sed ipſum quod in mercedem meretriciam datum eſt, non debet impendi laminis ædis, quoniam dictum eſt, ex quocunque voto, quo ipſo includuntur laminæ.* Verùm quid dici iterum poteſt

 frigi-

frigidius, & ad legem Dei enervandam aptius, cùm utique, ut ſupra viſum /אתנן & מחיר non ſolis animalibus conſtent, ſed quicquid in mercedem meretriciam aut pretium canis datur, ſive pecus aut animal, ſive argentum aut cujuscunque tandem indolis ſit, involvant, & Scriptura non ſolùm de illis, quæ ad altare, ſed ad ædem Dei ex quocunque voto adducuntur, loquatur. Atque ex hac obſervatione omnes aliæ παρερμηνείαι Rabbinorum, quibus ulteriùs immorari tædet, ultrò corruunt.

X.

Atque hoc ipſi Judæi quoque praxi agnoſcere. & à ſimilibus παρερμηνείαις magiſtrorum ſuorum nonnunquam diſcedere videntur. Certè eò maximè facit memorabilis caſus, qui ipſo hoc ſeculo Pragæ accidit, quémque harum rerum peritiſſimus Johannes Christianus Neuman, qui tum temporis ipſe Pragæ fuit, nunc autem inter nos Linguarum Orientalium ſtudioſos non ſine inſigni fructu, ſtudii rabbinici cognitione imbuit, his verbis mecum communicavit:

מעשה בק"ק פראג בשנת תפ"ח לפ"ק. חבורה אחת בחורים
עורפי זהב היו נודרים נדבה לבית ה'· ונתנו המעות מה
שנדרו בתיבה· אחד מהן היה בידו התיבה עם המעות. והשני
היה בידו המפתח· וכאשר ארכו להם הימים. עד שהיה
להב מעות בקופסא די והותר. עלו על לבם לכתוב ספר
תורה ולתנה לבית הכנסת לכבוד המקום· והלכו אצל הסופר
הנקרא בשמו ר' עוריאל סופר דמתא· וכאשר נשלם הכתיבה
הלכו שנים מן החבורה אצל הפרנסים בק"ק הנ"ל. וביקשו
מהם ליתן להם רשות להביא ס"ת הנ"ל לב"ה הנקרא
(על תנאי שול) ולהיות שמה על שמם עד עולם. וכאשר באו
אצל הפרנסים· שאלו להם הפרנסים מה זאת לכם· והשיבו

רוח

Digitized by Google

רוח ה׳ העיד בנו · בכן הפרנסים הנ״ל נתנו להם רשות
וחירות להביא ס״ת הנ״ל לב״ה הנ״ל כאשר חפץ לבבם.
מיד הלכו הבחורים הנ״ל אצל המגיהים אשר שם האחד
האלוף התורני מוהר״ר סיני חזן בק״ק הנ״ל · ושם השני
האלוף התורני מוה״רר איצק פרעססלא להגיה ס״ת הנ״ל
בעיון רב ובדקדוק גדול · כמנהג בישראל עד היום הזה
להגיה ס״ת קודם נתינתה לב״ה · וכאשר קרב יום המועד
להוליכה לב״ה · הוציאו לפניה כל מיני זמרים כנור ונבל
וחלילים · והדרשנים היו הולכים לפניה יותר מחמשים
איש. לבד מהעם ההולכים אחריה אשר לא יספר · וכאשר
באו קרוב לב״ה הנ״ל · יוצאים אנשים חשובים והגונים וכל
אחד ואחד מהם ס״ת בזרועו · הולכים לקראתה לקבלה
ולהכניסה להיכל ה׳ · עד אשר השתומם כל איש מישראל.
ואותו היום היה על יום שבת קודש פרשת בשלח בשנת
תפ״ט לפ״ק·

ויהי כאשר קרא החזן בס״ת הנ״ל באותו שבת בפעם
ראשונה כנהוג בישראל. וימצא טעות בס״ת הנ״ל · אז פסקו
מלקרות והחזירו אותה להיכל · ויוציאו ס״ת אחרת לגמור
בה הפרשה. ולאחר שבת בא הסופר ה״נל ותיקן אותו
הטעות. בשבת הבאה הוציאו ס״ת הנ״ל לקרות בה הפרשה
כמנהג בישראל לקרות בס״ת חדשה משך שנה תמימה
כדי

כדי להשלים אותה על פי הסדר כולה· וכאשר קרא בה החזן וימצא טעות בתוכה· ופסקו מלקרות והחזירו אותה להיכל· ויוציאו ס״ת אחרת להשלים בה שבעה קרואים. ולאחר השבת בא הסופר ותקן אותה· כי זה איסור גמור להשהות ס״ת בהיכל בלי הגהה. והמשהה אותה עובר אל תשכן באהליך עולה· בשבת שלישית הוציאו ס״ת הנ״ל לקרות בה הפרשה· ובהקראו בה החזן מצא טעות· ויחרד כל העם אשר בבית הכנסת חרדה גדולה עד מאוד· כי אין זה מדרך הטבע למצוא כל כך טעותים בשבתות רצופים בס״ת חדשה·

ויהי כאשר שמע הרב אב״ד מוה״רר דוד אופנהיים שמועה זאת· צוה שלא לקרות עוד בס״ת הנ״ל אפילו לאחר תקן הטעות הזה· עד אשר הגיהו אותה מבראשית עד לעיני כל ישראל פעם שנית בעיון נמרץ ובהשגחה פרטית· ויביאו הס״ת הנ״ל לבעלי המגיהים אחרים (שמם נשכח ממני) ולא מצאו שום טעות· רק בספר דברים בפרשת כי תצא מצאו פסוק אחד חסר שלם· דהיינו הפסוק לא תביא אתנן זונה ומחיר כלב בית ה׳ אלהיך· ויבואו המגיהים הנ״ל אל הרב אב״ד הנ״ל· ויגידו לו לאמר וכן זאת מצאנו חסר· ויצו לתקן אותו הטעות ולהכניסה להיכל וכן עשו·

בשבת הבאה הוציאו ס״ת הנ״ל לקרות בה הפרשה· ובהקראו בה החזן מצא טעות· ותהם כל העיר על הדבר הזה ואיש לא ידע

ידע מה זאת· לאחר השבת שלח הרב אב"ד הנ"ל אחר הבחורים אשר נדרו ס"ת הנ"ל לבוא אליו· וכאשר באו אצלו ויאמר להם הרב הנ"ל· שמעו אלי ידידי· אתם עשיתם דבר טוב לכבוד ה' ומחשבתיכם היה טובה· אבל אין זה מדרך למצוא כל כך טעותים בספר תורה שלכם· בכן שימו נא כבוד לה' ותנו תודה לאלהי ישראל· ואמרו אלי כל תשא עון· למה ועל מה עלה זאת בלבבכם לכתוב ס"ת ומה היתה כוונתכם· אם תאבו ותאמרו לי טוב הארץ תאכלו ואם לא תגידו לי· אז אגזור אני עליכם בחרם יהושע בן נון· מיד התחילו להתודות ולאמר כל המעשה· וכך אמרו לבבינו הרע הטעה אותנו ונלך אחר שרירות לבנו· בכל שבועה ושבועה שני פעמים הלכנו לזונות· ושם עשינו רעה גדולה· וכאשר נשוב לבתינו התחרטנו על המעשה הרע הזה· ואמרנו אחד לאחד חטאנו לה' אלהינו· ועתה במה נשוב ונתכפר לאלהינו· ועלתה בלבנו כולם כאחד לעשות נדבה· שיתן כל אחד מאתנו בכל פעם סך כך וכך מעות· ומן אותו המעות נדרנו לכתוב ס"ת לכבוד הקב"ה ולתנה לב"ה וזאת היא הס"ת· וסברנו שזה יהי' רצוי גדול על העון הזה שעשינו· וזה כבר משך חמשה שנים רצופים אשר הלכנו בדרך הרע הזה ועד היום הזה לא סרנו·

ותיכף ומיד צוה הרב אב"ד הנ"ל שלא לקרות עוד בס"ת הנ"ל· עד אשר יראה ויחכם אם ד"א כשרה או לא· חקרו ובדקו בזה ההלכה כמה וכמה רבנים· וחלקו זה על זה בפלוגתות ובראיות· זה אמר כשרה וזה אמר פסולה היא· עד אשר

הוכרחו לשלוח השאלה הזאת למדינת פולין ליד הרבנים של ארבע ארצות · ואחר זמן משך חצי שנה השיבו כך · כאחר שהתורה אמרה לא תביא אתנן זונה ומחיר כלב וכו׳ · וזו נמי מכוח אתנן זונה בא · לפיכך פסולא היא וצריך לגנוז אותה בארון· משום דאמרינן לוחות ושברי לוחות מונחים בארון· עד כאן· i. e. *Res quæ accidit Pragæ anno* 488. *æræ minoris* (i. e. Chriſti 1728.) *Societas quædam juvenum aurifabrorum vovit votum ſpontaneum pro domo Dei ; immiſitque nummos quos voverat in arcam. Unus ſocietatis hujus habebat arcam cum nummis in poteſtate ſuâ, alter clavem. Cùm tractu temporis ſatis ſupérque nummorum in ciſtâ eſſet, in animum induxerunt, ut conſcribi curarent librum Legis, eúmque dono darent Synagogæ ad gloriam Dei. Iverunt itaque ad Scribam, nomine R. Aſarëel, Scribam illius loci. Cùm autem deſcriptio peracta eſſet, duo illius ſocietatis convenerunt præfectos laudati cœtûs petierúntque, ut ſibi facultatem darent, offerendi librum Legis Synagogæ ſupra memoratæ, quæ appellatur,* (*Al tenai Schul*, i. e. Schola quæ ſub conditione erecta eſt,) *útque illic ipſorum nomine perpetuò maneat. Quando autem venerunt ad Præfectos, quæſiverunt hi ex illis, unde id vobis evenit? Reſponderunt, Spiritus Jehovæ nos ad id excitavit. Quare Præfecti illis facultatem & licentiam dederunt, offerendi librum laudatæ Synagogæ, quemadmodum deſiderabant. Statim contulerunt ſe memorati juvenes ad reviſores, qui illic erant, Celeberrimum Doctorem* Sinai *Chazanem Synagogæ illius, & Clariſſ. Doctorem* Itzak Premsela, *ut reviderent hunc codicem maximâ curâ ſummâque* ἀκριβείᾳ, *quemadmodum moris eſt in hunc diem in Iſraële, ut revideatur liber Legis, antequam tradatur Synagogæ. Cùm autem adveniſſet ſtatus dies, ut deduceretur in Synagogam, præcedentibus omnis generis inſtrumentis muſicis, citharis, nabliis & tibiis : plus quàm quinquaginta Doctores ante illum inceſſerunt, præter innumerabilem populi multitudinem, quæ eundem ſubſecuta eſt. Poſtquam appropinquaſſent Synagogæ, obviam illis egreſſi ſunt Viri honorati & celebres, quorum*

quis-

quisque brachio librum legis geſtabat, ut eum exciperent, & in templum Dei (armarium) *deducerent, ita ut in admirationem raperentur Judæi omnes. Atque hic dies fuit ſanctus Sabbathi, quo legenda Paraſcha* בשלח (Exod. XIII. 17. ſeqq.) *anno æræ minoris* 489. (C. 1729.)

Accidit autem, ut, cùm Chazan Sabbatho hoc legeret ex memorato codice primâ vice, prouti moris eſt in Iſraële, inveniretur in illo error. Tunc ſubſtiterunt in lectione, eúmque repoſuerunt in armarium, producto alio codice, ex quo paraſcham abſolverent, dein poſt Sabbathum accedens memoratus ſcriba errorem illum correxit. Sabbatho ſequente iterum produxerunt laudatum librum legis, & Paraſcham ex illo legerunt, quemadmodum ſolent Judæi per integrum annum ex novo codice legere, ut integrum abſolvant. Sed cùm legeret Chazan, iterum in eo invenit errorem, unde illo in armarium repoſito alium produxerunt, ex quo ſeptem lectores lectionem abſolvant, elapſóque Sabbatho, ſcriba codicem correxit: graviſſimè enim interdictum eſt, ne relinquant codicem in armario abſque correctione, quique id faceret, tranſgrederetur præceptum (Job. XI. 14.) *ne ſinas iniquitatem habitare in tentorio tuo. Sabbatho tertio eduxerunt iterum eundem codicem, ut ex illo Paraſcham legerent, ſed inter legendum denuò Chazan invenit errorem. Tunc trepidavit univerſus populus, qui in Synagoga erat, trepidatione valdè magnâ, neque enim ex naturalibus cauſis eſt, ut tot errores inveniantur in immediatè ſubſequentibus lectionibus Sabbathicis in novo quodam codice. Unde cùm audiret Pater domûs judicii Celeberrimus* David Oppenheim *rumorem hunc, præcepit, ne amplius legatur ex hoc codice, etiamſi correctus hic error eſſet, donec illum correxerint, inde ab initio Geneſeos, uſque ad finem Deuteronomii, ſecundâ vice ſummâ* ἀκριβείᾳ *& attentione ſingulari. Attulerunt itaque codicem memoratum ad correctores alios, (quorum nomen mihi excidit) neque invenerunt ullum errorem, niſi quod in Deuteronomio, Paraſcha* כי תצא (Deuter. XXI. 10.--XXV. ad finem) *invenirent integrum comma deeſſe, ſcilicet* (Deut. XXIII. 19.) *non adduces mercedem meretriciam & pretium canis ad domum Dei tui. Adeuntes igitur reviſores ſupra memoratum Patrem domus judicii, ipſi rem indicarunt, qui juſſit erro-*

errorem hunc corrigere, librúmque inferre in armarium, quod & fecerunt. Cùm autem ſequenti Sabbatho denuò eum producerent, ut ex illo Paraſcha legeretur, invenit Chazan inter legendum iterum errorem. Tum commota hac de re eſt univerſa urbs, neque quiſquam novit quid hoc eſſet. Finito Sabbatho miſit memoratus Pater domûs judicii ad juvenes, qui librum hunc Legis voverant, ut ad ſe venirent. Quo facto eos ita compellavit: Audite me dilecti mei: Vos feciſtis rem bonam ad gloriam Dei, & cogitationes veſtræ bonæ fuerunt, verùm non eſt hoc moris, quòd tot errores in codice veſtro reperiantur. Quare date Domino gloriam & confitemini Deo Iſraëlis, dicitéque mihi, ſic auferet omnia peccata! Quare & ob quid vobis ſubnata eſt cogitatio ſcribendi librum Legis, & quæ fuit intentio veſtra? Si id mihi ſponte dicatis, bonum terræ comedetis, ſed ſi non indicabitis mihi, pronunciabo ego in vos anathema Joſuæ, filii Nun. Statim inceperunt confiteri omnemque rem dicere. Ita autem locuti ſunt: Cor noſtrum malum nos abſtulit, & ſecuti ſumus ejus placita. Singulis hebdomadibus bis convenimus meretrices, ibíque ingens malum fecimus, cúmque domum reverteremur, pœnitentiâ ducti ſumus ſuper hoc ingenti malo, diximúſque alter alteri: Peccavimus Jehovæ Deo noſtro, quo pacto autem revertemur & reconciliabimur Deo noſtro? adſcendit igitur ſimul in cor noſtrûm omnium facere votum, ut unuſquiſque noſtrûm ſemper ſummam tot vel tot nummorum daret, atque ex his nummis vovimus, ut ſcribatur liber legis in honorem Dei S. B. eúmque offeramus ſynagogæ, atque hic ipſe liber eſt. Exiſtimavimus autem hoc fore ingens piamentum iniquitatis hujus, quam commiſimus, atque nunc jam integri quinque anni ſunt, quòd inſtitimus perverſæ huic viæ, neque adhucdum ex illâ receſſimus. E veſtigio & ſine morâ juſſit Pater domûs judicii, ne amplius ex hoc codice legatur, uſque dum appareat, & erudiatur, utrum legitimus ſit nécne. Scrutati itaque ſunt & inquiſiverunt in rem hanc multi Rabbinorum, diviſique fuerunt in diſputationibus & argumentis ſuis, uno illum licitum, altero illicitum pronunciante, donec cogerentur quæſtionem mittere in Poloniam ad Rabbinos quatuor terrarum. Hi autem poſt dimidium annum ita reſcripſerunt: Quoniam Lex dixit, non adduces mercedem meretriciam & pretium canis &c.

Digitized by Google

&c. atque hic etiam vi mercedis meretriciæ provenit , idcircò illegitimus eſt , oportétque illum in arcâ abſcondere, quoniam dicimus (BERACHOT. 8. b.) *tabulæ & fragmenta tabularum* (ſc. fractarum) *depoſitæ ſunt in arcâ. Atque hæc hactenus.* Non ingratum ſine dubio Lectori erit, rem hanc, cujus neſcio an quiſquam hactenus meminerit, propiùs cognoſcere. Ad noſtrum autem ſcopum hîc inprimis facit, quòd præcipui Judæorum Doctores, quales ſine dubio in Poloniâ vivunt, ipſi agnoverint, lege hac etiam tale quid non ſolùm, quod ne quidem meretrici datum, ſed ad placandum Numen ob commiſſa ſtupra tantùm conſecratum erat, verùm etiam quod argento hunc in finem ex voto collato, comparatum erat, ídque quod magis eſt, ne in uſum quidem altaris aut templi, ſed Synagogæ, vetitum eſſe. Atque hoc ipſum quemadmodum ſe rectè ſatis habet, ut ex propiori intentionis Legislatoris ſenſúsque Legis ipſius inveſtigatione clarius eluceſcet, ita & ad hanc ritè inſtituendum non exiguo nobis adminiculo eſſe poterit.

X I.

Scilicet quod ad mercedem meretriciam attinet

1. Secundùm literam hîc vetari cenſeo, quicquid hunc in finem datum eſt, ſive pecus ſive argentum ſit, aut cujuſcunque indolis; Deo non tantùm in altari offerri, ſed ipſi ejúſque cultui ullâ ratione conſecrari, quod generalior phraſis *non adduces ad domum Dei tui ex ullo voto* flagitat; inprimis ut Deum quis ſibi tali dono propitium reddat, aut peccatum turpi quæſtu commiſſum expiet. Eruditiſſimus SPENCERUS Lib. II. cap. XXXVI. Sect. I. exiſtimat, legi huic anſam dediſſe morem priſcarum gentium, ad quem & Prophetæ plus ſemel alludunt, quo donaria, pecunias, veſtes elegantes, vel alia violatæ pudicitiæ præmia, Diis eorúmque ſacrariis offerre ſolebant, quam ſententiam multo doctrinæ apparatu dein ornat. Verùm uti ipſe non dubitarem, Deum inter alia eò quoque reſpicere, modò conſtaret, morem hunc ad ipſa antiquiora Moſis tempora adſcendere, ita ſaltem id certum eſt, quòd huic mori, quandocunque etiam is introductus ſit, ſtolida illa præſumptio anſam dedit,

Digitized by Google

ac ſi ſcelus turpi hac mercede expungi, Numénque talibus donis placari poſſet. Interim tamen ex generalioribus Legis verbis ſimul patere exiſtimo, ſi vel maximè mos hic anſam præbuiſſet, Legem tamen ipſam non ad talem ſolùm abuſum, ſed ad omnem quoque aliam oblationem tam turpi mercede partam, aut votum hac de re nuncupatum, ſe extendere.

2. Uti autem Leges brevioribus verbis concipi ſolent, ut nihilominus non ſolùm illa peccata, quæ expreſſè ſignificata ſunt, vetent, ſed & omnia quæ ejuſdem generis ſunt, & ex eodem fonte manant, aut quorum ſimilis eſt ratio, involvunt, ita nullus dubito, quin ſi contra mulier pro præſtitâ turpi operâ fornicatori mercedem numeret, de hac, nec non de illâ, quæ fortè lenoni vel conciliatrici impurorum amorum data fuerit, idem judicium ferri debeat, quia in relatione ad Deum res eodem redit, quin & ipſa merces pro eodem peccati genere ſolvitur & recipitur. Quale judicium idcircò de omnibus illis, quæ in refutatione ſententiæ Rabbinorum §. VIII. & IX. tetigimus, qúæque illis ſimilia ſunt, ferri quoque debet.

3. Quòd ſi in rationem interdicti hujus inquiramus propiùs, hæc ſine dubio nulla alia eſt, quàm quòd Deus, uti vi ſanctitatis ſuæ carnis impuritatem æquè, ac perſonas, quæ ſe illâ inquinârunt, averſatur, ita hoc, repudiando ipſorum votum atque oblationem, præcipuè ipſâ vitâ diſſolutâ partam, publicè quaſi teſtari voluit. Atque hinc per גזרה שוה uti Judæi loqui ſolent, non immeritò colligimus, eandem quoque aliorum peccatorum, rerúmque illis acquiſitarum, ſeu hominum impiorum, omníſque, quem tales Deo præſtare volunt, cultûs, in oculis ejus rationem eſſe. Quod verè, ſi rem ipſam ſpectes, idem eſt cum eo, quod Paræmiaſtes diſertiùs tradit, Prov. XV. 8. XXI. 27. *Sacrificium impii Deo eſſe abominationi.* Atque hoc tantò majori ratione hîc involvi credimus, quò magis Paulo ipſo teſte *Lex ſpiritualis eſt*, Rom. VII. 14. & πνευματικὴν δήλωσιν habet, quin & in aliis quoque Legis forenſis ſtatutis, ut, *de bove triturante non capiſtrando*, 1 Cor. IX. 9. coll. Deut. XXV. 4. *de bove & aſino eidem aratro non jungendo* 2 Cor. VI. 14. coll. Deut. XXII. 10. ſcriptura ipſa diſertè docet, illis ſenſum moralem atque myſticum ſubfuiſſe.

XII.

X I I.

Ad alteram legis partem, *de pretio canis*, quod ſpectat, SPENCERUS iterum loco adducto Sect. I. rationem interdicti hujus à gentibus & præcipuè Ægyptiis repetit, apud quos Canis impenſè colebatur, unde Deus eo ipſo tantò magis obicem huic idololatriæ inter Iſraëlitas ponere voluerit, quem in finem & *ſummum* BOCHARTUM ſibi praeeuntem laudat. Verùm licèt quæ de divino canis in Ægypto honore adfert, ſatis certa ſint, & nos quoque ipſi in *Diſſertat. de* NIBCHAS *idolo Avvæorum* eadem docuerimus, vereor tamen, ut ratio inde deſumta hîc loci omnibus ſatisfaciat. Præterquam enim, quòd minimè quoque conſtat, hoc idololatriæ in Ægypto genus tam canæ antiquitatis eſſe, multa inſuper animalia immunda in Ægypto culta ſunt, quorum pretium Deo ſacrare minimè illicitum erat, imò multa præterea munda, quorum non tantùm ἀντάλλαγμα, ſed & quæ ipſa, offerre licebat. Atque hinc rectiùs ſentire cenſeo, qui in eo potiùs acquieſcunt, quod *canis*, animal non ſolùm viliſſimum, ſed & maxime immundum haberetur. Unde in ſacris plerumque cum *ſue* conjungitur, quin & *homines immundi*, & inprimis *gentes*, ob immunditiem illi comparantur. v. Matth. VII. 6. XV. 26. 2 Pet. II. 22. & Apoc. XXII. 15. Ad cujus rei illuſtrationem in tranſitu obſervari meretur locus in *Pirke Elieſer.* cap. XIX. שכל מי שאוכל עם העכו"ם כאלו אוכל עם הכלב מה הכלב שלא נמול כך העכו"ם שלא נמול *Quisquis enim comedit cum gentibus, idem facit* AC SI COMEDERET CUM CANE. *Quomodo cum* CANE *comparatum eſt*, NON EST CIRCUMCISUS, ITA QUOQUE GENTES CIRCUMCISÆ NON SUNT. Eandem ob cauſam rebus viliſſimis atque abjectiſſimis *canum* nomen datur. v. 1 Sam. XVII. 43. XXIV. 15. 2 Sam. IX. 8. XVI. 9. 2 Reg. VIII. 13. Apud alios orientis populos idem omni tempore obtinuit, & in hunc diem uſque locum habet. Mohammedani certè *canes æquè ac porcos abominantur, & pro impuris animalibus habent, ſic ut ſolo contactu hominem polluant, & ſi vel ex vaſe quodam canis biberit, arenâ illud ſepties repurgandum ſtatuant,*

Digitized by Google

tuant, cùm à reliquis ſordibus tantùm ſemel purgandum, imò & licèt omnes aliorum animalium pelles poſt præparationem mundas fieri credant, pellem tamen canis & porci, & quicquid inde paratur, excipiant, nec angelum intrare credant in domum, in quâ canis ſit, ut fuſè contrà EUTHYMIUM ZIGABENUM, qui eos caninam carnem comedere ſcripſerat, docuit *Celeb.* RELANDUS Lib. II. *de Relig. Mohamm.* §. XXV. Quin & hinc, ut Judæi quondam gentes, ſic nunc Mohammedani Chriſtianos *Canes* appellare ſolent, v. OCKLEY *Hiſtor. Saracen.* verſion. germ. quâ utor P. I. p. 37. 69. 150. & paſſim. Quid quod? ad ipſos quoque Græcos Romanóſque hoc canum vilipendium penetravit: vid. quæ hanc in rem eruditè, ut ſolet, congeſſit ipſe *ſummus* BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. LVI. eodem faciunt Proverbia, *Cane impudentior*, *Cane pejus & angue fugere* &c. de quibus paſſim apud Adagiorum ſcriptores. Denique quod hîc præcipuè in cenſum venit, Deus ipſe, licèt generatim omnia animalia immunda altari proſcripſiſſet, ſigillatim tamen *porcum* aut *canem* offerre, ut rem maximè abominabilem proponit, cui *hominis immolationem* comparat. Jeſ. LXVI. 3.

Cùm igitur tam immundum animal haberetur Canis, & pretium Canis ejus vicem ſuſtineret, ejúſque valorem conſtitueret, hinc Deus illud non minus ac canem ipſum ſibi offerri aut ſacrari noluit.

XIII.

Opponit quidem CLERICUS, animalium omnium immundorum primogenita debuiſſe redimi, ſine ullâ exceptione, atque adeò & canum, Num. XVIII. 15, 16. Verùm fallitur hac in re CLERICUS & qui cum illo ſentiunt, cùm Judæi omnes uno ore affirment, legem hanc non niſi de ſolis primogenitis aſini intelligi debere. v. RASCHI, & ABENESR. ad Exod. XIII. 13. & MAIMONIDES *hilch. Biccur.* cap. XII. §. 3. Quâ in re tantò minori jure illis fides denegatur, quò magis ipſi rem hanc ex traditione non ſolùm, ſed & conſtanti in gente ſuâ uſu, optimè & certiſſimè ſcire potuerunt, neque ut eam confingerent, ullam cauſam habuerunt, nec credibile eſt, Sacerdotes tam

pati-

Digitized by Google

patienter id laturos fuiſſe, ſi quis illos magnâ redituum ſuorum parte fraudare voluiſſet. Accedit quòd Lex parallela Exod. XIII. 13. & XXXIV. 20. diſertè non niſi de *primogenito aſini* loquatur. Quòd ſi tamen quis omninò, præeunte PHILONE in libr. de *Præmiis Sacerdot.* in init. (de JOSEPHO enim, qui eum quoque in finem adduci ſolet, non ſatis conſtat, an ita ſenſerit) verba etiam ad alia animalia immunda extendi debere exiſtimat, non tamen id niſi ad illa, quibus homines ad agriculturam aut itinera utebantur, ut *Camelos* & *equos*, ſimiléſve, quos PHILO diſertè nominat, fieri poteſt aut debet, 1. quia reliqua in ædibus hominum non alebantur, & cùm non ſolùm plures ſimul fœtus excludant, ſed & ſæpe pariant in locis occultis aut à conſpectu hominum remotis, ſciri certè non potuiſſet, quænam eorum ſint primogenita. 2. quia ſi verba Num. XVIII. de omnibus ſine diſcrimine aut exceptione animalibus immundis intelligi deberent, neceſſariò etiam feles aliáque, quin imò ipſæ feræ includi deberent, quod tamen non facilè quemquam aſſerturum credo. Unde patet, ad ſummum hîc non niſi de animalibus domeſticis, cicuris, & unde aliquis ordinariò in vitâ communi fructus redundaret, cogitari poſſe. 3. Denique & ipſa hæc Lex de pretio canis ne ad ædem Dei quidem adferendo, ſatis oſtendit, canes omninò ex lege de primogenitis eximi, ut rectè ſummè Reverendi atque Erudítiſſimi Viri PATRICIUS & POLUS ad Exod. XIII. 13. monuerunt. Denique omnibus his ſubjungo, quod vel ſolùm ſatis oſtendit, quàm nullo fundamento hæc CLERICI ratiocinatio nitatur, ſive primogeniti canum redimi debuerint, ſive non, id nihil planè ad rem præſentem facere, cùm lex de redemptione primogenitorum animalium nihil omnino cum hac lege commune habeat, quia hîc non de pretio primogeniti, ſed generatim cujuſcunque canis, agitur, neque מחיר unquam de redemptionis pretio in ſacris uſurpatur, ſed hoc potiùs פדיון dici deberet, à verbo פדה quod in hoc negotio ſemper adhibetur, v. Exod. XIII. 13. XXXIV. 20. Num. XVIII. 15. cùm contrà מחיר quamcunque rem quæ cum aliâ permutatur, denotet, ut ſupra com. VI. viſum.

Digitized by Google

Nec magis Clericum juvat, quod addit, dici, *ex quocunque voto, neminem autem facilè perſuaſurum* (ut ait) *canem Deo voveri ſolitum, aut pretium ex canibus venditis confectum.* Uti enim nullo verbo hîc dicitur quòd ipſe canis Deo voveri ſolitus ſit, ita nulla ratio eſt, neque ullam Clericus oſtendit, quæ impediviſſet, quò minùs aliquis, niſi talis Lex obſtitiſſet, pretium pro vendito cane receptum, aut agnum pro illo commutatum, Deo obtuliſſet, aut voto illi conſecraſſet.

X I V.

Uti igitur ex dictis conſtat rectè primùm ipſum Canis pretium à Deo rejici, ita

Secundo ex גזרה שוה ſeu argumento à ſimili rectè colligimus, quicquid præterea Deo exoſum atque abominationi eſt, ejus quoque quæſtum, aut quod illo paratur atque acquiritur, ipſi minimè placere, neque illi aut ejus honori atque cultui offerri ſeu ſacrari debere. Quod uti ex ipſius rei naturâ ſequitur, ita ſaltem eodem aut majori adhuc jure ex hoc interdicto deducimus, quàm Judæi ex Lege Deut. XXII. 8. *de loricâ circa tectum novæ domûs ducendâ, ne, ſi quis inde decidat, reatum ſanguinis ædibus imponat*, eliciunt, non licere quoque in ædibus *alere canem mordacem* aut *habere ſcalam fractam*, quia nempe utrumque proximo poſſet damno aut exitio eſſe, vid. Bava Kama f. 15. b.

X V.

Inprimis autem hinc exiſtimo illuſtrari debere memorabilem circumſtantiam perpeſſionum ſanctiſſimi Servatoris, quam ſolus Matthæus narrat cap. XXVII. 6. quod cùm Judas proditor triginta ſiclos, quibus Servatorem prodiderat, ad Pontifices retuliſſet, exclamans, *peccavi ſanguinem innocentem prodens*, hi ſublato argento dixerint: *non licet illos immittere in ærarium, quia pretium ſanguinis eſt.* Sœpius cogitavi egomet mecum, ubi vetitum eſſet *pretium ſanguinis in ærarium immittere?* neque inveni hactenus apud Interpretes, quod mihi faceret ſatis. Multi enim eorum difficultatem, cui ſolvendæ ſe ſine dubio pares non inveniebant, ſilentio prætereunt: alii quidem ad hanc legem

Deut.

Deut. XXIII. 18. provocant, ſed quomodo id inde ſequatur non oſtendunt, aut timidiuſculè loquentes in generalioribus ſubſiſtunt, ſic Celeb. TILLIUS ait: *Dit ſchynen zy te beſluyten uyt de wet Deut. XXIII.* 18. *Indien God hoerenloon en hondenprys weygert in de ſchatkiſt t'ontfangen, zo was het bewyslyck dat ook een bloedloon hem onaangenaam was.* Nonnulli rem propiùs ad priorem legis partem de mercede meretricià referunt, ut GROTIUS, ſcribens: *Argumentum à ratione legis deſumtum. Vetat Lex ſtupri pretium ſacris inferri. At apud Hebræos, cultus idolorum, ſtuprum, cædes, velut paria cenſentur.* Verùm ſint ſtuprum & cædes æquè atrocia crimina, non tamen magis patet, quo pacto proſcriptio pretii ſanguinis ex proſcriptione mercedis meretriciæ, quàm quomodo interdictum de non occidendo ex interdicto de non committendo adulterio, ſeu quod idem eſt, præceptum ſextum ex ſeptimo ſequatur. Deinde quod probè notandum, τιμὴ αἵματος non denotat *mercedem* pro proditione ſanguinis, ſed potiùs *pretium*, quo emptus venditúſve erat ſanguis, idémque locus Zachar. XI. 12, 13. ubi totum hoc negotium prædictum erat, confirmat. Hinc igitur τιμὴ non hebræo אתנן ſed potius τῷ מחיר reſpondet, pro quo & uſurpatur Jeſ. LV. 1. unde ſi ex hac lege explicari debeat, quod indubium videtur, quia nulla alia quæ eo applicari queat, in toto ſacro codice reperitur, non ad priorem ejus partem de mercede meretricià, ſed ad poſteriorem de pretio canis referri debet.

X V I.

Ut autem pateat, quo pacto ex hoc interdicto id ſequatur, obſervandum, quod fundamentum, ratio & præcipuus ſcopus interdicti hujus, ut viſum, ſit, quòd Deus omne pretium rei ſibi exoſæ altari proſcribere voluerit. Cùm igitur homicidium ſine dubio cane pejus & angue fugiendum, & obtruncatio hominis Deo adhuc multò magis exoſa quàm *Canis* eſſe poteſt, rectiſſimè ex ipſâ hac lege deducitur, pretium pro homine ad internecionem vendito adhuc multò minùs, quàm pretium canis, ad domum Dei adducere licuiſſe. Sic igitur pretium rei exoſæ,

Digitized by Google

pretio alterius rei adhuc magis deteſtandæ egregiè reſpondet, uniúſque interdictum ex interdicto alterius rectè deducitur. Neque objici debet, factam eſſe hanc venditionem legitimis magiſtratibus, nam nec talis venditio officii Judæ erat, nec officii ratione, ſed, ut pretium ſummæ iniquitatis inde reportaret, eam commiſerat, quin nec ipſis magiſtratibus convenit, hominem, inprimis cujus indies compotes evadere poterant, argento ad internecionem emere. Præterea nec illud fortè ſine cauſâ additur, quòd ratio, quare Deus vetuerit pretium canis adducere ex ullo voto, in oblationem nempe, ſeu ad ſacrificium fertúmve pro illo comparandum, fuerit, ut viſum, quòd pretium inſtar rei ipſius conſideretur, pro quâ receptum eſt, atque adeò uti canem ipſum offerre nefas erat, ita & ejus pretium. Jam autem homines trucidandi inſtar *victimarum* conſiderari ſolent, v. Rom. VIII. 38. coll. Pſ. XLIV. 23. non minùs autem victimæ humanæ Deo exoſæ erant, quàm caninæ, quæ duo diſertè eodem loco reputantur, Jeſ. LXVI. 3. *Qui mactat bovem* (nempe in ſacrificium) *eſt*, ACSI HOMINEM PERCUTIAT, *qui offert agnum*, ACSI CERVICEM CANI FRANGAT. Unde ſi pretium pro cane non magis quàm ipſe canis offerendum, & ſacrificium aut fertum pro eo comparandum, idem de pretio pro homine inſtar victimæ trucidando, ſoluto, judicium ferri debet. Quod adhuc propiùs illuſtrari poſſet, ex eo quòd homines Reipublicæ inutiles & ſceleſti καθάρματα. περικαθάρματα dicti, graſſante aut imminente graviore aliquo malo conſiderabantur, apud pleroſque populos, ut victimæ & piacula publica, atque ad placandam Numinis iram immolabantur, ut docet eruditiſſimus LAMB. BOS in Διατριβαῖς ad 1 Cor. IV. 13. aliíque quos laudat WOLFIUS in *Cur. Crit.* ad h. l. cujus rei etiam umbram quandam apud Judæos cernere erat in hirco ἀποπομπαίῳ *in averruncationem & expiationem pro univerſo populo*, ut JOSEPHUS *Antiq.* Lib. III. cap. X. loquitur, inter mille opprobria & vellicationes in deſertum emitti & propelli ſolito. v. JOMA cap. VI. m. 4. & conf. TERTULLIAN. apud URSIN. *Anal. Sacr.* Lib. I. §. 28. Ut tale autem κάθαρμα Judæos ſanctiſſimum Servatorem conſideraſſe, manifeſtum eſt ex JOH. XI. 48, 49, 50. ubi diſertè

dicunt:

dicunt: *Si illum ſinamus*, *venient Romani*, *& tollent locum & gentem noſtram*, Cajaphas autem addit, *præſtat*, *ut* UNUS MORIATUR PRO POPULO, NEQUE INTEGRA GENS PERDATUR. Non addo, quòd Servator ſublimiori ſenſu verè talis victimæ in relatione ad Deum, rationem habuerit, quia id huc non facit, nec Judæi eum ita conſiderabant.

XVII.

Atque ſic jam patere exiſtimo, quo pacto Judæi, & rectè quidem ex interdicto, de pretio canis ad domum Dei ex ullo voto non adferendo, deduxerint, nefas eſſe, pretium ſanguinis, inprimis hominis inſtar victimæ trucidandi, in ærarium immittere. Mirè autem in hac ſententiâ confirmor ipſo argenti hujus uſu, dum *initis conſiliis illo emerunt agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Scilicet ſuppono hîc quod Eruditiſſimus WAGENSEILIUS in *Infundibulo* p. 79. rectè docuit, per τοὺς ξένους non alios intelligi, quàm *ethnicos*, qui ex ſtylo ſcripturæ erant ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας Epheſ. II. 12. coll. com. 19. Concedo quoque ex Canonibus Judæorum, ut idem WAGENSEILIUS ex *Beza* f. 29. evicit, rem iniquis modis partam, quæque adeò nec piè retineri, nec in theſaurum templi mitti poterat, in publicos uſus, ut in fontes, puteos, ciſternas, impendendam eſſe. Verùm ſcrupulus me tenet, quare hos triginta ſiclos in commodum gentium converſos voluerint, & unde nova hæc in ipſos inceſſerit religio, ut, qui gentes tantopere exſecrabantur, illis hoc argento potiùs, quàm populo ſuo prodeſſe voluerint? Reſpondeat fortè aliquis, cum ethnici illis temporibus in Canaane admodum multiplicati eſſent, neceſſariò de tali loco ipſis proſpiciendum fuiſſe, inprimis ne ipſi fortè mortuos ſuos ſepelirent, ubi id Judæis minùs commodum eſſet, aut Procurator Romanus locum ad id eligeret, quem ipſi nollent. Verùm num hæc neceſſitas heri aut nudius tertius demum nata erat? Vel an ſi tantùm interfuiſſet ipſorum, num exigua illa XXX. Siclorum ſumma impedimentum injeciſſet, quò minùs dudum illâ erogatâ, ſe hoc metu liberaſſent? Dicam igitur quod, niſi omnia me fallunt, omnes extra partes poſiti longè convenientius judi-

 cabunt.

cabunt. Gentes Judæis pro *canibus* reputabantur, hócque nomine inſigniebantur, ut ſupra §. XII. viſum eſt, hinc argentum *ἀνταλλάγματι canis* ſimile, quódque vi legis *de pretio canis* ad ſanctuarium non adferendo, in ærarium immittere nefas cenſebant, aptiſſimum inveniebant ad agrum in ſepulturam *canum*, ſeu *gentium pro canibus reputatarum*, coëmendum. Egregiè hoc convenit hypotheſi & mori Judæorum, quo rem illi uſui, unde provenit, optimè iterum deſtinari ſtatuunt, ſic ex Avoda Sara f. 17. 1. refert Altingius in *Schilo* Lib. IV. c. 13. *dixiſſe R. Eleazarum diſcipulo ſuo Akibæ, quòd cùm aliquando ambularet in ſuperiori foro urbis Tſipporis, offenderétque Jacobum diſcipulum Jeſu, hic dixerit, ſcriptum eſt in lege veſtrâ: non adferes mercedem meretriciam ad donum Domini. Quid igitur eâ faciendum? Latrina Pontifici Maximo. Cúmque ipſe ſileret, perrexiſſe Jacobum, ita me docuit Jeſus Nazarenus* (ex verbis Michæ I. 7.) *ex mercede meretricia collegit, & ad mercedem meretriciam revertentur.* Quod ſibi perplacuiſſe R. Eleazar ſubjungit. vid. quoque Midrasch Kohelet f. 84. col. 4. ubi eadem res narratur. Hac igitur ratione quoque hîc rectè dici potuiſſet: *Ex cane provenit, & ad canes revertetur.*

X V I.

Ex omnibus hactenus diſputatis jam ultrò pateſcet, rectè hæc duo, *mercedem meretriciam* & *pretium canis*, in lege hac conjungi, fruſtráque nonnullos, qui Canem ſenſu proprio hîc accipi poſſe negant, objicere, quod cani ſenſu literali accepto minùs rectè conveniat cum meretrice. Ne enim illis inhæream, quæ Spencerus jam loco adducto Sect. III. convenienter ſuæ hypotheſi attulit,

1. Deus in eo eſt, ut doceat, ſe res illegitimis aut ſibi diſplicentibus mediis partas, offerri aut ſacrari nolle. In illo tertio igitur cùm convenirent *merces meretricia* & *pretium canis*, quòd illa actione peccaminoſâ, hoc permutatione cum re Deo exoſâ acquiſitum, utraque meritò in eadem Lege conjunguntur.

2. Accedit quòd ratio utriuſque eſſet eadem, quia Deus hoc

hoc ipſo teſtari volebat, quòd vi Sanctitatis ſuæ immunditiem omnem penitus averſaretur, quæ moraliter inhærebat meretrici corpore quæſtum facienti, phyſicè autem quodammodo, ſed maximè ex lege poſitivâ, cani, ut animali non ſolùm in ſe admodum impuro, ſed lege Dei inprimis ut maximè immundo unà cum porco declarato, eodémque cum illo ordine collocato.

3. Denique & ſublimior Legis hujus ſenſus eandem conjunctionem egregiè admittit. Sive enim ſub *mercede meretriciâ* quicquid cujuſcunque generis peccatis partum eſt, ſub *pretio Canis* autem, lucrum ex re aliâ quocunque modo Deo diſplicente perceptum, comprehendas; ſive, quod hinc non longè abit, cùm duo præcipuè ſint media aliquid acquirendi, vel *operâ* atque *labore*, vel *rerum permutatione* & *mercimoniis*, ſub priori omne quod *opere peccaminoſo*, ſub poſteriori *omne quod illegitimo mercimonio* acquiſitum eſt, intelligas, egregiè iterum duo hæc conjuncta eſſe & præcipuos modos acquirendi vetitos deprehendes, Deúmque non facilè rectius declarare potuiſſe, quantopere illos averſetur, quàm quòd & fructum eorum ſibi abominationi eſſe teſtatus eſt, ædéque ſuà proſcripſit, haud difficulter agnoſces.

DIS-

DISSERTATIO VII.

DE REGULA QUADAM GRAMMATICA, MULTIS SCRIPTURÆ S. LOCIS LUCEM FOENERANTE, OCCASIONE VERBORUM

1 SAM. VI. 7.

I.

Non mihi in præſens animus eſt, verba hujus commatis, utpote quæ per ſe ſatis clara ſunt, illuſtrare, ſed potiùs illorum occaſione, regulam quandam grammaticam proponere, hactenus quantum ſcio, ab illis qui Syntaxin hebræam tradiderunt, minùs obſervatam, ſed multorum tamen locorum, ceteroquin admodum difficilium aut obſcurorum, illuſtrationi egregiè inſervientem.

I I.

Regula autem hæc eſt: *Hebræi plerumque quando duabus orationis partibus duas alias, ad priores relationem babentes, ſubjungunt, bas ita diſponere ſolent, ut prior reſpondeat proximè præcedenti, poſterior remotiori.* Quemadmodum verò regulæ formari debent ex exemplis evidentiſſimis, & extra omnem dubitationis aleam poſitis, ita, licèt idem ex innumeris aliis locis, quorum non pauca dein adferemus, confirmari poſſit, ad ipſam tamen regulam condendam hoc præcipuè loco uti volumus, utpote ex quo res ipſo meridiano Sole clarius eluceſcit.

I I I.

Agnoſcet id unusquisque, qui verba ipſa tantùm inſpiciet, quæ ita ſe habent 1 Sam. VI. 7. ועתה קחו ועשו עגלה חדשה אחת ושתי פרות עלות: *Et nunc ſumite & facite plauſtrum unum novum & duas juvencas fœtas.* Vides hîc B. L. gemino

man-

Digitized by Google

mandato de *ſumendo* & *faciendo*, ſubjungi geminum objectum, circa quorum alterutrum alterutra actio exſerenda, *plauſtrum novum* & *duas juvencas*, ídque ita, ut quod horum primo loco memoratur, ad proximè præcedens verbum *facere*, quod ultimo, ad remotius *ſumere* referri debeat. Plauſtrum enim novum, cui arca fœderis imponenda, faciendum, duæ autem juvencæ ſumendæ erant, quæ plauſtrum hoc cum arcâ reducerent.

I V.

Idem in quàm plurimis aliis locis obſervari poteſt, quorum nonnulla tantùm illuſtrationis cauſa ſubjungam. Poſtquam Pſalm. XLIX. 2. excitaverat PSALTES *omnes populos terrâeque incolas, ut doctrinæ ſuæ attenderent*, addit *com.* 3. גם בני אדם גם בני איש יחד עשיר ואביון: *Tam filii hominis, quàm filii Viri, æquè dives, quàm pauper.* Ubi cùm *filii hominis* אדם ex conſueto apud Hebræos loquendi more denotent *homines tenuioris conditionis, viles, pauperes, filii Viri* autem *honoratiores, nobiliores, ditiores*, ſecundùm ordinem ſermonis in noſtris linguis obſervari ſolitum, in hac epexegeſi *filiis hominis* & *filiis Viri* ſubordinatus fuiſſet, *pauper* & *dives*, ſed ex canone modo memorato præmittitur *dives*, propiorem habens relationem ad proximè præcedentes *filios Viri*, ſubjungitur *pauper*, ad remotiores *filios hominis* ſpectans. Eodem modo *Cant.* II. 14. Sponſus his verbis alloquitur ſponſam: הראיני את מראיך השמיעני את קולך כי קולך ערב ומראיך נאוה: *Oſtende mihi faciem tuam, audire me fac vocem tuam, nam vox tua dulcis eſt, facies tua decora.* Vides clariſſimè primam rationis ſubjunctæ partem, *nam vox tua dulcis eſt*, reſpondere proximè præcedenti, *audire me fac vocem tuam*, ultimam autem, *& facies tua decora eſt*, remotiori, *oſtende mihi faciem tuam.* Eodem modo Jeſ. XI. cùm *comm.* 6, 7. promiſſum eſſet, *rapaces feras, lupos, pardos, leones, urſos, cubaturos cum pecudibus & armentis*, *com.* 8. autem, *lactentem ſe oblectaturum ad foramen aſpidis, & ablactatum manum ſuam extenſurum ad ſpeluncam baſiliſci* additur *com.* 9. לא ירעו ולא ישחיתו בכל הר קדשי. *non nocebunt, neque perdent in toto monte Sanctitatis meæ*, ubi rectè *Celeb.* ENSIUS *in Comment. belg.* ex uſu vo-

cum

Digitized by Google

cum hebr. docet, prius ירעו referri ad *beſtias venenatas com.* 8. ultimum autem ישחיתו ad *feras rapaces com.* 6, 7. ſed rationem non eſt aſſecutus, quæ ex hac regulâ ultrò patet.

V.

In Novi Inſtrumenti tabulis idem non minùs eſt obvium. Matth. VI. 24. Ὀυδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει. ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, vel enim unum odio habebit, & alterum amabit, vel uni adhæreſcet, & alterum deſpiciet.* Ubi τὸ *adhæreſcet* reſpondet immediatè præcedenti *amabit*, τὸ *deſpiciet* autem remotiori *odio habebit.* Sic Rom. XI. 22. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ· ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν· ἐπὶ δέ σε χρηστότητα, ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι· *Vide igitur benignitatem & ſeveritatem Dei: ſuper lapſos quidem ſeveritatem, ſuper te benignitatem, ſiquidem adhæreas benignitati.* Ubi iterum ex duobus in initio nominatis Dei attributis, *benignitate* & *ſeveritate*, primum exemplum ſubjungitur *ſeveritatis*, tum verò demum *benignitatis.* Exempla hæc tantum adducere volui, ut rei veritas eò clariùs pateſceret. Ceterùm attentus Lector eorum innumera ipſe paſſim deprehendet, imò dicere non dubito, hunc ordinarium loquendi morem Hebræis fuiſſe, & quoties ab eo recedunt, id pro extraordinario habendum eſſe, ejúsque etiam rationes haud difficulter oſtendi poſſe.

V I.

Neque autem tantum in ſubjectis & prædicatis, aut brevioribus enunciationibus, ſed & prolixioribus orationibus aut narrationibus idem locum habet. Speciminis loco intueamur ſermonem Servatoris Matth. XXV. quo ordinem in ultimo judiciò ſervandum graphicè pandit. Proponit hìc primùm ſententiam abſolutoriam, quam pii exſpectandam habent cum ejus juſtificatione *comm.* 34—40. Dein condemnatoriam in impios pronunciandam cum ejusdem juſtificatione *comm.* 41—45. Quando autem utriusque ſententiæ exſecutionem vult ſubjungere, non à piis, uti noſtro loquendi more fieri debuiſſe videtur, ſed ab impiis, de quibus immediatè præcedentibus commatibus egerat, incipit,

Sic-

ſicque ad pios progreditur, dicens *com.* 46. Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον· οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Eadem ratione cùm PAULUS docuiſſet *Rom.* I. 16, 17. *Evangelium Chriſti eſſe potentiam Dei ad ſalutem omni credenti*, JUDÆO *quidem primùm, tum verò & Græco*, quoniam *in eo revelata ſit juſtitia ex fide* &c. atque ut id propiùs oſtenderet, demonſtrare antea vellet, utrosque ὑποδίκους eſſe, id priùs non de *Judæis*, ſed *Græcis* ſeu *gentibus* facit capite reliquo primo & priori parte ſecundi, tum verò inde à *com.* 17. ſecundi usque ad *com.* 20. *cap.* tertii de Judæis.

Quin imò apud Auctores profanos eorúmque optimos ſimilem quoque loquendi morem obtinere, & χιασμὸν appellari, docet ſummus CASAUBONUS *ad Strabonis Geograph.* edit: *Almelov.* p. 1027.

VII.

Non levis autem momenti hanc regulam eſſe, ex nonnullorum locorum difficiliorum, aut minùs rectè hactenus acceptorum, collatione, manifeſtum evadet. Lubet hîc inprimis provocare ad locum πολυθρύλλητον, 1 *Cor.* VI. 11. Καὶ ταῦτά τινες ἦτε· ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ Πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. *Et tales quidam eratis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu, & per Spiritum Dei noſtri.* Notum eſt, quantam hæc verba crucem fixerint, etiam eruditiſſimis Interpretibus, dum non videbant, quo pacto convenienter locutionibus Spiritûs S. & operibus œconomicis. Sanctificatio *nomini Chriſti*, & juſtificatio *Spiritui Dei noſtri* tribui queat, quemadmodum tamen, ſi verba convenienter ordini, quem nos ſervare ſolemus, accipiantur, fieri deberet. Nec feliciùs rem expediunt, qui illa generaliùs ſumunt, & utrumque bonum, Sanctificationem & juſtificationem, ad utrumque, tam ſanguinem Domini, quàm Spiritum Dei noſtri, referunt, conferentes eum in finem 1 *Cor.* I. 30. ubi *Chriſtus* dicitur *ſuis factus eſſe juſtitia & ſanctificatio.* Secundùm conſuetum enim Scripturæ loquendi morem juſtificatio eſt fructus meritorum Chriſti, & ſanctificatio opus Spiritûs. Unde non video, quomodo

ubi diſertè Spiritûs mentio occurrit, ſanctificatio aliorſum quàm ad illum referri queat, cui ut proprium opus œconomicum ſemper tribui ſolet, inprimis autem oſtendi mihi velim, ubi juſtificatio unquam Spiritui Sancto adſcribatur. Omnia autem plana ſunt, neque his aut aliis violentis interpretationibus opus eſt, modo huc regula ſupra data applicetur. Scilicet, Apoſtolus in eo eſt, ut doceat, Corinthios, ad quos ſcribit, tam à dominio, quàm reatu peccati, cui quondam fuerant captivati, liberatos eſſe: id primùm generatim proponit metaphoricâ appellatione *ablutionis*, ſub quâ utrumque beneficium, tam in baptiſmo, quàm crebris illis lotionibus, quas Lex Moſis imperabat, depictum fuit: tum diſtinctiùs explicat, quomodo hæc ablutio facta ſit, nempe per *ſanctificationem*, quæ adhærentes peccati ſordes tollit, & *juſtificationem*, quæ immunditiem per peccata admiſſa contractam aufert. Tandem ſubjunxit media, per quæ ut Spirituales undas id factum erat, ubi præmittit *nomen Domini Jeſu*, id eſt *merita* ſeu *ſatisfactionem ejus*, quia hæc eſt cauſa proximè præcedentis *juſtificationis*, & dein *Spiritum Dei noſtri*, qui eſt cauſa efficiens *ſanctificationis.* Quò pacto omnis difficultas jam penitùs ſublata eſt.

VIII.

Ejuſdem autem regulæ ignoratione factum eſt, quòd nonnulli minùs circumſpectè Scriptoribus Sacris aliquod ὕστερον πρότερον verè tumultuarium adſcripſerunt. Glassius *Lib.* IV. *Tract.* II. *Obſerv.* XXVII. in *Nota* ait: *Huc*, (nempe ad Synchyſin in continuo ſermone) *referri poteſt ille narrationis in ſermone Scripturarum modus, cum poſitâ propoſitione, membra ejus* κατασκευαστικὰ *vel* ἐξηγητικὰ, καθ᾽ ὕστερον πρότερον *ſubjiciuntur.* Verùm ut, quod ſentio, eloquar, licèt minimè negem, nonnunquam Scripturam, quod vel naturali ordine, vel in ſerie narrationis videtur præcedere debuiſſe, poſtponere, ſemper tamen id exiſtimo deliberato conſilio & ſufficiente ratione fieri. Id enim certè prudentia in ſcribendo exigit, & abſque eo ſi eſſet, non niſi tumultuarium aliquod ὕστερον πρότερον foret, quod planè perverſis conceptibus anſam præbere poſſet, neque adeò in ullo ſapien-

piente Scriptore, nedum Sacro, & ab ipſo Spiritu in omnem veritatem ducto, ferendum eſt. Et ſanè nullum in talibus inordinatum ὕστερον πρότερον obtinere, ſed omnia convenienter genio linguæ eſſe diſpoſita, ex omnibus à GLASSIO ad hanc notam adſtruendam allatis exemplis ad oculum patere poterit.

" Prius eſt ex Job. 27. 5. *Abſit à me ut juſtificem vos: quoad* " *expiravero, non amovebo integritatem meam à me.* Propoſitio " hæc Jobi, ait, conſtans criminatione amicorum, & ſui pro- " batione, converſo ordine duobus ſequentibus verſibus am- " plificatur. Poſterius membrum v. 6. Prius membrum v. 7.

Alterum eſt ex " Pſalm. 133. 1. *Ecce quam bonum & quàm* " *jucundum eſt, habitare fratres etiam unà.* Propoſitionis hu- " jus, ſubjungit GLASSIUS, duo membra ſunt de communionis " videl. ſanctorum *bonitate* & *jucunditate.* Utrumque illuſtra- " tur congruâ ſimilitudine. Sed obſervatur ὕστερον πρότερον. " Poſterioris illuſtratio ponitur v. 2. Prioris v 3.

Tertium eſt " Jeſ. 56. 3. *Neque loquatur alienigena, qui ſe* " *adjungit Jehovæ, dicendo, omninò diſcrevit me Jehova à popu-* " *lo ſuo: neque dicat Eunuchus, en ego ſum lignum aridum.* ubi " monet; Propoſitionem duabus conſtare partibus & καθ' " ὑστέρωσιν in ſequentibus explicari. Poſteriorem partem *de eunu-* " *chis* v. 4, 5. Priorem de alienigenis. v. 6, 7.

Quartum ex "Jerem. 35. 16. *Quandoquidem præſtant filii Jeho-* " *nadabi filii Rechab præceptum patris ſui, quo præcepit ipſis:* " *populus verò iſte non auſcultat mihi.* (ubi addit) Hujus pro- " poſitionis membra duo oppoſita, inverſo ordine in ſequenti- " bus proponuntur, iiſque ſententia divina regeritur. De *po-* " *pulo* enim verſ. 17. de familia *Rechab* verſ. 18. 19. agitur."

Ultimum eſt ex " Ezech 16, 3. *Commercia tua & genituræ* " *tuæ ſunt è terrâ Chananæorum.* Subjungit hic: Hujus pro- " poſitionis membra præpoſtero ordine poſita, deinceps enar- " rantur naturali ordine. De *genitura* usque ad v. 14. de " *commerciis* verò ſeu negociatione v. 15. ſeqq. ablegans inſu- " per ad accuratam bibliorum lectionem, quæ plura ſuppedita- " tura ſit exempla, & FRANCISC. JUNIUM, qui ea diligenter ſuis " locis notaverit."

Digitized by Google

Breviter hæc ipſius *Glaſſii* verbis adferre volui, ut tantò rectiùs Lector ipſe judicium ferre queat, quàm inconveniens ſit, tale ὕστερον πρότερον, ſine ullâ additâ cautelâ aut ratione in Codicem Sacrum ingerere, cùm illud inſigni huic Philologo anſam dederit *præpoſterum ordinem* Scriptori Sacro tribuendi, tum verò quàm omnia analoga ſint, ſi Regulam ſupra datam huc applicemus, cùm non aliter in his omnibus locuti ſint Scriptores, quàm ordinarius loquendi mos ferebat.

DISSERTATIO VIII.

DE

ARCA DEI super quâ NOMEN JEHOVÆ ZEBAOTH INSIDENTIS CHERUBINIS NUNCUPATUR.

AD 2 SAM. VI. 2.

I.

Mirum eſt Viros ingenio & doctrinâ Clariſſimos, qui multis S. Scripturæ locis inſignem lucem attulerunt, in quibusdam non ſolùm ſine ratione difficultates nectere, ſed & lectionem ipſam ſolicitare, cùm ea tamen integerrima ſit, nulláque ope, nedum tam violentâ, indigeat. Exemplo ſit, quem præ manibus habemus, locus 2 Sam. VI. 2. ubi de arcâ fœderis per Davidem & univerſum populum ex Baal Juda Hieroſolymam adducendâ dicitur את ארון האֺ־הים אשר נקרא שֵׁם שם יהוה צבאות יושב הכרובים עלין: Hæc verba non ſolùm variè ab interpretibus redduntur, ſed & tandem Vir Summus Campegius Vitringa *Pater*, *Obſerv. Tom.* I. *Diſſertat.* III. *Lib.* I. *Cap.* II. tan-

tantas ſibi in illis reperiſſe difficultates viſus eſt, ut rejectis omnibus hactenus allatis explicationibus, ipſe puncta mutare, & pro priori שָׁם Kametz pro Tzeri ſubſtituto, שֵׁם legere non dubitaverit. Verùm excidiſſe hæc nollem Viro, cujus etiam manes maximo opere venerabitur, quiſquis debitum honorem interpretibus optimè de ſacris literis meritis habet, cuíque inter primos eorum minimè ultimus locus debetur. Licèt enim ſententiam omni circumſpectione mitiget, imò licèt ipſe non cenſeam, puncta ab ipſis Scriptoribus profecta eſſe, nimis tamen periculoſum exiſtimo vel minimùm in illis mutare, cùm eâ non ſolùm ætate ſine dubio ſint addita, ubi de verâ lectione abundè conſtabat, & à talibus Viris, quibus in his tutò fides adhiberi poterat, ſed & provida Dei cura, quam integritati S. Codicis illibatæ conſervandæ impendit, ne minimum quidem in omnibus codicibus errorem permittat, eorúmque vel unico admiſſo, de aliis etiam non ſatis certi eſſe poſſimus, totáque adeò integritas vacillet. Unde ego, ſi locus aliquis inſolubilis videatur, mallem potiùs fateri, me eum hactenus non intelligere, quàm ipſis verbis aut receptæ omniúmque codicum auctoritate ſtabilitæ lectioni vim inferre. In hoc autem tantò minus hac violentâ medelâ opus eſt, quò magis verba, modo ritè & convenienter genio linguæ, phraſiúmque uſui conſiderentur, plenum planúmque ſenſum fundunt.

I I.

Quod ut pateat, ſingulas locutiones excutiamus paulò diligentiùs. Incipiemus eum in finem à geminatâ voce שֵׁם quæ maximam hic peperit difficultatem. Dico autem hanc repetitionem neque fruſtra eſſe, neque genio linguæ hebrææ repugnare, quin potius eam tam ex ejus elegantiis eſſe, quàm ſingularem emphaſin inferre. Solent enim Hebræi ſæpius rem primùm nudè nominare, deinde idem nomen per *anadiploſin*, addito epitheto, aut propriori deſcriptione, repetere, ſícque rem, de quâ agitur, diſtinctiùs definire, propiùs determinare aut limitare, unde repetitio illa idem valet, ac ſi diceres *nempe*, aut

aut *inquam*. Sic Pſalmo LXVIII. 9. ארץ רעשה־ אף שמים נטפו כפני אלהים זה סיני מפני אלהים אלהי ישראל: *terra commota eſt, cœli ſtillârunt, à facie Dei, hic Sinai; à facie* Dei, Dei Israëlis, i. e. à *facie* Dei, Dei *nempe*, ſeu Dei *inquam*, Israëlis. 2 Reg. IX. 4. וילך הנער הנער הנביא *Et ivit* puer, puer Prophetæ, i. e. puer, *inquam* Prophetæ. 2 Chron. XXXI. 3. לעלות לעלות הבקר והערב והעלות לשבתות ולחדשים ולמועדים: in holocausta, holocausta (nempe) *matutina & veſpertina, & holocauſta Sabbathorum, neomeniarum & feſtorum.* Nonnunquam & duæ voces repetuntur, ut Pſalm. CXIII. 8. להושיבי עם נדיבים עם נדיבי עמו *ut ſedere faciat* cum principibus, cum principibus (inquam) populi sui. Aliquando & vox quædam alia interponitur, ut Pſalm. XVII. 14. ממתים־ ידך יהוה ממתים מחלד חלקם בחיים: ab hominibus *manu tuâ* (ſcil. eripe animam meam) ab hominibus, *inquam*, de mundo, quorum pars in (hac) vita est. Neque Hebræis id tantùm familiare eſt, ſed & aliis Scriptoribus. Sic Horatius *Epod.* XVI.

Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata.
Petamus arva, *divites & inſulas.*

III.

Proximum eſt, ut diſpiciamus, quorſum pronomen relativum אשר referendum ſit. Ubi cùm duo nomina ſubſtantiva, alterum regens, alterum rectum, ארון האלהים *arca Dei*, præcedant, quæſtio eſt, ad quod illud pertineat? Pro nomine אלהים militare videtur, quod illud præcedat immediatè, contrà autem illi nonnihil obſtare cenſeri poſſet, quod pronomen hoc אשר in caſibus obliquis ordinariò poſt ſe habere ſoleat adhuc affixum, quò ad illud ſubjectum, ad quod pertinet, propiùs reſtringitur, ut Pſalm. CXLIV. 8. אשר פיהם דבר שוא *quorum os loquitur vanitatem.* conf. de Dieu *Crit. S.* ad Job. XII. 6. & Glassius *Gramm. Lib.* III. *Tract.* II. *Can.* XXVI. 3. Quin & Græcos æquè ac Latinos idem nonnunquam imitari docet O-

Digitized by Google

LEARIUS *de Styl. N. T.* Sect. Exeget. m. 6. §. 9. Verùm uti adfixum in hac conſtructione minimè ſupervacaneum eſt, ſed potiùs ſubjectum propiùs determinat, ad quod oratio reſpicit, ejúſque loco ponitur, ita ſine dubio contrà quoque ipſum ſubjectum loco affixi repeti poteſt. Sic perinde fuiſſet in loco adducto *Pſalm* CXLIV. 8. utrum Pſaltes, poſtquam commate præcedenti locutus erat de בני נכר *filiis peregrinis*, dixiſſet, ut nunc factum eſt, אשר פיהם דבר שוא an verò per repetitionem ſubjecti, & geminationem nominis, cum quo illud conſtruitur, אשר פי פי בני נכר דבר שוא *quorum os, os* (*nempe*, vel *inquam*) *filiorum peregrinorum loquitur vanitatem.* Quò rectè referri poteſt *Canon* XXIV. GLASSII loc. adducto. *Antecedens, ſeu nomen ad quod relativum refertur, quandoque repetitur poſt relativum.* Et licèt omnia, quæ adfert, exempla non æquè quadrent, primum tamen ſatis benè ſe habet, atque id inprimis quod modo monuimus, luculenter confirmat. Scilicet Gen. XIII. 16. dicit Deus Abrahamo: ושמתי את זרעך כעפר הארץ אשר אם יוכל איש למנות את־ עפר הארץ גם זרעך ימנה: *& ponam ſemen tuum, ut pulverem terræ, quem ſi quis poterit numerare, pulverem* (nempe) *terræ, etiam ſemen tuum numerabitur.* ubi ſine dubio eodem ſenſu dici potuiſſet, אשר אם יוכל למנותו *quem ſi quis numerare poterit*, &c. Atque ita etiam hîc loci convenienter genio linguæ hebrææ ſine repetitione nominis Dei, ut & ipſius vocis שם, nudè ſubjuncto tantùm affixo dici potuiſſet אשר נקרא שמו עליו *cujus nomen ſuper illâ nominatur.* Certè nemo hebrææ linguæ ſatis peritus, quicquam in eo deprehendet illi minùs conveniens.

I V.

Non minus tamen ſecundùm regulas linguæ hebrææ אשר ṭō quoque ultima vox עליו reſpondere poteſt. Ex eadem enim regulâ, quam commate præcedente attulimus, ו in עליו poteſt referri ad pronomen relativum, atque tum ſubjectum, quo utrumque pertinet, ארון *arca* fœderis, ſenſúſque verborum

erit, *ut adducerent arcam Dei*, super quâ *nomen*, *nomen* (*inquam*) *Jehovæ exercituum* &c.

Cui ſententiæ fruſtra opponit *ſummus* Vitringa. *Si rem diligentius conſideres, deprehendes, adverſam eſſe hanc expoſitionem conſtructioni vocum & genio Linguæ. Si enim* עליו *pertineret ad* אשר *annon deberet ſcriptum eſſe* אשר נקרא עליו? *Cur illud* עליו *demum reperitur in fine verſus poſt alias voces in oratione interpoſitas? Annon affixa relativa referenda ſunt ad immediatè præcedentia nomina, ſi nihil obſtet?* Sæpiſſimè enim tales propoſitiones cum affixo, aut nomina quibus affixum additum eſt, quibuſdam interpoſitis demum ſubjunguntur, ut Jer. I. 2. אשר היה דבר יהוה אליו *ad quem fuit verbum Jehovæ.* ubi ſanè non minùs commodè dici potuiſſet אשר אליו היה דבר יהוה Joël IV. 19. אשר ־שפכו דם־ נקיא בארצם *in quorum terrâ effuderunt ſanguinem innocentem*, ubi rectè quoque potuiſſet dici אשר בארצם שפכו דם נקי: Idem etiam non præcedente pronomine relativo, aut ubi affixum eò non ſpectat, in aliis loquendi modis locum habet, ut Num. XVII. 5. כאשר דבר יהוה ביד משה לו: *quemadmodum locutus eſt Jehova per manum Moſis ipſi:* ubi adhuc magis videretur naturalis ordo requirere כאשר דבר לו יהוה ביד משה vel כא׳ר יהוה דבר לו וגו׳ In talibus itaque ex totius ſermonis συναφείᾳ dijudicandum, quorſum affixum pertineat. Nec juvat objicere, affixa referenda ad immediatè præcedentia nomina, ſi nihil obſtet. Quod enim locis modo adductis, idem & hic obſtat, quò minùs id fieri queat, quia niſi referatur ad pronomen אשר vel ad vocem adhuc remotiorem ארון ut mox videbimus, verba nullum idoneum ſenſum fundent, imò ipſe Vir Erudítiſſimus, dum id fieri non poſſe exiſtimavit, coactus fuit lectionem ipſam ſollicitare.

V.

Inſtat autem idem, phraſis אשר נקרא עליו שם illud quoque non permittere, utpote quæ aliud planè ſignificet apud Hebræos. Provocat eum in finem ad unicum locum παράλληλον Deut. XXVIII. 10. *& videbunt omnes populi terræ*, כי שם יהוה נקרא

נקרא עליך *quòd* NOMEN JEHOVÆ VOCETUR SUPER TE, id eſt, ut ipſe explicat, quod vos *ſitis populus Dei*, *Filii Dei*, quod *à Deo denominemini* &c. Verum non video, quid locus hic huic ſententiæ noceat. Res ſanè diverſæ diverſimodè, convenienter nempe ſingularum naturæ, ab aliis denominari poſſunt. Sic populus eo, quo Vir Doctus rectè monuit, ſenſu, hac prærogativâ gaudebat. Res autem inanimatæ ab illo denominantur, vel nomen Dei ſuper illis nuncupatur, quando ipſi, ejus honori aut cultui conſecratæ ſunt, vel illis certâ ratione ut ſuis utitur, imò inde etiam certis honorum titulis inſigniuntur. Ne dubites Lector, en tibi quoque loca παράλληλα! 1 Reg. VIII. 43. & 2 Chron. VI. 33. ubi Salomon de templo à ſe exſtructo dicit למען ידעו כל עמי הארץ את־שמך וליראה אתך כעמך ישראל ולדעת כי שמך נקרא על הבית הזה אשר בניתי *ut cognoſcant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te, ſicut populus tuus Iſraël, & ut ſciant*, QUÒD NOMEN TUUM NUNCUPATUR SUPER DOMO HAC, *quam exſtruxi.* Vides quàm clariſſimè eandem phraſin, שם יהוה נקרא על *Nomen Jehovæ nuncupatur ſuper*, de *templo*, ut in noſtro loco de *arcâ* uſurpari. Quemadmodum igitur illic innuit, quòd ædes hæc à Deo denominetur, quod ea Deo ſingulari ratione conſecrata ſit, Deúſque illam inhabitet, ita etiam hîc loci eodem ſenſu commodè & convenienter genio linguæ hebrææ de arcâ adhiberi poteſt. Atque ita quoque corruit nova *Viri Optimi* exceptio, quando ait: *verba ſic vertenda eſſe. Quæ* DENOMINATUR *à Jehova*, DOMINO EXERCITUUM, *quod ſenſum fundat tenuem & exilem.* & dein ſubjungit: ARCA *quidem à Deo denominata fuit, quatenus dicta eſt* ARCA DEI, *ſed templum quoque & omnia Templi inſtrumenta ſacra dicta ſunt* DEI, & JEHOVÆ, *& ab ipſo* DENOMINATA *ſunt. Hic autem peculiare quid & ἐξόχως de* ARCA *prædicatur.* Verùm cur quæſo magis phraſeos hujus ſenſus tenuis & exilis eſt, quando de arcâ, quàm quando de populo, aut etiam de templo adhibetur? Deinde non tantùm templum dicitur templum Dei, ſed *Dei nomen ſuper illo*, ut viſum, *nuncupari* dicitur, eodem modo uti hîc idem de arcâ prædicari oſtendimus. Denique non

Digitized by Google

erit, *ut adducerent arcam Dei*, super quâ *nomen*, *nomen* (*inquam*) *Jehovæ exercituum* &c.

Cui ſententiæ fruſtra opponit *ſummus* Vitringa. *Si rem diligentius conſideres, deprehendes, adverſam eſſe hanc expoſitionem conſtructioni vocum & genio Linguæ. Si enim* עליו *pertineret ad* אשר *annon deberet ſcriptum eſſe* אשר נקרא עליו? *Cur illud* עליו *demum reperitur in fine verſus poſt alias voces in oratione interpoſitas? Annon affixa relativa referenda ſunt ad immediatè præcedentia nomina, ſi nihil obſtet?* Sæpiſſimè enim tales propoſitiones cum affixo, aut nomina quibus affixum additum eſt, quibuſdam interpoſitis demum ſubjunguntur, ut Jer. I. 2. אשר היה דבר יהוה אליו *ad quem fuit verbum Jehovæ.* ubi ſanè non minùs commodè dici potuiſſet אשר אליו היה דבר יהוה Joël IV. 19. אשר־שפכו דם־נקיא בארצם *in quorum terrâ effuderunt ſanguinem innocentem*, ubi rectè quoque potuiſſet dici אשר בארצם שפכן דם נקי: Idem etiam non præcedente pronomine relativo, aut ubi affixum eò non ſpectat, in aliis loquendi modis locum habet, ut Num. XVII. 5. כאשר דבר ידוה ביד משה לו: *quemadmodum locutus eſt Jehova per manum Moſis ipſi*: ubi adhuc magis videretur naturalis ordo requirere כאשר דבר לו יהוה ביד משה vel כא׳ר יהוה דבר לו וגו׳ In talibus itaque ex totius ſermonis συναφείᾳ dijudicandum, quorſum affixum pertineat. Nec juvat objicere, affixa referenda ad immediatè præcedentia nomina, ſi nihil obſtet. Quod enim locis modo adductis, idem & hic obſtat, quò minùs id fieri queat, quia niſi referatur ad pronomen אשר vel ad vocem adhuc remotiorem ארון ut mox videbimus, verba nullum idoneum ſenſum fundent, imò ipſe Vir Eruditiſſimus, dum id fieri non poſſe exiſtimavit, coactus fuit lectionem ipſam ſollicitare.

V.

Inſtat autem idem, phraſis אשר נקרא עליו שם illud quoque non permittere, utpote quæ aliud planè ſignificet apud Hebræos. Provocat eum in finem ad unicum locum παράλληλον Deut. XXVIII. 10. *& videbunt omnes populi terræ*, כי שם יהוה נקרא

Digitized by Google

נקרא עליך *quòd* NOMEN JEHOVÆ VOCETUR SUPER TE, id eſt, ut ipſe explicat, quod vos *ſitis populus Dei*, *Filii Dei*, quod *à Deo denominemini* &c. Verum non video, quid locus hic huic ſententiæ noceat. Res ſanè diverſæ diverſimodè, convenienter nempe ſingularum naturæ, ab aliis denominari poſſunt. Sic populus eo, quo Vir Doctus rectè monuit, ſenſu, hac prærogativâ gaudebat. Res autem inanimatæ ab illo denominantur, vel nomen Dei ſuper illis nuncupatur, quando ipſi, ejus honori aut cultui conſecratæ ſunt, vel illis certâ ratione ut ſuis utitur, imò inde etiam certis honorum titulis inſigniuntur. Ne dubites Lector, en tibi quoque loca παράλληλα! 1 Reg. VIII. 43. & 2 Chron. VI. 33. ubi Salomon de templo à ſe exſtructo dicit למען ידעו כל עמי הארץ את־שמך ליראה אתך כעמך ישראל ולדעת כי שמך נקרא על הבית הזה אשר בניתי *ut cognoſcant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te, ſicut populus tuus Iſraël, & ut ſciant*, QUÒD NOMEN TUUM NUNCUPATUR SUPER DOMO HAC, *quam exſtruxi.* Vides quàm clariſſimè eandem phraſin, שם יהוה נקרא על *Nomen Jehovæ nuncupatum ſuper*, de *templo*, ut in noſtro loco de *arcâ* uſurpari. Quemadmodum igitur illic innuit, quòd ædes hæc à Deo denominetur, quod ea Deo ſingulari ratione conſecrata ſit, Deúſque illam inhabitet, ita etiam hîc loci eodem ſenſu commodè & convenienter genio linguæ hebrææ de arcâ adhiberi poteſt. Atque ita quoque corruit nova *Viri Optimi* exceptio, quando ait: *verba ſic vertenda eſſe. Quæ* DENOMINATUR *à Jehova*, DOMINO EXERCITUUM, *quod ſenſum fundat tenuem & exilem.* & dein ſubjungit: ARCA *quidem à Deo denominata fuit, quatenus dicta eſt* ARCA DEI, *ſed templum quoque & omnia Templi inſtrumenta ſacra dicta ſunt* DEI, & JEHOVÆ, & *ab ipſo* DENOMINATA *ſunt. Hic autem peculiare quid & ἐξόχως de* ARCA *prædicatur.* Verùm cur quæſo magis phraſeos hujus ſenſus tenuis & exilis eſt, quando de arcâ, quàm quando de populo, aut etiam de templo adhibetur? Deinde non tantùm templum dicitur templum Dei, ſed *Dei nomen ſuper illo*, ut viſum, *nuncupari* dicitur, eodem modo uti hîc idem de arcâ prædicari oſtendimus. Denique non

O 2 video,

erit, *ut adducerent arcam Dei*, super quâ *nomen*, *nomen* (*inquam*) *Jebovæ exercituum* &c.

Cui ſententiæ fruſtra opponit *ſummus* Vitringa. *Si rem diligentius conſideres, deprebendes, adverſam eſſe banc expoſitionem conſtructioni vocum & genio Linguæ. Si enim* ש עליו *pertineret ad* אשר *annon deberet ſcriptum eſſe* אשר נקרא עליו? *Cur illud* עליו *demum reperitur in fine verſus poſt alias voces in oratione interpoſitas? Annon affixa relativa referenda ſunt ad immediatè præcedentia nomina, ſi nihil obſtet?* Sæpiſſimè enim tales propoſitiones cum affixo, aut nomina quibus affixum additum eſt, quibuſdam interpoſitis demum ſubjunguntur, ut Jer. I. 2. אשר היה דבר יהוה אליו *ad quem fuit verbum Jebovæ*. ubi ſanè non minùs commodè dici potuiſſet אשר אליו היה דבר יהוה Joël IV. 19. אשר ־שפכו דם־ נקיא בארצם *in quorum terrâ effuderunt ſanguinem innocentem*, ubi rectè quoque potuiſſet dici אשר בארצם שפכן דם נקי׃ Idem etiam non præcedente pronomine relativo, aut ubi affixum eò non ſpectat, in aliis loquendi modis locum habet, ut Num. XVII. 5. כאשר דבר יהוה ביד משה לו׃ *quemadmodum locutus eſt Jebova per manum Moſis ipſi*: ubi adhuc magis videretur naturalis ordo requirere כאשר דבר לו יהוה ביד משה vel כא׳ר יהוה דבר לו וגו׳ In talibus itaque ex totius ſermonis συναφείᾳ dijudicandum, quorſum affixum pertineat. Nec juvat objicere, affixa referenda ad immediatè præcedentia nomina, ſi nihil obſtet. Quod enim locis modo adductis, idem & hic obſtat, quò minùs id fieri queat, quia niſi referatur ad pronomen אשר vel ad vocem adhuc remotiorem ארון ut mox videbimus, verba nullum idoneum ſenſum fundent, imò ipſe Vir Eruditiſſimus, dum id fieri non poſſe exiſtimavit, coactus fuit lectionem ipſam ſollicitare.

V.

Inſtat autem idem, phraſis אשר נקרא עליו שם illud quoque non permittere, utpote quæ aliud planè ſignificet apud Hebræos. Provocat eum in finem ad unicum locum παράλληλον Deut. XXVIII. 10. *& videbunt omnes populi terræ*, כי שם יהוה נקרא

Digitized by Google

נקרא עליך *quòd* NOMEN JEHOVÆ VOCETUR SUPER TE, id eſt, ut ipſe explicat, quod vos *ſitis populus Dei*, *Filii Dei*, quod *à Deo denominemini* &c. Verum non video, quid locus hic huic ſententiæ noceat. Res ſanè diverſæ diverſimodè, convenienter nempe ſingularum naturæ, ab aliis denominari poſſunt. Sic populus eo, quo Vir Doctus rectè monuit, ſenſu, hac prærogativâ gaudebat. Res autem inanimatæ ab illo denominantur, vel nomen Dei ſuper illis nuncupatur, quando ipſi, ejus honori aut cultui conſecratæ ſunt, vel illis certâ ratione ut ſuis utitur, imò inde etiam certis honorum titulis inſigniuntur. Ne dubites Lector, en tibi quoque loca *παράλληλα*! 1 Reg. VIII. 43. & 2 Chron. VI. 33. ubi Salomon de templo à ſe exſtructo dicit למען ידעו כל עמי הארץ את־שמך וליראה אתך כעמך ישראל ולדעת כי שמך נקרא על הבית הזה אשר בניתי *ut cognoſcant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te, ſicut populus tuus Iſraël, & ut ſciant*, QUÒD NOMEN TUUM NUNCUPATUR SUPER DOMO HAC, *quam exſtruxi.* Vides quàm clariſſimè eandem phraſin, שם יהוה נקרא על *Nomen Jehovæ nuncupatur ſuper*, de *templo*, ut in noſtro loco de *arcâ* uſurpari. Quemadmodum igitur illic innuit, quòd ædes hæc à Deo denominetur, quod ea Deo ſingulari ratione conſecrata ſit, Deúſque illam inhabitet, ita etiam hîc loci eodem ſenſu commodè & convenienter genio linguæ hebrææ de arcâ adhiberi poteſt. Atque ita quoque corruit nova *Viri Optimi* exceptio, quando ait: *verba ſic vertenda eſſe. Quæ* DENOMINATUR *à Jehova*, DOMINO EXERCITUUM, *quod ſenſum fundat tenuem & exilem.* & dein ſubjungit: ARCA *quidem à Deo denominata fuit, quatenus dicta eſt* ARCA DEI, *ſed templum quoque & omnia Templi inſtrumenta ſacra dicta ſunt* DEI, *&* JEHOVÆ, *& ab ipſo* DENOMINATA *ſunt. Hîc autem peculiare quid & ἐξόχως de* ARCA *prædicatur.* Verùm cur quæſo magis phraſeos hujus ſenſus tenuis & exilis eſt, quando de arcâ, quàm quando de populo, aut etiam de templo adhibetur? Deinde non tantùm templum dicitur templum Dei, ſed *Dei nomen ſuper illo*, ut viſum, *nuncupari* dicitur, eodem modo uti hîc idem de arcâ prædicari oſtendimus. Denique non

video, quare quid hîc ἐξόχως de arcâ prædicetur, quàm quando eadem locutio aliàs de templo adhibetur. Quòd ſi tamen omninò velis aliquid ἐξόχως de eadem prædicari, hoc ſanè etiam haud difficulter oſtendi poteſt. Annon enim hîc ἐξοχὴν quandam infert, quòd cum reliqua vaſa ob conſecrationem, quin & templum ob inhabitationem à Deo denominetur, arca inprimis fuerit, ſuper quâ Deus ſe proximè viſibili modo manifeſtaverit, illi veluti throno regio inter alas Cherubinorum inſidens? Annon igitur eam ob cauſam ſingulari quoque emphaſi nomen Dei ſuper illâ nuncupatum, vel ipſa à Deo, Jehova exercituum denominata eſſe, dici poteſt? Certè hæc ſine dubio cauſa eſt prolixioris illius deſcriptionis, quæ ceteroquin ſupervacanea planè foret, nunc autem ſingularem emphaſin habet, *nomen Jehovæ Exercituum inſidentis τοῖς Cherubim.*

V I.

Atque ita patet vel gemino modo, ſine ullâ vi convenienter genio linguæ hebrææ verba explicari poſſe, vel ita ut אשר referatur ad Deum, ménſque adeò ſit, *ut adducerent arcam Dei*, CUJUS *nomen, nomen nempe Jehovæ exercituum inſidentis Cherubim, nuncupatur ſuper illâ*: vel ut אשר connectatur cum עליו integérque adeò locus reddi debeat, *ut adducerent arcam Dei*, SUPER QUÂ *nuncupatur nomen Jehovæ exercituum inſidentis Cherubim.* In utraque ſanè ſententiâ nihil eſt, quod non per omnia receptæ locutioni genióque linguæ exactè reſpondeat. Quod ut denuò tantò clariùs pateſcat, loco repetitæ vocis שם quam pro affixo tertiæ perſonæ ו geminari monui §. II. additaéque ulterioris deſcriptionis Dei, ipſum affixum ו ſubſtituam, atque tum res planè confecta erit. Debuiſſet autem tum dici אשר נקרא שמו עליו quod vel ita poſſet accipi, ut affixum ו cum præcedente אשר ad nomen אלהים referatur, quo pacto mens foret: CUJUS (ſcil. Dei) NOMEN *ſuper illâ nuncupatur*, ac ſi nempe hebräicè dictum eſſet אשר שמו נקרא עליו vel ut ו in עליו cum pronomine אשר conjungatur cum voce ארון ac ſi

ſcri-

ſcriptum eſſet אשר עליו נקרא שמו i. e. *ſuper quâ nuncupatur nomen ejus.* Quòd ſi jam quæras, quænam harum duarum explicationum præferenda ſit, fateor, utramque tam convenientem eſſe, ut ſi in ipſo hoc loco tantùm manerem, vix ſcirem, cui palmam concedere deberem, nec improbare penitus poſſem, ſi quis cenſeat, ſcriptorem ſacrum deliberato conſilio ita locutum eſſe, ut utraque ſententia conjungi poſſet. Interim ſi quæ tamen hîc optio neceſſaria omninò ſit, priori ſententiæ primas concederem, ídque ob locum verè παράλληλον, quem Summum Virum hîc contuliſſe miror: Scilicet 1 Chron. XIII. 6. ubi, dum eadem res narratur, dicitur, *ut inde adducerent arcam Dei, Jehovæ inſidentis τοῖς Cherubim* אשר נקרא שם CUJUS NOMINE NUNCUPATUR, ubi τὸ אשר clariſſimè ad immediatè præcedens ſubjectum *Deum* &c. refertur. Hic enim ſimpliciſſimus eſt, quem verba fundunt ſenſus; neque eſt, ut quis objiciat, non adeſſe hîc affixum tertiæ perſonæ, quod pronomini אשר ſubjungi ſolet, ut §. III. docuimus, licèt enim id ordinarium ſit, non tamen perpetuum eſt. Sic Deut. XI. 9. dicitur על אדמה אשר נשבע יהוה לאבתיכם לתת להם ולזרעם: pro לתת אותה conf. & XVI. 21. coll. Ezech. XXXVII. 25. Neque dubium movere cuiquam debet, quòd aliàs נקרא cum על ut in noſtro loco, vel cum ב hoc ſenſu conſtruatur, dicatúrque nomen aliquod נקרא על *nuncupatur ſuper aliquo*, vel aliquid נקרא בשם *nuncupatur nomine*, intercedente nempe ב nam & illud aliquando quoque omittitur nudéque dicitur נקרא שם pro נקרא בשם

V I I.

Atque hæc etiam eſt ratio, quare non cum JUNIO & *Eruditiſſimis* BELGIS phraſin נקרא שם accipiam de *invocatione nominis Dei*, quia, licèt verum ſit ad hanc arcam, ſeu locum ubi illa inveniebatur, ſolemnem nominis hujus invocationem factam eſſe, locutio tamen illa 2 Sam. VI. 6. ſi reddatur *ubi* vel *ad quam invocatur* &c. neſcio quid duri habet, tum quoque hic ſignificatus ad alterum locum 1 Chron. XIII. 6. planè non

Digitized by Google

quadrat. Vix enim credo ullo exemplo doceri poſſe, quòd אשר quando immediatè ſubjectum præcedit, ad quod referri queat, pro adverbio *in loco* ſeu *ubi*, adhibeatur; inprimis autem nemo oſtendet facilè, phraſin *invocationis nominis* nudè & abſolutè unquam de *invocatione Dei* vel *nominis divini* uſurpari, unde ſi quid capio, vel ipſo ſono offendit verſio *Doctiſſimorum* BELGARUM dum verba illa אשר נקרא שם reddunt *Daer de name word aengeroepen.* Quod ſi tamen alicui notio invocationis nominis divini magis arrideat, neque ſic quæ à me de vero & genuino vocum ordine atque cohærentiâ diſputata ſunt, fruſtra erunt.

VIII.

Inprimis autem ex his omnibus nunc liquere puto, nullo violento medio, aut receptæ conſtantiſque lectionis ſollicitatione, ad loci hujus explicationem opus eſſe, à quâ tantò magis abhorreo, quò minùs illâ admiſſâ video, intemeratam S. Codicis integritatem adſtrui aut defendi poſſe. Quin & gaudebo, ſi ex hoc ſpecimine agnoſcant, qui in admittendis mendis nimis faciles ſunt, quàm, ea quæ etiam ſummis Viris ſuſpecta habebantur, adhibitâ debitâ attentione & applicatis rectè regulis hermeneuticis, deprehendantur ſæpe ſaniſſima planiſſimáque eſſe. Interim ſine dubio aliorum παρερμηνείαι præcipuè induxerunt ſummum hunc oculatiſſimúmque ſcripturæ Interpretem, ut ad hoc extremum confugeret, ubi inprimis miram *Celeb.* DE DIEU ſententiam, quâ difficultatem tolli poſſe exiſtimabat, intactam relinquere non poſſum, quòd ſcil. *nomen* hîc *Deum* ipſum denotet, unde integrum locum reddit, *ut inde adducerent Arcam Dei, qui vocatur Nomen, Nomen Jehovæ Exercituum inſidentis Cherubim ſupra eam.* Neque enim, ut rectè jam monuit *Celeb.* VITRINGA, facilè concedendum, Deum in ſacris unquam abſolutè *Nomen* dici, ſed à Judæis potius hæc locutio eſt introducta, tum quoque intolerabilis eſt oratio, ut idem ſubjungit, *Deum* dici *nomen Dei, nomen Jehovæ exercituum*, quemadmodum ineptum foret *Johannem* appellari *nomen Johannis.* Addo, minùs rectè quoque in hac æquè ac ipſius *Celeb.* VITRINGÆ ſenten-

tentiâ, quin & *verſ. belgicâ*, ultimum עלין ad inſidentem τοῖς Cherubim referri, cùm ex συναφείᾳ ſermonis & linguæ genio id neceſſariò ad præcedens אשר referri debeat, tum quoque Deus quidem dicatur *inſidere* vel *inhabitare* τοὺς *Cherubim*, & *ſidere* vel *habitare ſuper arcâ*, nunquam autem *inhabitare Cherubim ſuper arcâ.*

DISSERTATIO IX.

DE

CRETHI ET PLETHI.

AD 2 SAM. VIII. 18. XV. 18. XX. 7. 23. &c.

I.

Problematicum argumentum, à multis quidem Viris Doctis excuſſum, at minimè hactenus exhauſtum, eſt, in quo adeò novas conjecturas tutò proponere licebit, quinam toties in ſacris memorati Crethi & Plethi fuerint, quáeque appellationis ipſorum ratio ſit. Inquiſiverunt hanc in rem dudum peculiaribus diſſertationibus inſignis Doctrinæ Viri Joh. Ben. Carpzovius & Henricus Opitius, quarum illa primùm *Lipſiæ* 1661. prodiit, & dein reliquis ejuſdem junctim editis anno 1699. inſerta eſt: hæc poſtquam primùm *Jenæ* 1672. lucem viderat, à Crenio in *Faſciculis* Tom. I. recuſa eſt. Poſtmodum eandem telam ex profeſſo ſibi pertexendam ſumſerunt *Clar.* Lakemacherus *Obſervat. Philolog.* P. II. *Obſ.* II. & nuperrimè iterum Celeb. Joh. Conrad. Schwartzius *Nov. Miſcell. Lipſienſ.* Vol. II. P. I. p. 95. ſeqq. Non deterrent tamen me horum Virorum, quorum eruditionem veneror, labores, quò minus & ipſe,

ipſe, excuſſis breviter aliorum ſententiis, meam ſubjungam.

I I.

Omnium hîc longiſſimè aberrant Judæorum nonnulli, qui per illos, vel URIM & THUMMIM, vel SYNEDRIUM ejúſve MEMBRA intelligunt. Priorem ſententiam breviter tangit R. S. J. ad 2 Sam. VIII. 18. ורבותינו אמרו כרתי ופלתי אורים תומים & *Rabbini noſtri dixerunt, Cretbi & Pletbi ſunt* URIM ET THUMMIM. v. & R. D. K. Poſteriorem adfert nomine magiſtrorum R. L. B. G. ad eundem loc. ורבותינו פירשוהו אלו סנהדרין & *Rabbini noſtri interpretantur, quòd* SYNEDRIUM *denotent.* Loca ipſa, ubi utrumque ab antiquioribus magiſtris traditur, ex *Sanbedr.* f. 16. 2. & *Beracbôt* f. 4. 1. laudat SELDEN. *de Synedr.* Lib. II. cap. XVI. Verùm hæc adeò inepta ſunt, ut meritò mireris, quo pacto Viris non ſolùm rationis capacibus, ſed & linguæ ſanctæ peritis eorum aliquid in mentem venire potuerit. Quid enim Urim & Thummim, quæ Moſes pectorali Pontificis indidiſſe legitur, cum hominibus CRETHI & PLETHI dictis commune eſt? qui nobis ubique ut fortiſſimi milites deſcribuntur; aut quo pacto idem hic character in conſeſſum judicum populi quadrabit? Nec ipſâ ſententiâ ſaniores ſunt, quas ſubjungunt rationes, ſcil. hos כרתים dictos שכורתים דבריהם *quòd verba ſua præſcindebant*, ſeu *breviter juſſa pronunciabant*, ut ait SELDENUS, פלתים autem שמופלאים במעשיהם quia *mirabiles erant in factis ſuis.* Neque enim ſimpliciter verbum כרת unquam eo ſenſu uſurpatur, nec פלתים à פלא deſcendit, nec denique ullum ferè hominum genus datur, cui non hac ratione una alteráve appellatio accommodari queat. Verùm tædet talibus refutandis immorari, inprimis cùm nobis hîc otium fecerit CARPZOV. cap. II. & III.

I I I.

Rectiùs itaque veriúſque Interpretes paſſim omnes agnoſcunt, his vocibus certos quoſdam *militum* aut *ſatellitum ordines* intelligi, quos DAVID ſibi in cuſtodiam corporis legerit: id enim ſcriptura ipſa ſatis clarè docet. Ita ſanè unà cum aliis militibus,

bus, & inprimis celebrioribus & ante alios fortitudine bellicâ inclytis in aciem adverſus hoſtes prodiiſſe leguntur 2 *Sam.* XX. 7. ויצאו אחריו אנשי יואב והכרתי והפלתי וכל הגברים ויצאו מירושלם לרדף אחרי שבע בן־ בכרי: *Et egreſſi ſunt poſt illum Viri Joabi, & Crethi et Plethi, & omnes fortes, & egreſſi ſunt Hieroſolymis ad perſequendum Seba filium Bichri.* Et quidem à Davide primùm in cuſtodiam corporis inſtar militum prætorianorum lectos, habitóſque eſſe, haud obſcurè patet ex 2 *Sam.* XV. 18. ubi Davide coram Abſalome Hieroſolymis fugiente, iidem latus ejus ſtipantes cum ipſo profecti eſſe leguntur. וכל עבדיו עברים על ידו וכל הכרתי וכל הפלתי וכל הגתים שש־ מאות א׳ש אשר באו ברגלו מגת על פני המלך: *& omnes ſervi ad manum ejus, & omnes* Crethi *& omnes* Plethi *& omnes Gitthæi ſexaginta viri, qui ipſum ſecuti erant ex Gath, tranſibant coram rege.* Eodem facit, quòd in graviſſimis negotiis, ad quæ milites prætoriani, qui ſemper circa Principem eſſe conſueverunt, adhiberi ſolent, hi primi fuerunt, quorum miniſterio rex uteretur. Hinc Nathan & Benaja cum illis, Salomonem imponebant mulæ Davidis, & in Regem ungi curabant atque proclamabant. 1 *Reg.* I. 38, 39. quare & Josephus illos *σωματοφύλακας cuſtodes corporis* appellat *Antiq. lib.* VII. *cap.* V. 4. & *cap.* XIV. 5. Quin & hæc ſine dubio ratio fuit, quare non Joabo, univerſi exercitûs duci ſubeſſent, ſed peculiarem ſuum præfectum Benajam haberent, 2 *Sam.* VIII. 18. XX. 23. & 1 *Chron.* XVIII. 17. Imò non ſine ratione eſt, quòd Fortunatus Scacchus in *Myrothecio* conjicit, fuiſſe illos domeſticos Regis, & de nocte in aut circa palatium ejus dormiviſſe, vid. S. R. Epiſcopus Patricius ad 2 *Sam.* VIII. 18. Saltem dubitari nequit eos, quantum fieri potuit, proximè ſemper circa regem fuiſſe, Conf. & quæ infra §. XII. dicentur. Ex dictis autem ultrò corruit Burgensis ſententia, licèt eam non penitus rejiciendam cenſeat Carpzovius cap. V. ſcilicet, fuiſſe illos Lictores, præterquam enim, quòd peculiare hoc munus illis tribuere, eorum dignitati minus conveniret, repugnat id inſuper conſtanti populo-

P rum

rum orientalium mori, ubi nullus Lictorum ordo, ſed ultimum ſupplicium per quoſcunque, quibus id negotii à principe datur, Satellites, milites, quin & nonnunquam perſonas honoratiores, exſecutioni dari ſolet. Et licèt id aliquando à τοῖς Crethi & Plethi fieret, non magis tamen idcircò *Lictorum* nomen merentur, quàm quicunque alii, quibus id aliàs pro re natâ demandabatur.

IV.

Quemadmodum autem in his, quæ tradidimus, plerique Interpretes conveniunt, ita circa rationem appellationis verúmque vocum כרתי & פלתי ſignificationem admodum diſſentiunt. Multi quidem magníque nominis Viri híc, præeuntibus inprimis, ut exiſtimant, Interpretibus Alexandrinis, de Cretensibus cogitant, non quidem ipſius inſulæ Cretæ incolis, utpote quæ nimis longè â Canaane remota eſt, quàm ut probabile ſit, Davidem inde tantum ſatellitum numerum conſcribere vel evocare voluiſſe aut potuiſſe, ne dicam nullos hac ratione commodè oſtendi poſſe, qui *Plethi* nomen geſſerint, ſed potiùs ex regione maritimâ Philiſtæorum, quâ in re præcipuè obtendunt auctoritatem ipſorum ſacrorum ſcriptorum 1 *Sam.* XXX. 14. *Ezech.* XXV. 16. & *Zephan.* II. 5. licèt inter ſe de eorum denominationíſque hujus origine minùs conveniant, dum nonnulli colonos ex inſula *Creta* eò ductos faciunt, quam ſententiam inprimis adſtruere conatus eſt *Cl.* Lakemacherus, ſed impugnavit nuperrimè Celeb. Schwartzius, potiúſque his ipſis *Philiſtæis* nomen hoc vindicare quæſivit, cùm inſulæ *Cretæ* appellatio ſit recentior, nec probabile ipſi videatur, ex *Cretâ* in regiones Philiſtæorum colonias unquam ductas eſſe, quâ in re præeuntem habuit ſummum Bochartum *Geogr. S.* P. II. *Lib.* I. *cap.* XV. Verùm ad nos quod attinet, fatemur, licèt omnium horum eruditiſſimorum Virorum invidendam Doctrinæ copiam etiam atque etiam veneremur, tamen, quod pace eorum dictum ſit, nos in hanc ſententiam tranſire non poſſe

1. Quia minus probabile nobis videtur, Davidem ſemet ſuámque ſalutem ſatellitio ex præcipuis Iſraëlitarum hoſtibus lecto

Digitized by Google

ēto committere voluiſſe, aut tutò quoque potuiſſe. Licèt enim quondam, cùm apud illos exſularet, multis beneficiis ab iis mactatus ſit, unde etiam eorum caſtra, cùm Iſraëlitas impugnarent, ſecutus eſt, alia tamen longè Davidis exſulantis, alia ad dignitatem regiam evecti, ratio atque conditio fuit. Tum ſuæ ſaluti conſulere, tutúmque apud hoſtes Iſraëlis refugium quærere cogebatur, cùm SAULUS ipſi ubique inſidias ſtrueret, dein autem ut *Rex Iſraëlis* neque honeſtè neque piè potuit PHILISTÆIS, ut præcipuis ejuſdem populi hoſtibus favere. Neque id fecit, quin potius ſtatim ab ipſis bello laceſſitus, graviſſimâ ſæpe clade eos affecit, v. 2 *Sam.* V. 17--25. VIII. 1. 1 Chron. XV. 8. ſeqq. XIX. 1 ſeqq.

2. Accedit religionis diſcrimen ſeverúmque interdictum commercii cum gentibus, totiéſque in pſalmis factæ obteſtationes Davidis Pſalm. XXVI. 5, 6. & paſſim.

3. Nec juvat exceptio, quòd religionis judaicæ veritas atque ſanctitas illos à ſimulacrorum amore abſtrahere & ad ſuperſtitionis odium criménque devitandum impellere potuerit. Nam uti à poſſe ad eſſe non valet conſequentia, & tale quid factum eſſe ſine ullo fundamento adfirmaretur, cùm nullo indicio id conſtet, nec ſi factum eſſet, ſcriptores ſacri id facilè ſilentio prætermiſſuri fuiſſe videntur, ita ne ſic quidem probabile eſt, Judæos æquo animo laturos fuiſſe, ſi Rex ſe ſuámque ſalutem, non ſubditis ſuis, ſed extraneis atque alienigenis tuendam commiſiſſet.

4. Inprimis non poteſt oſtendi hac ratione, quodnam hominum genus ſub nomine PLETHI lateat, licèt perpetua utrorumque conjunctio probabile faciat, ſimilium ſimilem rationem fuiſſe. Occurrere quidem huic difficultati conantur *Eruditiſſimi Viri* LAKEMACHERUS & SCHWARTZIUS, haud dubitanter pronunciantes, hos non minus quàm *Cretbæos* fuiſſe PHILISTÆOS. Et LAKEMACHERUS quidem, cùm *Cretbæos* ſigillatim pro *Gazenſibus* habeat, omnes reliquos *Philiſtæos* ab his & *Gitthæis* diſtinctos *Pletbæos* fuiſſe putat, fundamentum quærens in ipſâ appellatione, ita ut vox פלתי *Peletbi*, ſublatâ literâ ש aut eadem Chaldæorum more in ת mutatâ, ſit ipſum nomen פלשתי quod

 plu-

Digitized by Google

pluralem פלשתים formet. Celeb. SCHWARTZIUS autem, dum *Plethæos* nationem Philiſtæorum, ſedibus proximam Crethæis, facit, provocans eum in finem ad nomen urbis *Peluſii* τ in σ converſo, quam gentis hujus coloniam fuiſſe exiſtimat. Verùm licèt hæc ſatis ingenioſè ſint excogitata, ſubſcribere illis tamen non poſſum. Quod enim ad ſententiam LAKEMACHERI attinet, nomen *Plethi* mihi quidem videtur minimè pro eodem illo פלשתים haberi poſſe, cùm ש in voce פלשתים radicale ſit, ſive vocem cum nonnullis deducas à פלש unde התפלש *volutavit, involvit ſe cineri*, ſive, quod mihi longè aptius videtur, ab ejuſdem thematis ſignificatione, quam lingua *æthiopica* & *ſamaritana* ſervavit, in quarum priori ፈለሰ eſt *migravit, emigravit, ivit de loco in locum, aliò conceſſit*, vid. & derivata, in alterâ autem ࠐࠋࠔࠄ *Peregrinatio*, unde פלשתים dicti, illi MITZRAIMI *poſteri, qui relictâ Ægypto, & quidem ex Caſluchis migrarunt in regiones maritimas Canaanis*, quò disertè alludit ſcriptor ſacer Gen. X. 14. ואת־כסלחים אשר יצאו משם פלשתים: & *Caſluchi ex quibus* EGRESSI SUNT PHILISTÆI, litera autem radicalis non facilè, nudè & ſine omni compenſatione ejicitur, multò minùs convenit, quod ש in ת mutato פלתי ſcriptum ſit pro פלתתי; nimis enim probè eximius LAKEMACHERUS ipſe noverat, altero ת ejecto illud per dageſch compenſari debuiſſe, neque adeò פְּלֵתִי ſed פְּלִתִּי ex genio linguæ ſcribendum fuiſſe. Neque exiſtimo facilè rationem reddi poſſe, cur cùm ex ejus ſententiâ *Crethæi* æquè ac *Gitthæi*, quoque fuerint Philiſtæi, reliquis ſolis *Plethæorum* ſeu *Philiſtæorum* nomen adhæſerit, quemadmodum etiam nullâ veterum auctoritate res confirmari poterit. Adde quòd ipſa Chaldaiſmi ratio, uſúſque repugnet, cùm nunquam *Philiſtæi Chaldæis* פלתים ſed potius פלשתאי appellentur. Denique cur quæſo, cùm aliàs ſcriptores librorum *Samuelis*, *Regum* & *Chronicorum* vel centies *Philiſtæorum* mentionem injiciant, tum ſolùm quando cum *Crethæis* conjungunt, illis nomen פלתי dant, imò illo ne quidem tum in numero multitudinis פלתים ſed ſingulari פלתי utuntur.? Aut cur hi ſoli id faciunt, cum Prophetæ

Eze-

Ezechiel & *Zephanias* τοῖς כרתים quos ipſe Vir doctus pro iiſdem cum *Crethi* habet, appellationem פלשתים *Philiſtæorum* jungant? Suſpicatus quidem Vir Celeb. Scriptores ſacros, quando nomine פלתי utuntur, illam ſcribendi aut pronunciandi rationem ſecutos eſſe, quæ apud gentem ipſam in uſu erat, verùm uti & hoc aſſeritur, non probatur, ita nec ipſum probabile admodum eſt, certè cùm *Delila Philiſtæa* populares ſuos invitaret ad prehendendum Simſonem minimè dicebat פלתי ſed פלשתים עליך שמשון *Philiſtæi ſuper te Simſon.* Jud. XVI. 9, 12, 14, 20.

Quod autem ad Celeb. SCHWARTZII ſententiam attinet, huic quoque præter argumenta ſuperiùs allata obſtat inſuperabilis, ut mihi quidem videtur, difficultas, quòd nationis hujus non ſolùm in ſacris, ſed & apud profanos ſcriptores, & maximè Veteres æquè ac recentiores *Geographos*, *Hebræos*, *Arabes*, *Græcos*, *Latinos*, omnéſque *Periegetas* altum ſilentiùm ſit; tum verò aliud planè in Sacris occurrens *Peluſii* nomen סין *Sin* illíque parallelum Arabum طين & *Fœm.* طينة horúmque nominum ſignificatio, quâ omnia *lutum* denotant, atque illi reſpondens græcum πηλὸς plus quàm probabile reddant, nomen *Peluſium* græcæ originis eſſe, conf. hac de re BOCHART. *Geogr. S.* P. I. *Lib.* IV. *cap.* XXVII. & *Celeb.* SCHULTENS in *Indice Geograph.* vitæ Saladini ſubjuncto, in voce *Peluſium.*

Fruſtra autem hujus ſententiæ de *Crethi* ex *Crethæis*, Philiſtæorum gente, deſumtis, Patroni provocant ad loca 1 *Sam.* XXX. 14. *Ezech.* XXV. 16. & *Zephan.* II. 5. Licèt enim fortè, ut mox videbimus, Philiſtæis illis ob eandem rationem Crethæorum nomen adhæſerit, ac *Crethi* Davidis, non tamen pro iiſdem haberi poſſe exiſtimo, cùm non ſolùm cohors Davidis nunquam in numero multitudinis כרתים ſed in ſingulari כרתי appellctur, contra autem Philiſtæorum ille populus nunquam in ſingulari כרתי ſed ſemper in plurali כרתים audiat. v. *Ezech.* & *Zephan.* loca: adducta, 1 *Sam.* XXX. enim ſingulari כרתי non populus, ſed regio innuitur, ut ex iis, quæ adjunguntur אשר ליהודה & כלב atque צקלג manifeſtum eſt, ſed & quoties cohortis

Digitized by Google

כרתי mentio occurrit, ſemper voci huic jungitur altera פלתי contra autem quoties כרתים Philiſtæorum memorantur, ne minimum quidem veſtigium τῶν פלתי aut פלתים quod tamen tantò minus negligendum fuiſſe videtur, quò magis, ſi tales *Plethæi* populi *Crethæis* proximi inter Philiſtæos fuiſſent, communi Philiſtæorum cladi, quam Ezechiel & Zephanias prædicunt, ſine dubio involvendi fuiſſent.

V.

Pleraſque harum difficultatum evitant, qui utroſque pro *familiis quibusdam judaicis* habent, cujus ſententiæ Auctores *Abarbanelem*, *Kimchium* & *Aben Melech* laudat Carpzovius cap. V. Verùm præterquam quòd hoc quoque ſine ullo fundamento ſupponatur, quis quæſo credat, integras familias quaſi hæreditario quodam jure ſatellitio regio deſtinatas eſſe? cùm & rei ipſius ratio, & omnium populorum conſuetudo flagitent, ut hanc in rem non niſi exploratæ fortitudinis fideíque Viri legantur, quales omnes unius familiæ Viros fuiſſe, vix cum ratione cogitari poteſt. Aut quis niſi legum morúmque populi judaici planè ignarus, ſibi facilè perſuadebit, integras familias ad bellum, & quidem ad tutandum corpus Regis, circa quod pro illorum temporum ratione prælium maximè fervere ſolebat, lectas, ſícque ſi fortè, ut fieri poterat, eveniſſet, quod de Fabiis canit Ovidius,

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos ſuſtulit una dies,

integram familiam atque hæreditatem in Iſraële interituram fuiſſe. Quòd ſi fortè exiſtimes maximè ſtrenuos ex his familiis ſumtos fuiſſe, neque hac ratione cordato facilè lectori ſatisfacies. Tanta enim hæc fuiſſet prærogativa, ut non ſine invidiâ in duas familias ſolas, excluſis omnibus reliquis, ea conferri potuiſſet, tantáque harum familiarum fuiſſe deberent in Davidem aut Remp. merita, ut illa Scriptores Sacri non facilè tacere potuiſſent. Denique quod rei caput eſt, nulla in univerſâ Scripturâ Sacrâ, & inprimis in tabulis genealogicis, talium familiarum veſtigia inveniun-

Digitized by Google

niuntur. Memoratur quidem aliquis פלת *Peleth* ex tribu *Ruben* *Num.* XVI. 1. altérque ejuſdem nominis ex tribu *Juda* 1 *Chron.* II. 33. à quo Plethæos denominatos eſſe Clericus ad 2 *Sam.* VIII. 18. exiſtimat. Verùm nullo, vel minimo indicio conſtat, hos familiis à ſe ortis nomen dediſſe: neque id probabile eſt, cùm hic honor tantùm competeret Patriarchis, & qui illis proximi fuere, vel ubi id ſequentibus temporibus aliquando factum, non niſi Viris, dignitate rebúsve geſtis præ aliis clariſſimis. Tandem in univerſo ſacro codice nullus occurrit, qui vel nomen כרת *Cereth* ſgeſſerit, unde vox & familia כרתי *Cerethi* deſcendere potuerit.

V I.

Nihil igitur reſtat, quàm ut utramque vocem pro appellativâ habeamus, quod rectè quoque fecit eruditiſſimus Carpzovius, licèt rem ipſam tamen acu minimè tetigerit, dum כרתי & פלתי vult denotare *abſciſſos* & *ſeparatos* à כרת *abſcindere* & פלה (licèt in kal inuſitato) *ſeparare*, *ſegregare*, atque ita appellatos exiſtimat *regii corporis cuſtodes*, quòd *à reliquo exercitu ſeparati & abſciſſi fuerint*, vel, quòd *ex omnibus Iſraëlitis fortiſſimos & bellicoſiſſimos quosque ad Regis cuſtodiam elegerint*, *& ſegregaverint* Verùm, quid eſt violenter & coactè φιλολογεῖν, ſi hoc non eſt? Non dicam jam כרת non adeò eſſe *abſcindere*, inprimis eo ſenſu quo hîc ſumitur, quàm *ſecare*, *exſcindere*, & ſi פלתי à פלה deſcenderet, פלי aut potius פלוי vel נפלי hoc ſenſu dicendum fuiſſe, at quis vel fando audivit, in ullâ linguâ homines ex aliorum medio ſegregatos, ad id ut ſeparatum corpus conſtituant, *abſciſſos*, & quidem nudè ſine ullâ aliâ adjectione, vocari? Præterea Scriptura duas voces כרתי & פלתי conjungere ſolet. Fuerúntne igitur כרתי *Crethi* iidem qui פלתי *Plethi*, an diverſi? Si iidem, quare igitur duæ hæ voces, toties, & quidem intercedente copulâ כרתי ופלתי *Crethi* & *Plethi* conjunguntur, cùm tamen ex hypotheſi idem ſignificent? Si diverſi, quare igitur quidam *abſciſſi*, alii *ſegregati* audiunt, cùm tamen abſciſſi non alios quàm ſegregatos denotent? Quis ferret ullum Scriptorem profanum, tales ſine mente ſonos fundentem?

Quan-

Digitized by Google

Quantò itaque minùs tale quid de Scriptore Sacro cogitari poteſt?

VII.

Ad nos itaque quod attinet, ut certiora eruamus, præmittimus primùm quæ ex omnibus circumſtantiis ſunt manifeſta, & à pleriſque omnibus etiam conceduntur: ſcilicet, utroſque ſatellites Regis, proximéque circa illum, quin & in arctiori quadam relatione ad ſe invicem conſtitutos, at nihilominus, licèt in eo convenirent, diſtinctiſſimos fuiſſe, dum non ſolùm diſtinctis nominibus inſigniuntur, ſed & iisdem in locis, & quidem per copulam conjunctivam, conjunguntur. Cùm igitur tales homines, vel peculiaribus muniis, quibus deſtinati, vel habitu, veſtitu, armis aut ſimilibus notis characteriſticis diſtingui ſoleant, hinc in proclivi eſt cogitare, tale quid his quoque nominibus indicari. Simile quid ante oculos habuiſſe videtur *Paraphraſtes Chaldæus* PSEUDO-JONATHAN, dum voces reddit ubique קשתיא וקלעיא *Sagittarios* & *funditores*. Licèt autem hæc Paraphraſis recentioris ætatis, nec magnæ admodum auctoritatis ſit, & nugis ſcateat, non tamen ſine omni ratione ubique rejicienda eſt, cùm ſine dubio auctor ejus, ut ex multis circumſtantiis, & inprimis nominibus Magorum Ægyptiorum, ab ipſo quoque PAULO memoratis, patet, ſæpe antiquioribus monumentis uſus ſit. Accedit, quòd non ſolùm Interpres *Arabs*, ſed & *Syrus*, cujus verſionem Viri Docti plerique admodum antiquam, & primis Chriſtianiſmi temporibus (idque ut vult WALTONUS à Viris apoſtolicis) confectam concedunt, v. CARPZOV. *Crit. S.* P. II. cap. V. eodem ſenſu verba reddant, quorum ille 1 Reg. I. 38, & 44. habet ܩܫܬܐ ܘܪܡܝ ܒܩܠܥܐ & 1 Chron. XIX. 17. ܩܫܬܐ ܘܩܠܥܢܐ Arabs autem 1 Reg. I. 38. اساورة والذين يرمون بالغذافات *Sagittarios & qui jaciunt funda*, & com. 44. رماة واصحاب الغذافات *Sagittarios & fundibularios*, 1 Chron. XIX. 17. autem الرماة بالقوس والمقلاع *jaculantes arcu atque fundâ.* Quæ verſiones quam, & quouſque fidem mereantur, nunc propius videbimus.

VIII.

VIII.

A τοῖς כרתי Crethi ut incipiamus, *Sagittariorum* ſignificatio minus in hac voce arriſit Viris Doctis, quòd nullam videatur vel in linguâ hebræâ vel vicinis Orientalibus fundamentum habere. At nobis id minimè certum eſt, quin potiùs quædam non obſcura ejus in linguâ Arabicâ veſtigia deprehendimus. كَرَظَ *Caratba* enim denotat *in ſcopum collimavit*, eúmque *fregit ſtridente ſagittâ*, كُرْظَة *Curta*, eſt *crena in cornu arcûs* vel *crena ſagittæ*. v. Gigg. Castell. & Gol. *in append.* Neque quisquam mihi difficultatem nectet, quòd hîc non ת ſed ظ ſit, quoniam ת ut litera ejusdem organi cum ط, ut docuit *Celeb.* Schultens in *clavi dialector.* p. 315. ſæpius permutatur, ظ autem non niſi molliori pronunciatione à ط differt, & pro hac literâ quoque ſæpe uſurpatur, atque adeò & facillimè pro ת ſubſtitui poteſt. Eandem rem illuſtrat tranſpoſitis literis, verbum كَظَرَ *crenâ donavit arcum* كِظْرٌ *nervus contuſus, qui ſupra ſagittam alligatur, & circa crenam ſagittæ obvolvitur majoris firmitatis ergo* كُظْرٌ *pars arcûs ſupra quam cadit chordæ circulus, &* كُظْرَة *crena in arcûs extremitate, cui immittitur nervus.*

Non exiguum pondus id accipit, ex variorum populorum appellatione *ſagittandi arte* inclytorum, quíque ab eadem nomen huic noſtro maximè affine accepiſſe videntur. Certè antiqui Curetes inſulæ *Cretæ* incolæ, & ut dein appellabantur, Κρῆτες, Cretenses, non ſolùm nullâ re magis clari ſunt apud veteres, quàm ſagittandi peritiâ, Οἱ Κρῆτές εἰσι τοξεύειν ἀγαθοί, ait Ælianus V. H. *Lib.* I. *cap.* X. ſed & ipſâ artis hujus inventione, quam rem ex ipſo inſulæ ſitu deducit Plato *Lib.* I. *de Legibus* & Juliano *Orat.* VII. atque hinc etiam Κρῆτες Τοξοφόροι καὶ Τοξόται Κρῆτες, ut & *Arcus Creticus*, & *Cydonius*, *Gnoſſiacus*, *Gortyniacus*, à totidem Cretæ urbibus, nec non Sagittæ *Cretææ* aut *Cydoniæ* tantopere à Poëtis celebrantur, ut docent Summus Bo-

CHART. *Geogr. P.* I. *Lib.* I. *cap.* XVI. SALMASIUS *Exercit. Plinian. cap.* XI. LAKEMACH. §. 11. & nuper *Celeb.* HEMSTERHUSIUS ad *Lucian. Nigr.* c. 37. Unde & BOCHART. jam collegit, illos nomen ſuum ab hac arte accepiſſe.

De כרתים CRETHÆIS *Philiſtæorum* gente apud *Ezech.* XXV. 16. & *Zephan.* II. 5. idem non ſine ratione Vir incomparabilis conjecit, cùm & ipſa hæc arcum tractandi peritia apud *Philiſtæos* præcipuè vigeret; eâque Sauli cum ſuis maximè formidabiles gravésque fuerint. 1 Sam. XXXI. 3. *Et invaleſcebat bellum adverſus Saulem, invenerúntque eum Viri Sagittarii & valdè timuit à Sagittariis*, coll. 1 *Chron.* X. 3. Idque dudum antequam illa apud Iſraëlitas in communi uſu eſſet. Licèt enim Principes quidam eam callerent atque exercerent, 1 *Sam.* XVIII. 4. 2 *Sam.* I. 22. 1 *Chron.* XII. 4. coll. 1 *Sam.* II. 4. milites tamen eandem demum Davidis tempore, quin & ejus juſſu addidiciſſe, ex 2 *Sam.* I. 18. indubium eſt, ubi David, clade Saulis ſine dubio edoctus, quanti uſûs in bello Sagittarii eſſent, ſtatim curavit, ut & tribus Juda in eadem arte exercitata redderetur ויאמר ללמד־ בני יהודה קשת *& juſſit ut docerent filios Juda arcum.* Addi his poſſet conſuetus populorum Orientalium mos, quo ſatellites, ſeu cuſtodes corporis Regum & Principum, arcubus inſtructi eſſe ſolebant, verùm hac de re infra §. XV. opportunior agendi locus erit.

I X.

Etſi autem hæc forſan non planè ἀπροσδιόνυσα videbuntur, adferam tamen aliam conjecturam, quæ adhuc majori probabilitate ſe quibuſdam commendabit, & inprimis per ea quæ infra §. XI. dicentur, novum robur acquiret. Scilicet in ſatellitibus Regum & Principum, pro illorum temporum ratione ante omnia requirebatur, ut expediti agilíque corpore eſſent, quò mandata celerrimè deferre aut exſecutioni dare poſſent. Non minùs idem in ſtrenuioribus militibus exigebatur, quò & curſu & ſaltu, ubi opus, celerrimè in hoſtes irruere, eos perſequi, munimenta conſcendere &c. valerent. Hinc militum & heroum fortiſſimi ſæpius ab hac agilitate inprimis laudantur. Sic 1 *Chron.* XII. 8. ex

ex Gaditis, dicuntur, *ſe Davidi junxiſſe pollentes robore milites tractantes clypeum & lanceam, quorum facies ut facies Leonis, quique celeres ut capreæ in montibus.* Ita quoque SAUL & JONATHAN celebrantur à Davide ipſo, *quòd* VELOCIORES *fuerint* AQUILIS, *fortiores leonibus.* 2 *Sam* I. 23. & *Aſabel* (unus ex fortiſſimis *Davidis* 1 *Chron* XI. 26.) quòd PEDIBUS CELERIOR QUÀM CAPREA *agri.* 1 *Sam.* II. 18 Quin & VEGETIO Auctore, *militaris alacritas ſaltus & curſus ante tentandus eſt, quàm corpus ætate pigreſcat. Velocitas enim eſt, quæ percepto exercitio ſtrenuum efficit bellatorem.* Idémque monet, *in ſelectu militum velocitatem requirendam eſſe & robur*, ut docet LYDIUS *de re militari* Lib. V. c. II. ubi vid. plura, nec non Epiſc. PATRICIUS ad loca libri *Samuelis* adducta, quorum poſteriori addit, eandem ob cauſam PLATONEM voluiſſe, ut *curſus ex exercitiorum numero eſſet, quibus juventus aſſuefacienda.* His igitur præſuppoſitis nemini mirum videbitur, ſi nomen *Ceretbi* ab hac *corporis agilitate* originem habeat. Certè eo nos adfinia in linguis orientalibus vocabula ducunt كري *Caria* (vel ut alii ſcribunt كرا *Cara*) eſt Arabibus *velox fuit, vebementer cucurrit, vebementer ſaltavit*, ut docuit Summus BOCHARTUS *in Hierozoic.* P. I. L. II. c. 4. ubi & de وكر per literarum tranſpoſitionem idem monet: quin & concavum ſeu quieſcens mediâ كار & defectivum כרר apud Hebræos non ſolùm, ſed & Arabes eandem ſignificationem habere, imò & animalia ob eandem agilitatem ab hac radice nomen accepiſſe, infra §. XI. videbimus. Quòd ſi igitur ת in כרתי *Cretbi*, ex ה ortum, ut in incremento finali non infrequens eſt, præcipuè in vocibus quæ à quieſcentibus *tertiâ* deſcendunt, facilè adparebit, quàm commodè hæc adpellatio Davidis ſatellitibus imponi potuerit. Nec abſonum erit ſtatuere, ipſum כרת eadem quondam ſignificatione uſurpatum eſſe. Certè non ſine omni fundamento id ſuſpicari licet, cùm aſſumpto, ut ſæpius fit in fine ح etiamnum كرتح *cartacba* denotet, *celeri tranſitu inceſſit.*

X.

Atque huc egregiè quadrat ſignificatio vocis פלתי Plethi, cujus originem quoque ſuggerit ditiſſima lingua arabica. Scilicet פלת فَلَتَ ſignificationem quoque *celeritatis*, *alacritatis*, *expediti motûs* aut *actionis* habet, unde ipſum hoc verbum in I. *Conj.* denotat *ex improviſo ſupervenit*, in IV. *Excidit*, *effugit*, in V. *Inſilivit*, *irruit*. فُلْتٌ & فُلَتٌ *citus*, *celer*, *repentinus* فلتان *Alacer* & *acer equus*, ut & *Curſus*, *Currens*. Hinc radicem hanc cum hebræâ פלט confert Eruditiſſ. Schultens in *Ind. in Jobum*, quod uti rectè ſatis fit, ita cùm utrumque فلت & فلط Arabibus in uſu adhuc ſit, tantò minus dubitari poteſt, utrumque & apud Hebræos quondam obtinuiſſe. Unde proximè exiſtimarem per פלתי *Plethi*, quoque ſignificari ſatellites maximè *expeditos*, *curſores*, ſeu *ſatellites & ad cuſtodiam corporis Regis*, & *inprimis ad celerrima munia curſu exſequenda*, aut *nuncios deferendos adhiberi ſolitos*. Utrum autem arma ſimul geſſerint, ex ipſâ voce definiri nequit, indubium tamen eſt, cùm & ad decus, & ad cuſtodiam corporis regii magis faciat, & *Plethi* unà, ut viſum, cum fortioribus militibus ad perſequendum Sebam egreſſi ſunt 2 *Sam.* XX. 7. idémque in ראשי רצים locum habuerit, v. §. XII. Qualia autem illa fuerint, certò non conſtat; ſine dubio talia fuerunt, quæ ſine ullo, in reliquis muniis, impedimento geſtare, quibúsque expeditè uti poſſent, ſive jam, ut apud alias gentes, *jaculo* & *leviori parmâ*, ſive inprimis quoque, ut Interpretis Syri & reliquorum §. VII. laudatorum mens eſt, *fundâ* conſtiterint. Non exiguum huic ſententiæ pondus addi fortè poſſet, ipſâ *Velitum* apud veteres Romanos appellatione, quâ, ut notum eſt, inſigniuntur *levis armaturæ milites*, *mirabili velocitate prompti*, quos eam ob cauſam legionibus aliquando immiſcuerunt, & quales inprimis in obſidione Capuæ inſtitutos narrat Livius *Lib.* XXVI. 4. ſcribens: *quod viribus deerat, arte æquaverunt. Ex omnibus legionibus juvenes electi ſunt, maximè vigore & levitate corporum veloces. Eis parmæ breviores quàm equeſtres, & ſepte-*

Digitized by Google

ſeptena jacula, quaternos longa pedes data, præfixo ferro quale velitaribus haſtis ineſt. &c. conf. VAL. MAX. *Lib.* II. c. III. 3. & LIPS. *de Milit. Rom. Lib.* III. *Dial.* I. ubi pluribus de illis diſſerit. Hos autem FESTUS, cum multis aliis, quaſi *Volites* dictos cenſet, *id eſt volantes*. Verùm quare quæſo tum non VOLITES potiùs, quàm VELITES dicerentur? inprimis cùm nulla cauſa ſit, cur non à *volo*, *volare*, æquè VOLITES formetur, quàm à *volo*, *velle*, VOLONES, non VELONES appellatos cenſent. Ut taceam, quod monuit SALMASIUS *de re militari* in *Theſaur. Grævian.* Tom. X. p. 1405. primam in *veles* longam eſſe, quæ in *volo* eſt brevis. Hinc & alii ad alia etyma confugiunt, & vel à *velocitate*, vel à *volitatione*, vel à civitate Etruriæ, *Volites* dictâ, quam tamen ſe neſcire jam LIPSIUS faſſus eſt, vel à græco *βάλλειν* nomen ſortitos cenſent. At uti omnia hæc coacta, & vel ipſum ſententiarum divortium oſtendit, quàm in omnibus nihil ſolidi inveniatur, cui tutò inſiſtere queas, neque adeò vel in Græcâ vel Romanâ lingua vox hæc originem inveniat, niſi fortè docta SALMASII conjectura, quâ *velites* quaſi *velatos* à *velis*, id eſt, *fluitante amictu* nomen habere arbitratur, præferenda ſit, non incommodè hæc appellatio ex Oriente, & quidem ab ipſo noſtro פלתי *Plethi* aut Arabum فلت *Falat* vel فلتان *Falatân*, vel ſaltem radice unde hæc deſcendunt, orta crederetur, inprimis cum Hebræorum פ apud Arabes ſemper ut F pronuncietur, hujus autem cum V non difficilis ſit permutatio. Atque huic conjecturæ quodammodo favet, quòd uti apud Judæos *Cretbi* & *Plethi*, ita apud veteres *ſagittarii* & *levis armaturæ milites* nonnunquam conjunguntur, LIV. *Lib.* VII. *Galli inter equites raros ſagittarios, expeditóſque levis armaturæ interjecerant.* Quin & fortè *παλτὸν* illud *jaculi levioris genus*, quo leves milites utebantur, ut docet DIONYS. HALICARNASS. Lib. IX. inde originem habet, inprimis cùm illud ex oriente ad Græcos pervenerit, unde & POLLUX Lib. I. n. 138. illud *armis barbaricis* annumerat, & Παλτὸν μηδικὸν appellat. conf. & Lib. X. n. 143. & inprimis BRISSONIUS de *Regn. Perſar.* Lib. III. XV. Quòd ſi & *peltam* levioris clypei genus, unde & *Amazones peltatæ* dicebantur, hinc nomen accepiſſe, harioleris, forſan non longiùs

à ſcopo feries quam Cel. noſter Martinius, qui eam à פלט licèt alio ſenſu, derivat.

§. XI.

At aliud eſt, quod non exiguum utrique ſententiæ noſtræ de Crethi æquè ac Plethi robur addere poteſt. Obſervo, in ſequentium Regum hiſtoriâ ſatellites & cuſtodes corporis regii memorari, qui כרי *Cari* & רצים *Ratzim* appellentur. Sic cùm Jojada, Joasum Achaziæ filium, furori Athaliæ ſubductum, tandem ſeptimo anno in ſede regiâ collocare vellet, eum in finem ad ſe hos præcipuè convocavit, erectóque fœdere illis infantem oſtendit. 2 *Reg.* XI. 4. *& aſſumſit* ἑκατοντάρχας לכרי ולרצים *cum* Cari, *&* Ratzim, *& deduxit illos in domum* Jehovæ, *erexitque cum illis fœdus, & adjuravit illos in domo* Jehovæ, *oſtenditque illis filium regis.* Dein poſtquam eos in excubiis collocaſſet, reginâ Athaliâ obtruncatâ, omnibúſque ritè diſpoſitis, tandem per eoſdem deductum ad templum regem Joasum ſolio regio impoſuit, ibid. *Com.* 19. *Et aſſumſit* ἑκατοντάρχας, את הכרי ואת הרצים *&* Cari *&* Ratzim, *& omnem populum terræ, deduxerúntque regem ex domo* Jehovæ, *& venerunt per viam* ד׳ רצים Ratzim, *domum Regis, conſeditque in ſolio Regum.* Cùm igitur hîc duplicis generis ſatellites regii memorentur, eodem modo quidem conjuncti, ut quondam Crethi & Plethi, at non minùs tamen æquè ac illi certis nominibus diſtincti, cùm iiſdem muniis, tuendo nempe corpori Regis inſervirent, & inprimis in inauguratione novi Regis adhibiti ſint, ut quondam Crethi & Plethi in inauguratione Salomonis, quin & non minùs circa palatium regium excubias egerint, (ut partim ex dictis non obſcurè jam colligitur, partim ex infra dicendis propiùs eluceſcet,) quàm illi, conf. §. III. quis dubitare cum ratione poterit, hos eoſdem aut ejuſdem cum illis generis fuiſſe? Inprimis cùm, quo maximè tendebamus, ipſa nominum convenientia id mirum in modum confirmet. Certè ſi vel ipſas literas ſpectes, nomina כרי & כרתי non niſi unicâ literâ ת quæ in priori deſideratur, differunt, unde & *ſummus Philologus* Jo. Coccejus in *Lex.* ſuſpicatur pro כרתי poſitum eſſe.

Digitized by Google

eſſe. Quin & illud probè notandum, quod ipſa vocum forma conveniat, quæ licèt de pluribus utraque uſurpatur, tamen ſingularis eſt, unde & utrumque nomen meritò pro collectivo habetur. De ſignificatione autem hujus vocis, res paulò obſcurior eſt. Si rationem aliorum verborum habeamus, ubi radices adeò affines ſæpe eadem ſignificatione gaudent, non planè fruſtra eſſe videri poſſet, qui tale quid fortè & in his vocibus locum habuiſſe auguraretur, at cùm hactenus nullum ejus rei exemplum in ullâ lingua orientali mihi obſervatum ſit, id affirmare non audeo. Chaldæus illos reddere ſolet גבריא *fortes*, alii *duces* ſeu *primores*, verùm nemo hactenus ullam harum ſignificationum ex linguâ hebræâ, aut ullâ alia orientali confirmatam dedit, nec *ducum* aut *primorum* character in illos ſatis quadrat, cùm diſertè ab ἑκατοντάρχοις diſtinguantur, & clariſſimè cum רצים ſeu *curſoribus*, ut mox videbimus, tanquam ejuſdem, aut ſimilis ſaltem ordinis viri, conjungantur. Planiori autem certioríque viâ incedere poſſumus, ſi ad originem vocis nativámque ſignificationem tantùm ritè attendamus. כָּרִי *Cari* vel à כָּרָה *Cará* quieſcente tertiâ, vel adhuc rectiùs à כור *Cûr* quieſcente mediâ, vel denique à כרר *Carar* defectivo regulariter deſcendit. Omnia autem hæc verba *agilitatis*, *curſûs*, *ſaltûſve* notionem inferre §. IX. jam præmonuimus, & inprimis de כרה ſ. كري aut كرا propiùs oſtendimus. Ad כור quod attinet, apud Arabes tam concavum و quàm ى eadem ſignificatione gaudent. كار enim pro كور in IV. Conjug. denotat *celeriter inceſſit*, *convolvens quaſi & glomerans greſſus*, & كار pro كبر *caudam in curſu ſuſtulit* equus, & كَبِّرٌ Equus *caudam in curſu tollens*. כרר autem Arab. كَرَّ plurima hujus notionis veſtigia exhibet; in primâ conjug. innuit, *regreſſus fuit*, *recurrit*, *irruit*, in II. *Huc illuc agitavit*. in V. *multùm recurrit*, *rediitque*. Hinc per reduplicationem כרכר eſt *ſubſilire*, ſcilicet *inſtar agnorum* aut *arietum*, 2 Sam. VI. 14, 16. quò & facit Arabum كركر *huc illuc convertit*

vertit ſe, in Paſſivo *agitatus fuit*, inprimis in aëre. Neque aliunde putem rectiùs *agnum* aut *arietem* hebræis כר dici, quàm *à ſubſultorio motu*, quemadmodum à formâ reduplicatá כרכר VELOCES CAMELI ſeu DROMADES כרכרות appellantur. conf. BOCHART. *Hieroz.* loco adducto, quin & כור & כרכר ad *motum corporis gyrantem* nos ſponte vocare, ſatis benè monuit eruditiſſimus HACKMANNUS in *Præcidan.* ad *Exod.* XXXVIII. 8. Et quis non videt, ipſum latinum *Curro* non facilè rectiùs quàm à כור aut potiùs כרר derivari? His igitur omnibus ritè ponderatis, cum ratione ampliùs dubitari non poſſe exiſtimo, per כרי CARI non ſolùm idem ſatellitum genus, ac per כרתי CRETHI indigitari, ſed & ipſas voces ſignificatione ſatis egregiè convenire. Non parum autem roboris huic noſtræ ſententiæ accedet ex alterâ voce רצים *Ratzim*, ejúſque cum iis quæ §. X. de פלתי *Plethi* diximus, collatione.

X I I.

Nemo enim eſt, qui dubitet רצים à רוץ *cucurrit*, propriè *curſores* denotare, unde & aliàs disertè hujus nominis ſatellites ad mandata celerrimo curſu deferenda adhibiti ſunt, ut patet ex Chron. XXX. 6. *Et profecti ſunt* הרצים CURSORES *cum literis à manu regis & principum ejus per univerſum Iſraëlem & Juda, & ſecundum mandatum regis, dicendo: Filii Iſraëlis revertimini ad* JEHOVAM DEUM *Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis, & revertetur ad reliquias, quæ relictæ ſunt vobis ex manu regum Aſſyriæ*, & com. 10. *Et* הרצים *curſores tranſibant ex urbe in urbem, in terrâ Ephraim & Manaſſe* &c. Non minùs tamen ut Satellites armis quoque inſtructi fuerunt, quibus in majoribus ſolemnitatibus, æquè ac ad tutamen corporis regii, aut exſequenda regum juſſa, alióſque trucidandos uterentur. Sic non ſolùm REHABEAM loco clypeorum aureorum, æreos paravit, quos *geſtarent* CURSORES, *cum Rex in domum Domini iret, & peractâ hac ſolemnitate in conclave* CURSORUM *reponerent.* 1 *Reg.* XIV. 27, 28. & 2 *Chron.* XII. 11. & JOJADA eorum ope, ut ſupra viſum, regem Joaſum in ſolio collocavit, *illiſque eundem cuſtodiendum commiſit, unde ab utraque parte templi arma manibus*

nibus tenentes regem circumſtiterunt. 2 *Reg.* XI. 4, 6, 11, 13, 19. ſed & SAULUS jam ſibi adſtantes juſſit *interficere Sacerdotes* 1 Sam. XXII. 17. & iidem ex mandato regis *Jebu obtruncârunt*, & *projecerunt Sacerdotes Baalis* 2 Reg. X. 25. Cùm igitur eadem vocis רצים ſit ſignificatio, quam §. X. nomini פלתי *Pletbi* vindicavimus, cúmque inſuper τοῖς כרי *Cari*, ut illi τοῖς כרתי *Cretbi* jungantur, & denique utriſque eadem munia adſignentur, v. §. XI. coll. §. III. & VII. quid magis conveniens judicari cum ratione poterit, quàm ejuſdem ordinis ſatellites, qui ante & poſt Davidis ætatem רצים *curſores* dicti, ipſius ævo nomen פלתי *Pletbi* tuliſſe?

XIII.

Ultimum hoc novum noſtræ ſententiæ momentum adferet, inprimis, ſi cum illis quæ de vocibus כרי *Cari* & כרתי *Cretbi* in eadem relatione dicta ſunt, conferatur. Certè non de nihilo eſſe poteſt, quòd uti in ſolâ hiſtoriâ Davidis ſatellites ſub appellatione τῶν CRETHI & PLETHI memorantur, neque ulla τῶν CARI & RATZIM mentio illic occurrit, ita contra ſub SAULE diſertè ſatellitibus nomen RATZIM, & dein ſub Regibus poſt ætatem DAVIDIS idem addito inſuper altero nomine CARI datur, neque ullo tum verbo τῶν CRETHI & PLETHI memoria recolitur. Cujus rei nulla commoda ratio dari poteſt, inprimis cùm munia ipſa omni illo tempore eadem fuerint, niſi quòd idem ſatellitum genus, diverſis temporibus, nominibus ſono quidem nonnihil diſcrepantibus, ſed ſignificatione iiſdem, inſignitum fuerit. Quòd ſi cauſam hujus mutationis nominum dari exigas, id quidem in tam canâ antiquitate, deficientibus monumentis hiſtoricis, non facilè fieri poterit. Fortè autem cùm SAULIS ætate tantum RATZIM memorentur, fieri poteſt, ut tum non niſi unum ſatellitum genus fuerit, quo vel à DAVIDE in duas claſſes diviſo, vel altero ad prius aſſumpto, duo nova nomina CRETHI & PLETHI diſcriminis cauſâ ſint adhibita, dein autem poſt tempora DAVIDIS prius unius literæ detractione, ex כרתי CRETHI, in כרי CARI mutatum, loco alterius verò PLETHI antiquius illud, ſed idem ſignificans רצים

RATZIM, incertum quam ob cauſam, poſtliminiò reſtitutum ſit.

X I V.

Nova licèt hæc videantur, non tamen omni antiquitatis præſidio planè deſtituuntur; INTERPRES ſanè VULGATUS non ſolùm 2 *Reg*. XI. 19. oſtendit ſe *Cari* & *Ratzim* pro iiſdem cum *Crethi* & *Plethi* habere, dum verba את־כרי ואת־הרצים diſertè reddit, CERETHI ET PHELETHI, ſed & SYRUS, de cujus antiquitate ſupra §. VII. monuimus, voces eodem, quem illis dedimus, ſenſu, accepiſſe debet, dum tam illic, quàm com. 4. ejuſdem capitis reddit ܪ̈ܗܛܐ ܘܫܠܝ̈ܚܐ *Curſores & tabellarios*. Quæ verſio non ſolùm verbis noſtris haud leve pondus addit, ſed inter alia quoque ſolvendæ difficultati, quam mihi hîc moveri poſſe video, quare voces, ſignificatione tam propè ad ſe invicem accedentes, de diverſi generis ſatellitibus adhibitæ fuerint, & quâ in re diſcrimen horum ſatellitum propriè conſtiterit, occaſionem ſuppeditant. Scilicet

1 Diſcrimen non incommodè in eo ſtatui poteſt, quòd cum tutelâ corporis regii & officiis in bello, priores *Crethi* & dein *Cari* dicti, maximè ad mandata quædam Regis promptè celeritérque exſequenda, poſteriores autem *Plethi* & *Ratzim* appellati, inprimis ad literas regum & principum undiquaque quàm citiſſimè deferendas adhibiti fuerint, quod cum hac *verſione Syriacâ* præcipuè loca §. XII. adducta confirmant.

2. Cúmque viſum ſit, eoſdem arma geſſiſſe, in ipſo quoque armorum, quo utebantur, genere, haud leve diſcrimen obtinere potuit, ſive præeunte INTERPRETE SYRO, PSEUDO-IONATHANE & ARABE §. VII. prioribus *Arcum* & *Sagittas*, poſterioribus autem *fundam* tribuas, ſive poſterioribus unà cum *fundâ*, aut ſi tanti tibi non ſit Interpretum illorum auctoritas, ut illâ per omnia ſtare velis, ejus loco *jaculum* & *clypeum* illis tribuas, quemadmodum propriè dicti *velites* etiam apud Romanos *haſtis* & *gæſis* atque *parmis* utebantur. Saltem *clypeos* à τοῖς רצים geſtatos eſſe, ſupra quoque §. XII. ex 1 *Reg*. XIV. & 2 *Chron*. XII. 11. viſum eſt.

Atque

Atque hinc ſimul patet, nihil difficultatis in eo eſſe, quod diverſis temporibus, diverſa nomina geſſerint, ídque etiam licèt ſtatuas, illa ſignificatione ad ſe invicem accedere. Nam & apud ROMANOS varii generis *levis armaturæ* milites, variáque eorum nomina dabantur, & antiquitùs non ſolùm *Rorarii* & *Accenſi*, ſed & *Funditores*, *Jaculatores* & *Sagittarii*, &, quorum ſerior dein orta appellatio, *Velites* erant, & licèt ad *levem armaturam* ſeu *leves*, uti aliàs quoque vocantur, *velites* etiam pertinerent, ſæpe tamen hi quoque ab illis diſtinguuntur, quia & hoc nomen κατ' ἐξοχὴν *jaculatoribus* datur, denique & quod huc etiam ad mutationem nominum illorum illuſtrandam facit, illa quoque nomina apud ROMANOS diverſis temporibus nata, mutata, limitata ſunt, tandémque iterum interierunt, de quibus omnibus videri poteſt LIPSIUS *de Milit. Romaná Lib.* III. *Dial.* I. & SALMASIUS *de re militari Roman. in Theſaur. Græviun. Tom.* X. p. 1396. ſeqq.

X V.

Unum adhuc addo, quod fortè argumento huic novam lucem fœnerari poterit. Eſt id ex hodiernis orientis moribus deſumtum, quos tantò magis hîc conferre juvabit, quò magis certum atque indubium eſt, pleroſque non tantùm plurimis orientis populis quondam communes fuiſſe, ſed &, uti eorum ſunt tenaciſſimi, in hunc diem uſque obſervari. Ita igitur etiamnum in aula IMPERATORIS TURCARUM, duplicis iſtiuſmodi generis ſatellites, quales deſcripſimus, inveniuntur, ut ex propiori eorum, qui aulam hanc ſummo ſtudio luſtrârunt, delineatione eluceſcet. Sunt illic quaſi prætoriani milites, in quàm plurimis τοῖς *Cretbi* aut *Cari* reſpondentes, SOULAKS dicti, de quibus exhibito eorum icone *Legatus Regis Galliæ* de FERRIOL *in veriſſ. & noviſſ. delineatione Aulæ turcicæ* num. XVII. ſcribit: SOULACKS *efficiunt corpus militare, unicè* CUSTODIÆ CORPORIS MAGNI TURCÆ, *dum exit, deſtinatum. Nunquam in aciem proficiſcuntur, niſi ſub ipſius Sultani auſpicio. Sunt eorum numero* 300, *eúmque in finem* PRÆCIPUI, FORTISSIMI ET MAXIMÈ EXERCITATI *Janitzarii leguntur.* — — *Cùm Sultanus egreditur, ſemper duo à latere ejus*

incedunt, pharetram humeris & arcum brachio gerentes, ut ejus . . . *& quidem qui à lævâ* (incedunt) *lævâ jaculari parati ſunt, qui ad dextram, dextrâ, ne inter jaculandum opus habeant Imperatori tergum obvertere. Appellantur idcircò quoque* Soulacks, *id eſt Scævæ, quoniam ita exercentur, ut ambidextri ſint.* Deinde ſunt ibidem Paiks appellati, qui in multis cum *Plethi* & *Ratzim* conveniunt, de quibus in effigie repræſentatis, idem refert. n. IX. Paiks *ſunt propriè noſtro loquendi more, Magni Sultani pediſſequi (Laquais) ſeu curſores, & plerumque Perſæ, qui inde à juventute* CELERRIME CURRERE DOCENTUR. *Quemadmodum non ſolùm fortiſſimos equos ita in curſu ſequi poſſunt, ut ſemper manum tergo impoſitam habeant, ſed & in campo plano currunt à tergo quouſque planum ſe extendit, eadem celeritate, clamantes clarâ voce*, Alau Dei cherin, *Servet Deus Imperatorem. Idcircò eorum quoque uſus eſt in maximi momenti negotiis*, AD NUNCIOS HUC ILLUC DEFERENDOS, *quod incredibili celeritate peragere nórunt. Sunt eorum tantùm* LX. *& quoniam ſemper lateri Sultani proximi ſunt, — — Ad latus gerunt pugionem* Biciach *dictum*, MANU AUTEM BREVEM HASTAM, &c.

DIS-

DISSERTATIO X.

DE

VOTO DAVIDIS AQUAS EX FONTE IN PORTA BETHLEHEMITICA APPETENTIS.

AD 2 SAM. XXIII. 15. ſeqq. & 1 CHRON. XI. 17. ſeqq.

I.

Quàm inſigne ſtudium typicum & allegoricum eſt, quámque egregiè ſpiritûs in verbo loquentis majeſtatem æquè ac ſapientiam pandit, tam in illud injurii ſunt, qui quamprimùm in ſenſu literali ſcripturæ difficultatem quandam inveniunt, cui ſolvendæ ſemet impares ſentiunt, ſtatim miſſâ literâ, eò velut ad ſacram quandam anchoram confugiunt, & ne videantur nihil dixiſſe, potiùs ſuavia cerebri ſomnia nobis obtrudere, quàm fateri volunt, ſibi rem nondum ſatis conſtare, aut ſe, ampliùs deliberandum cenſere. Exemplo ſit locus, quem præ manibus habemus. Cùm enim nondum ſatis liqueret, quare David tantopere aquam Bethlehemiticam appeteret, à proprio literæ ſenſu mox ad allegoricum typicúmque multi tranſilierunt.

II.

Inter Judæos antiquiores nonnulli per *aquas* intelligunt *Legem*, per *ſitim* Davidis, *deſiderium* quo in caſu difficiliori appetebat ſolutionem Legis, ídque à *ſenioribus Synedrii* in *Betblebemi portâ* conſidentibus, unde dicatur, *ex puteo Betblebemitico, qui in portâ*, ut docet R. D. K. ad h. l. his verbis: והם פי׳ מי ישקני דרך משל כי המים הם התורה כמו כל צמא לכו למים, ופירוש

ופירוש מי ישקני מים הלכה נצרכ׳ לו לשאו׳ מסנהדרין שהיו בבית לחם וזהו שאמר מבאר בית לחם : אשר בשער / כמו השערה אל הזקנים: *Et ipſi interpretantur* (verba) QUIS POTABIT ME AQUIS? *allegoricè :* QUONIAM AQUÆ SIGNIFICANT LEGEM, *ut* (Jeſ. LV. 1.) O *omnes ſitientes venite ad aquas : & explicatio verborum*, QUIS POTABIT *me aquis?* (eſt, quod) *deciſione ipſi opus erat à Synedrio petendâ, quod in Bethlehem erat, & hoc eſt quod dicit*, EX PUTEO BETHLEHEMITICO: (quod autem additur) QUI IN PORTÂ, (illuſtratur ex eo quod dicitur Deut. XXV. 7.) *verſus portam ad ſeniores.* Plura de hac explicatione allegoricâ vid. in TALMUDE HIEROSOL. SANHEDR. f. 20. *col.* 3. *in init.* & in MIDDR. RABBA *in Ruth* f. 49. *col.* 2. ubi & caſus, in quo deciſionem expetiverit, additur, de quo vid. etiam TALMUD. BABYLON. BAVA KAMA f. 60. fac. 2. in fin.: & KIMCHI l. c. Non malè autem ad hanc expoſitionem obſervat PFEIFFER. *Diſſ. Script. Locc. Cent.* II. *Loc.* XCI. *Sed id valde improprium. Et Philiſtæis obſidentibus Bethlehem, quis locus Synedrio?* Interim tamen ipſe PFEIFFERUS nihilò meliùs vult *Davidem deſideraſſe non aquam corpoream*, ſed *ſpiritualem illam Joh.* IV. 10, 15. *& alibi.* ídque 1. *quia aliàs muliebre*, ut exiſtimat, *deſiderium fuiſſet tam pii & gravis Regis, certè non commemorandum tam curioſè*, 2. *quia aquam nactam non bibit, ſed effudit — teſtatus ſe talem aquam neutiquam deſideraſſe.* Non multùm inde abludit CALOVIUS, niſi quòd ſenſum literalem non planè repudiet, rationem cur David aquam bibere noluerit, inter alia hanc reddens, in *Bibl. Illuſtr.* ad com. 16. *ut indicaret, non tam corporalem, quàm ſpiritualem ſitim Meſſiæ in Bethlehem aliquando prodituri ſibi hoc deſiderium excitaſſe.* Verùm non immeritò nos hujus ſententiæ Auctoribus opponimus, quod KIMCHIUS tribulibus ſuis, qui priorem excogitaverant: ודברים אלה רחוקים מאד מדרך הפשט כי הפסוקים חם ספור הגבורים אשר לדוד וספר הגבורות אשר עשה כל אחד מהשלשה הראשונים ומה שעשו שלשת האחרונים בהביאם המים *Verba autem hæc longè admodum abſunt à ſimplicitate literæ, nam commatibus his recenſio fit Heroum Davidis, narrátque* (ſcriptor) *fortia facta, quæ unuſquiſ-*

quiſque Heroum trium priorum edidit, & quid fecerint tres poſteriores, dum aquam adduxerunt. Et ſanè quis præterea credat, Davidem tam impropriè nullâ ipſi oblatâ commodâ occaſione deſiderium bonorum ſpiritualium ſignificare voluiſſe? aut unde nos id colligere cum ratione poterimus, cùm ne illis quidem, qui Regi adſtabant, & ex omnibus circumſtantiis rectiùs de ejus mente, quàm nos ex breviſſimis verbis judicare potuerant, quicquam tale ſuboluerit, ſed omnia κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda eſſe cenſuerint, ita ut vel ipſi illi tres Heroës ſummum vitæ diſcrimen idcircò adire non dubitaverint? Quòd ſi vel maximè David, primùm tam impropriè locutus fuiſſet, quis credat, illum mentem ſuam non deinde clariùs expoſiturum fuiſſe, uti in ſimili negotio fecit Servator *Job.* IV. 13, 14. vel Scriptorem Sacrum, ne Lector rem minùs rectè acciperet, id non facturum, ut Johannes fecit VII. 39. aut denique Davidem ipſum ſaltem cùm rationem redderet, quare aquam bibere nollet, id non verbo moniturum fuiſſe, contrà verò illam ſolam allaturum, quæ à periculo, cui ſe Heroës in hauriendâ aquâ expoſuerant, deſumpta erat, atque adeò ad aquas tantùm propriè dictas relationem habebat.

III.

Uti autem vera ratio hujus παρερμηνείας eſt, quam Pfeifferus non obſcurè prodidit, quòd allegoricarum illarum interpretationum Patroni non ſatis cauſam deſiderii Davidis, ſecundùm literam accepti, caperent, ita qui in literali explicatione ſubſiſtunt, non tamen omnes idem ſentiunt. Omnium longiſſimè à vero abſunt cum Paraphraste Chaldæo illi Judæorum magistri, qui integrum locum de *libatione in feſto tabernaculorum* accipiunt, hácque intentione illam non ſolùm à Davide deſideratam, ſed & dein ſive ab ipſo, ſive ejus nomine actu libatam eſſe, contendunt. Cui tamen ſententiæ refutandæ non opus eſt ut hîc diu immoremur, cùm id ex profeſſo à nobis factum, quin & ſimul oſtenſum ſit, totum illum ritum libationis aquæ ſub templo demum ſecundo à Rabbanitis introductum eſſe, peculiari *Diſſertatione*, quam de hoc argumento inſe-

inſeruimus *Symbol. Literar. Tom.* I. *P.* II. p. 160. ſeqq. & inprimis pag. 172--174. Quare Lectorem eò ablegantes, monemus tantùm, hanc æquè ac alias violentas & coactas interpretationes, ultrò corruere, ubi ad ſaniorem ſimpliciorémque, quam omnes circumſtantiæ ſuggerunt, propiùs attenditur.

I V.

Vidit jam aliquid CHRISTIANUS TYCHONIUS in *Speciminibus Analectorum Sacrorum* JOH. DOUGHTEJI ad *Celeb.* FABRICIUM miſſis, & à *Clar.* REIMARO *Commentat. de Vitâ & Scriptis Joh. Alb. Fabricii* p. 336. ſeqq. inſertis. Obſervat is: *Conſueviſſe olim Reges orientis non quamcunque, ſed certam aquam bibere:* quod exemplis *Regum Perſiæ*, qui non aliâ, quam ex *fluvio Choaſpe*, & *Ægypti*, qui non niſi illâ ex *Nilo*, uſi fuerint, egregiè illuſtrat. Unde porrò infert: *Quid ſi dicamus, ſimilem morem, certas aquas bibendi & ſecum in caſtra portandi, apud Ebræos Reges obtinuiſſe, Davidem verò, ut & patriam urbeculam honoraret, nec pauperis tugurii paterni in faſtigio regio oblivisceretur, elegiſſe ciſternæ Bethlehemiticæ aquam (haud aliter quam Agathocles quondam vaſa ſua figlina) menſæ regiæ jugiter inferendam? Cùm verò ob ſubitam hoſtium urbem circumſidentium irruptionem, penuria aquæ hujus, fortè ob nimiam viciniam loci vel alias cauſas haud adeò magna in copia aſſervari ſolitæ, laborarent pocillatores Regii, ægrè hoc tulit David, haud alia aqua ſitim ſedare ſolitus.*

V.

Ingenioſa ſanè eſt hæc ſententia, quámque ideò dignis meritò encomiis ornat *Celeb.* REIMARUS, nec minùs quæ de Regum Orientis more attulit *doctiſſimus* TYCHONIUS hodiernâ eorundem praxi confirmantur. Sic GANGIS aquis non ſolùm vicini Reges ad lotionem & balneum utuntur, ut de *Rege Narſingæ* teſtatur MANDELSLO *in Itin. Indiæ Lib.* III. p. 198. verùm & Magnus MOGORUM IMPERATOR eandem ordinariò bibere ſolet, ut docet THEVENOTH. *Itiner. P.* III. *Lib.* I. *cap.* XLI. nec

non

non TERRI *dans la Voyage au Mogol* §. 2. cujus verba inprimis notatu digna ſunt : *C'eſt une choſe digne de conſideration, qu'une pinte de l'eau du Gange eſt plus legere d'une onçe, qu' une pinte de quelque autre eau que ce ſoit. Pour cette raiſon le Mogol n'en boit point d'autre, & l'on eſt obligé de luy en porter, en quelque lieu qu'il ſoit.* Interim tamen vix putarem, rationem hanc abſolutè, inprimis in relatione ad Davidem, niſi adhibito quodam temperamento, procedere. Præterquam enim quòd nulla hujus rei veſtigia in hiſtoriâ exſtent, parum probabile eſt, Regem ſtrenuum & bellicoſum, qui hactenus duriorem ſemper vitam agere coactus erat, mox poſt regni initium, ubi hiſtoria hæc contigiſſe plerisque Interpretibus creditur, ſe tam ſubitò mollitiei, (cui multi remotioris Orientis Principes admodum ſemper dediti fuerunt) adeò tradidiſſe, ut non niſi unius putei aquis uti voluerit, licèt fortè ſi Hieroſolymis, aut in viciniâ urbis Bethlehemi verſaretur, eam alteri præferret, inprimis autem in illis circumſtantiis, in quibus tunc erat conſtitutus, plus una cauſa eſſet, cur illam tanto deſiderio appeteret.

V I.

Ad urbem HIEROSOLYMAM enim ordinariam regni Davidici ſedem, quod attinet, habebat illa τῷ κύκλῳ χώραν λυπρὰν ϗ ἄνυδρον, *regionem circumjacentem ſterilem &* AQUA CARENTEM, ut dudum monuit STRABO *Lib.* XVI. & recentiores PERIEGETÆ confirmant. conf. quæ hac de re monui in *Diſſertat.* ad *Pſalm.* XLVI. 5. Et licèt fons Siloah aquas ſatis ſalubres ſuppeditaret, eaſdem tamen *aliquo modo ſalſas, nec boni ſaporis eſſe*, ex MONCONISIO jam obſervavit *Celeb.* RELANDUS *Palæſtin. p.* 859. *ſeqq.* Contrà autem hæ aquæ Bethlehemiticæ paſſim à bonitate & ſuavitate ab illis, qui hæc loca inviſerunt, celebrantur. Sic HARANT à POLSCHITZ in *Itiner. Terræ Sanctæ* P. I. Cap. XXXI. ſub finem ſcribit : *Antequam autem ad Monaſterium pervenimus, tranſibamus locum, ubi quondam porta Bethlemitica fuit, videbamúsque illic ciſternam profundam in quâ* LIMPIDA, PURA ET BONA AQUA *erat, atque hæc eadem illa ciſterna reputatur, de quâ legitur, quòd cùm Rex David, à Philiſtæis in arce incluſus, deſiderio adfe-*

ctus dixerit : O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem, quæ eſt in portâ &c. &c. Non diſputo nunc, utrum ciſterna quæ nunc oſtenditur eadem ſit cum illâ, de quâ 2 *Sam.* XXIII. agitur, quamvis etiam nullam videam rationem, quare id negetur, ſed mihi ad ſcopum meum ſufficit, ex teſtimonio eorum qui Bethlehemi fuerunt, conſtare, aquas illius loci puras bonásque eſſe, ut adeò mirum non ſit, ſi David æquè ac alii Reges inde Hieroſolymam, ubi & rariores & deteriores erant, aut ad loca vicina easdem deferri juſſerint. Inſigniter hoc illuſtratur atque confirmatur eo, quod monuit CORNELIUS DE BRUYN *in Itiner.* & ex illo Celeb. RELANDUS *Palæſtin.* Lib. I. p. 300. *aquas ex fonte, qui hodiéque non longè à Bethlehem conſpicitur, in piſcinas tres, Salomonis dictas, influere, & per aquæductum, cujus rudera adhuc ſuperſunt, Hieroſolymas olim ferri ſolitas eſſe.*

VII.

Accedebat quòd David tum temporis urbe Hieroſolymâ quoque abeſſet, quoniam Philiſtæis obviam proceſſurus in arcem deſcenderat ab eâ diſſitam, vid. *S. Venerand.* PATRICIUS & SOCIETAS THEOLOGG. ANGLOR. ad h. l. & 2 Sam. V. 17. Quòd ſi igitur nec aquas Hieroſolymitanas in promptu haberet, nec ille etiam locus fortè ſatis gratas ſuppeditaret, tantò magis hic defectus ſitim Davidis incendere potuit, idque inprimis ad appetendas aquas Bethlehemiticas, quoniam hæ præ aliis bonitate & ſuavitate ſe commendabant.

VIII.

At inprimis non parum deſiderium ejus augere potuit relatio, quam ad hanc urbem habebat. Erat enim ejus natale ſolum, imò urbs familiæ ipſius propria, in quâ & ſub cujus ditione avita bona continebantur, quæ quondam in diviſione Canaanis ejus Majoribus ſorte aſſignata fuerant, unde *Urbs Davidis* dicitur, Luc. II. 4, 11. & tabulæ genealogicæ ejusdem familiæ ibidem aſſervabantur, quare & MARIA ut filia ἐπίκληρος

eò

Digitized by Google

eò ad nomen ſuum profitendum adſcendere debuit Luc. II. 4. Quòd ſi igitur, ut Ovidius canit,

Neſcio quâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Quid mirum, ſi & David inſitis illis amoris, quo mortales plerumque in Patriam ſuam feruntur, ſtimulis actus, ejus ſe inprimis jucundiſſimis undis reficere ſitímque levare optaverit?

I X.

Fortè quoque hîc non planè præter rem conferri poſſet, quòd aquam ex aliquâ regione petere apud Veteres habebatur ſupremi imperii ſignum, quà de re Plutarch. *in vit. Alexandr.* T. I. p. 686. Δίνων δέ φησιν καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Νείλου καὶ τοῦ Ἴστρου μετὰ τῶν ἄλλων μεταπεμπομένους εἰς τὴν Γάζαν ἀποτίθεσθαι τοὺς βασιλεῖς, οἷον ἐκβεβαιουμένους τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς, καὶ τὸ κυριεύειν ἁπάντων i. e ex verſ. Xylandri, *Adhæc ex Nilo & Iſtro hauſtum inter cætera Dinon memorat ſolenne fuiſſe, ut afferri imperarent, atque in theſaurum reconderent reges, tanquam in pignus imperii & rerum ſe Dominos eſſe* Unde eo ipſo cogitari poſſet Davidem deſiderium ſuum ſignificâſſe, patriam urbem præſidio Philiſtæorum liberatam ſuóque imperio ſubjectam videndi. Quicquid autem eâ de re ſit, quam urgere nolo, quia neſcio, an tam cana ritûs hujus antiquitas idoneis argumentis ex hiſtoriâ adſtrui queat, id tamen tutò adfirmare auſim, quod, uti homines plerumque in res gratas, quando eas ſibi negatas, aut impetratu difficiles vident, majore impetu ferri ſolent, inprimis ſi ad illas jus aliquod quæſitum ſe habere exiſtiment, tum quoque legitimè imperanti ſemper admodum grave atque moleſtum accidere ſolet, ubi hoſtes quæ ad imperium ſuum pertinent, injuſtè detinere videat, ita non potuerit non in Davide vehementiorem ſitim atque deſiderium aquarum Bethlehemiticarum accendere, quòd ad illas ſibi aditum negatum cerneret, idque ab hoſtibus, qui urbem patriam, & eam quidem ſuo cùm maximè ut ſummi imperantis in populo Iſraëlitico, imperio jure ſubje-

ctam, præſidio ſuo occupatam tenebant. Neque errabimus credo, ſi dicamus, Davidem vel his verbis deſiderium recuperandæ & à manu Philiſtæorum vindicandæ urbis indicare voluiſſe, aut ſaltem hoc eodem ad appetendas aquas Bethlehemiticas vehementer compulſum eſſe, quoniam receptâ urbe earum quoque uſus ipſi ultrò pateret.

X.

Certè uti ſingula, quæ adduximus, pondere ſuo non carent, ita ſi omnia ſimul conjungantur, ſatis evincent, minimè deſiderium Davidis ſecundùm literam acceptum *muliebre*, ut Pfeifferus exiſtimat, aut *tam pio aut gravi Rege minùs dignum*, ſed ita potiùs comparatum fuiſſe, ut, non ſolùm unumquemque in ſimilibus circumſtantiis, ſed inprimis Davidem ob propriorem, quam ad urbem Bethlehemum habebat, relationem, & maximè, graviſſimum Regem, inſigne oppidum hoſtili præſidio ſuo imperio non ſine dedecore ereptum cernentem, invadere, ſimiléque votum extorquere potuerit. Præcipuè cùm id ſimul neceſſariò calcar ſubdere debuerit, ut ad hanc urbem hoſtili præſidio liberandam regnóque ſuo vindicandam ſe quantocyùs accingeret.

X I.

Quod autem ſubjungit Pfeifferus, certè hoc deſiderium *non tam curioſè commemorandum* fuiſſe, exigui eſt momenti, præterquam enim quod ſi res ipſa Davide indigna non fuerit, indignum quoque eodem minimè cenſeri poſſit, quòd eadem in rebus geſtis Davidis verbo referatur; inprimis hîc probè obſervandum, quod Kimchius verbis §. II. allatis intendebat, hiſtoriam hanc propriè inter res à Davide geſtas non recenſeri, ſed Scriptorem Sacrum potiùs in eo eſſe, ut inſigniora & illuſtriora facta præcipuorum Heroum Davidis enumeret, cùm autem inter ea maximè memorabile eſſet, quod hîc refertur, neceſſariò in tranſitu deſiderii hujus Davidici mentionem injici debuiſſe, quia ceteroquin hiſtoria mutila fuiſſet, nec ſciri potuiſſet, quid eos ad tam audax facinus perpetrandum impulerit. Ceterùm cùm Kimchio, Abarbanele, aliiſque Judæorum Magiſtris hîc nimis curio-

curioſè determinare nolo, quòd tres eum in finem Heroës ad aquam petendam egreſſi ſint, quia unus id impedire volentes occiderit, alter occiſos removerit, tertius denique à cæde aut tactu mortuorum non inquinatus, eam in munditiâ adduxerit; aut quòd tria in hac hiſtoriâ contigerint miracula, unum quòd non obſtante hoſtili præſidio ad puteum penetraverint, alterum quod tempus habuerint aquam hauriendi, tertium quod eam incolumes ad Davidem perduxerint. Hæc enim, deficientibus planè monumentis hiſtoricis, tam confidenter adfirmare, ingenium Rabbinicum ſapit, licèt generatim in tribus illis ultimis, tam inſignis animus & fortitudo bellica in his Heroibus, quàm Dei quoque, à quo robur eſt, præſidium & provida in illis tutandis cura ſatis clarè reluceat.

XII.

Quod ultimo loco addit PFEIFFERUS, & calculo ſuo firmat CALOVIUS, Davidem, cùm *aquam nactus eandem bibere noluerit, ſed effuderit*, hoc ipſo teſtatum eſſe, *ſe talem aquam neutiquam deſideraſſe*, aut *non tam corporalem, quàm ſpiritualem ſitim Meſſiæ, in Bethlehem aliquando prodituri, ſibi hoc deſiderium excitaſſe*, nullius planè eſt ponderis. Ipſe enim potiùs aliam, eámque propriè dicto deſiderio aquæ Bethlehemiticæ exactè ſatis reſpondentem, rationem reddit, quia nempe tanto vitæ periculo aqua hæc hauſta erat, quare eandem *ſanguinem Virorum illorum* appellat. Unde duo potiſſimùm elicio. 1. Quod DAVID minimè hos Heroas, ut multi inprimis inter Judæos exiſtimant, eum in finem Bethlehemum ablegaverit, ſed potiùs deſiderium tantùm ſuum, ídque eo potiſſimùm animo ſignificaverit, ut pateret, quàm moleſtum ſibi eſſet urbem regni ſui, eámque patriam, in hoſtium manibus cernere, quámque ſeriò eandem illis eripere optaret; tres autem illos Heroas mentem ejus non ſatis capientes, ipſo inſcio, vel ſaltem tam citato gradu, ut eos revocare non poſſet, ſemet prorupiſſe, ut & promptitudinem Regi inſerviendi & fortitudinem probarent. 2. Cùm autem dein rem cognoſceret, apud animum ſuum reputaſſe, quàm indignum ſit, ut talis deſiderii unius hominis, licèt is vel rex

eſſet, ſedandi cauſâ, tres inſignes Viri vitæ diſcrimen adeant, háncque ob cauſam re tanto periculo partâ uti noluiſſe, ſed potiùs illi qui eos benignè ſervaverat, incolumésque reduxerat, grato animo ſacrandam atque offerendam ſtatuiſſe. Quin & cum hoc non pugnat, ſed eidem potiùs commodè ſubordinari poteſt, quod & metuerit, ne res ceteroquin ſe apud exercitum in contemptum adduceret, ſi vel videretur, ſive ſitis ſedandæ cauſâ, ſive etiam ex mollitie & inordinato appetitu bibendæ aquæ Bethlehemiticæ, tres tam inſignes Heroas præſentiſſimæ morti exponere. Lucem hoc, quod ultimo loco monui, accipere poteſt ex memorabili abſtinentiæ exemplo, quod quondam Alexander aquam in maximâ ſiti repudiando dabat, ne militibus ſuis mollior videretur, eorúmve animos frangeret, quóque ipſo calcar iis ſubdidit, ad quævis incommoda intrepidè ſubeunda. Narrat id PLUTARCHUS *in vitâ ejus* p. 689. dignúmque eſt quod hîc integrum legatur: Πρὸς δὲ τὴν δίωξιν ἀργαλέαν καὶ μακρὰν γενομένην (ἕνδεκα γὰρ ἡμέραις ἱππάσαντο τρισχιλίους καὶ τριακοσίους σταδίους, ἀπηγόρευσαν μὲν οἱ πλεῖστοι, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν ἀνυδρείαν· Ἔνθα δὴ Μακηδόνες τινὲς ἀπήντησαν αὐτῷ, ὕδωρ ἐν ἀσκοῖς ἐφ' ἡμιόνων κομίζοντες ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ· Καὶ θεασάμενοι τὸν Ἀλέξανδρον, ἤδη μεσημβρίας οὔσης κακῶς ἀπὸ δίψους ἔχοντα, ταχὺ πλησάμενοι κράνος προσήνεγκαν· πυθομένου δὲ αὐτοῦ τίσιν κομίζοιεν, Υἱοῖς (ἔφασαν) ἰδίοις· ἀλλὰ σοῦ ζῶντος, ἑτέρους ποιησόμεθα, κἂν ἐκείνους ἀπολέσωμεν. Ταῦτα ἀκούσας, ἔλαβεν εἰς τὰς χεῖρας τὸ κράνος. Περιβλέψας δὲ καὶ θεασάμενος τοὺς περὶ αὐτὸν ἱππεῖς ἅπαντας ἐγκεκλικότας τὰς κεφαλὰς καὶ πρὸς ποτὸν βλέποντας, ἐπέδωκεν, οὐ πιὼν, ἀλλὰ ἐπαινέσας τοὺς ἀνθρώπους, Ἂν γὰρ αὐτὸς, ἔφη, πίω μόνος, ἀθυμήσουσιν οὗτοι· Θεασάμενοι δὲ τὴν ἐγκράτειαν αὐτοῦ καὶ μεγαλοψυχίαν οἱ ἱππεῖς, ἄγειν ἀνέκραγον θαῤῥοῦντα, καὶ τοὺς ἵππους ἐμάστιζον· οὔτε γὰρ κάμνειν, οὔτε διψᾶν, οὔθ' ὅλως θνητοὺς εἶναι νομίζειν αὐτοὺς, ἕως ἂν ἔχωσι βασιλέα τοιοῦτον. i. e. modo laudato XYLANDRO iterum Interprete: *Dum conſectatur (Darium) in itinere laborioſo & prolixo, (nam diebus undecim tria millia trecenta ſtadia confecit) plerique laſſitudine ſunt confecti; & præſertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidam, qui aquam in utribus à flumine mulis portabant: conſpicientéſque Alexandrum medio jam die*

die ſiti maceratum, impleverunt confeſtim galeam, eique obtulere. Requirente eo, quibúsnam aquam afferrent: Liberis noſtris reſpondére, verùm te incolumi alios gignemus, etiamſi hos amiſerimus, ſub quorum dicta accepit galeam. Cæterùm circumlatis oculis, ubi vidit qui ipſum comitabantur equites capite inclinato potum reſpicientes, reddidit illis aquam non guſtatam, laudavitque eos. Nam ego, inquit, ſi ſolus bibero, hi elangueſcent. Regis conſpicati equites continentiam & magnitudinem animi, duceret, & bono animo eſſet, vociferati ſunt, & equos verberarunt, neque fatigari ſe, neque ſitire, ſed nec mortales ducere eſſe, quoad talem haberent regem.

DISSERTATIO XI.

DE

NIBCHAS IDOLO AVVÆORUM.

AD 2 REG. XVII. 31.

I.

Triſtiſſima quondam erat orbis facies, cùm maxima pars mortalium fœdiſſimo Idololatriæ crimine inquinata, ſerviret τοῖς μὴ φύσει οὖσι Θεοῖς. Peperit hoc non ſolùm incredibilem illam Deorum multitudinem, dum quævis Gens ferè ſuos ſibi proprios excogitavit, & omne genus creaturas coluit præter Creatorem, qui ſolus ſupra omnia laudandus eſt in ſecula. Sed & inde nata tot eorum ad imaginem animantium effigiata monſtra, quibus excœcatæ ſemel erroríſque pravitatibus imbutæ mentes, *gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in ſimilitudinem imaginis non ſolùm corruptibilis hominis, ſed & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.* Rom. I. 23. Cujus rei vix alibi magis

magis memorabile exemplum occurrit, quàm in illis populis, quos SALMANASSAR *Aſſyriæ Rex*, abductis in captivitatem Iſraëlitis, eorum loco Samariam tranſtulit, de quibus teſtatur SCRIPTOR *Poſterioris libri Regum* cap. XVII. commatt. 29, 30, 31.
ויהיו עשים גוי גוי אלהיו ויניחו בבית הבמות אשר עשו השמרנים
גוי גוי בעריהם אשר הם ישבים שם : ואנשי בבל עשו את־סכות
בנות ואנשי־כות עשו את נרגל־ואנשי חמת עשו את־אשימא :
והעוים עשו נבחז ואת־תרתק והספרוים שרפים את בניהם
באש לאדרמלך וענמלך אלהי ספרוים: *Et fecerunt ſingulæ gentes Deos ſuos, & collocârunt in domo excelſorum, quam fecerunt Samaritani, ſingulæ gentes in urbibus ſuis, ubi habitabant. Et Babylonii fecerunt Succoth Benoth, & Cuthæi fecerunt Nergal, & Chamatenſes fecerunt Aſima,* & AVVÆI FECERUNT NIBCHAS ET TARTACK, *& Sepharvaimitæ combuſſerunt liberos ſuos igne, Adrammelecho & Anammelecho Diis Sepharvajim.* Cui loco elucidando idcircò præcipuè operam inſumſerunt, quotquot Idololatriam Veterem illuſtrare conati ſunt, ſed omni adhibito labore tam parum tamen profecerunt, ut *Celeber.* pariter *Theologus* atque *Philologus* JOH. HENR. HOTTINGERUS in *not. ad Godwin. Moſ. & Aaronem* lib. IV. cap. 7. pronunciare non dubitaverit: *Vix quicquam certi de hac Idololatria noſſe poſſumus. Voces ſunt obſcuræ originis. Alia certa monumenta de his populis deſunt. Judæi ipſi diſſentiunt.* Quibus gemina habet *inſigne illud Academiæ Jenenſis quondam Decus*, JOH. FRANC. BUDDEUS *hiſt. Eccleſ.* T. II. p. 658. dicens: *Idolorum hæcce, quæ hic commemorantur, nomina, admodum obſcura ſunt; unde in iis explicandis, conjecturis ſaltem, iisque longè incertiſſimis, locus relinquitur.* Maxima autem difficultas in idolis CHAMATENSIUM & AVVÆORUM, ASIMA, NIBCHAS & TARTACK ſita eſt, in quæ idcircò digitum intendens, poſtquam de reliquis ſententiam dixiſſet, PFEIFFER. *Dub. Vexat.* Cent. III. Loc. IV. ait: *De cæteris nil certi, ſive etyma ſpectes, ſive rem.* Quid quod, eruditiſſimus Epiſcopus PATRICIUS ad h. l. ſcribit: NEMO NOVIT QUINAM HI DII FUERINT &c. Et licèt dein M. CHRISTOPH. SCHULTZE Chamatenſium *Aſima* ſingulari diſputatione habitâ Vitem-

temberg. An. 1722. illuſtraverit, reliqua tamen illa Avvæorum ferè intacta relicta ſunt. Imò Leusdenus in *Philol. Hebr. Mixt.* Diſſ. XLIII. quaſi deſperans, de his certi quid adferri poſſe, ſcribit: *Sextum idolum eſt Nibchas & ſeptimum Thartack, de quibus legitur* 2. Reg. 17: 31. *Havæi fecerunt Nibchas & Thartack. Quæritur; Qualia fuerint hæc idola? Reſp. Kimchi & Jarchi ajunt, idolum Nibchas Canis imaginem retuliſſe, & Thartack figuram Aſini. UT UT SIT, FUERUNT IDOLA SUB DIVERSA FIGURA CULTA.* Unde quæ de illis certiora nobis deprehendiſſe videbamur, Eruditorum judicio exponere in animum induximus, initium facturi *Avvæorum Idolo NIBCHAS* dicto.

I I.

Quoniam autem propior ipſius gentis, à quâ hoc Idolum cultum eſt, cognitio non parum lucis argumento huic fœnerabitur, hinc in illam prius inquiremus diligentiùs, quò idolum ipſum tantò feliciùs detegere queamus.

Gens hebræo nomine עוים ſeu Avvæi audit, & eorum ſive regio ſive præcipua quædam urbs עִוָּא *Avva* 2. Reg. XVII. 24. vel עִוָּה *Ivva* 2. Reg. XVIII. 34. & XIX. 13. neque enim *Avva* hominis aut Dei alicujus nomen eſt, ut minus rectè exiſtimat Lubinus, aut dubitanter loquitur Sanson. in *Indic. Geograph.* in voce *Ana*, nam & conjungitur vox cum aliis regionum aut urbium nominibus, ut *Babel*, *Cuth*, *Chamat*, *Arphad*, *Sepharvaim*, & quando voci אלהים *Dii* additur, hæc in ſtatu conſtructo ponitur, אלהי ספרוים הנע ועוה, quæ verba adeò verti debent: *Dii Sepharvaimorum, Henæ & Ivvæ*, & denique Regis *Sepharvaimorum, Henæ & Ivvæ* mentio fit. vidd. loca citt. Unde hujus ſententiæ patroni rectè jam eo nomine notati ſunt Clerico *in not. in Sanſonis Indic. Geograph.* Ubi autem Avvæi hi habitaverint, quáeque adeò hæc eorum regio aut urbs fuerit, non uſque adeò conſtat, eóque obſcurius eſt, quòd diverſis temporibus varias habuerunt ſedes. Antiquitùs enim priusquam Iſraëlitæ terrâ promiſſâ potirentur, eam juxta cum aliis Canaanis poſteris incoluerunt, & quidem *habitantes in villis circa Gazam*,

ut docetur Deut. II. 23. loco mox allegando, atque hinc per ipſas mediterraneas Canaanis regiones ſe extenderunt, nam inter urbes, quæ in diviſione Terræ Sanctæ tribui Benjamin ceſſerunt, diſertè עוים *Avvim* memoratur Joſ. XVIII. 23. Unde illud quoque non obſcurè colligitur, fuiſſe eos Canaane oriundos, ejus enim poſteri primùm omnem illam terram poſſederunt. Gen. X. 19. quare illi quoque deinde nomen ארץ כנען *terræ Canaan* conſtanter adhæſit. His autem ſedibus pulſi fuerunt per Caphthoræos, qui eaſdem deinceps inhabitarunt, ut loco modo tacto Deut. II. 23. diſertis verbis Moſes docet: והעוים היושבים בחצרים עד עזה כפתרים היוצאים מכפתור השמידום וישבו תחתם *Et AVVÆOS habitantes in villis uſque ad Gazam profligarunt Caphthoræi egreſſi ex Caphtor, & conſederunt eorum loco.*

III.

Quorſum verò ſe tum temporis contulerint Avvæi, atque ubi illâ inprimis ætate, cùm coloniæ eorum Samariam ducerentur, habitaverint, ardua admodum eſt quæſtio. Bochartus Summus in his literis Vir *Geogr. S.* P. I. lib. IV. c. 36. ſcribit: *Putantur Euphratem trajeciſſe, atque inde in Samariam ab Aſſyriis tranſlati.* Cujus Summi Viri auctoritate alii quoque in eandem ſententiam conceſſerunt. Verùm licèt minimè negemus, Avvæos quosdam trans Euphratem habitaſſe, meritò tamen dubitamus, an illi, qui Canaane pulſi ſunt, vel ſaltem omnes illius gentis eò ſtatim conceſſerint, quia poſtquam illi jamdudum ſedibus ſuis ejecti fuerunt, dein tamen Joſuâ cum Iſraëlitis terram ingreſſo, adhuc unà cum Philiſtæis & aliis gentibus Cananæis enumerantur Joſ. XIII. 3. מן השיחור אשר על פני מצרים ועד גבול עקרון צפונה לכנעני תחשב חמשת סרני פלשתים העזתי והאשדודי האשקלוני הגתי והעקרוני והעוים: *A fluvio Sichor, qui eſt coram Ægypto, uſque ad fines Ekronis boream verſus Canaæo attribuetur, quinque principes Philiſtæorum, Gazæus & Asdodæus, Askelonita, Gittæus, & Ekronæus, &* Avvæi. Unde manifeſtum eſt, vel non omnes à Caphtoræis ejectos fuiſſe, vel ſaltem in loca priſtinis ſedibus vicina, non verò illicò in remotiora illa

illa trans Euphratem, commigraſſe. Nec obſtat, quòd Avva cum Babel & Cutha, regionibus trans Euphratem ſitis, conjungitur 2. Reg. XVII. 24. unde concludit Bochartus & qui cum illo ſentiunt, ipſam quoque ibidem quæri debere. Non enim patet, eam ad loca antea memorata referri debere, cùm æquè commodè illis, quæ ſtatim ſequuntur, jungi queat, ſcil. Chamat & Sepharvajim. Imò hoc magis conveniens eſſe, inde manifeſtum eſt, quod aliàs non ſolùm Babel & Cutha, ſed & Chamat præmittitur. Ut in ipſo illo loco, quem præ manibus habemus: *Babylonii fecerunt Succoth Benoth, Cuthæi Nergal, CHAMATENSES ASIMA ET AVVÆI NIBCHAS.*

I V.

Quod ipſum non de nihilo eſt obſervaſſe, cùm nobis viam oſtendat ad Avvæorum ſedes propiùs determinandas.

חמת enim aut Chamat, ſeu ut quidam pronunciant Hamat, cujus toties in ſacris mentio fit, celeberrima Syriæ urbs eſt, quæ in hunc uſque diem ſuperſtes, apud omnes Orientis populos antiquum nomen obtinet, & inprimis apud Arabes حماة Chamat vocatur, de qua ita Abulfeda in *tabulis* مدينة اولية ولها ذكر في كتب الاسرائيليين وهي من انزه البلاد الشامية i. e. *Urbs antiqua eſt, quæ memoratur in libris Iſraëlitarum* (Sacrâ Scripturâ) *éſtque amœniſſima regionis Syriæ.* Hæc eſt illa urbs, cujus imperium obtinuit modo laudatus Ismaël Abulfeda, Princeps non dignitatis magis ſplendore, quàm eruditionis laude Illuſtriſſimus, qui tot egregiis ævúmque laturis ſcriptis, & inprimis optimæ notæ *tabulis Geographicis* nomen ſuum poſteritati commendavit, quæ idcircò hanc præferunt inſcriptionem: كتاب تقويم البلدان الملك المويد صاحب حماة *Liber Canonis Regionum, Regis fortis, Principis Chamatæ.* Idem urbis hujus ſitum ſummâ diligentiâ, ut teſtatur, exploratum ſtatuit, LX. 45. longit. & XXXIV. 65. latit. Plura tam de urbe hac, quàm de ipſo Principe Abulfeda vid. in eruditâ *Præfatione*, quam *Clariſſimus* Gagnierius ejus libro *de vitâ & rebus geſtis Mohammedis* præmiſit, ut & in

Celeb. ALB. SCHULTENS *Indice Geograph.* in. *vit. Saladini.* Hinc igitur

1. Meritò colligimus, quòd, cùm CHAMAT Syriæ urbi toties jungatur regio AVVÆORUM, eadem quoque vel in ipſâ Syriâ, vel in locis illi vicinis, quæri debeat. Agnovit id *Celeb.* VITRINGA, & Syriæ ipſi eam adſcripſit ad Jeſ. XXXVII. 14. ubi ad verba HENA & IVVA, ait: *Ex cognatis probabiliter judicamus fuiſſe urbes munitas Syriæ. Ivvæ mentio eſt ſub nomine Havva* עוא 2 *Reg.* XVII. 24. *&c.*

Accedit 2 teſtimonium JOSEPHI *Antiq.* lib. VIII. c. 2. diſertè ſcribentis *οἱ ἀπὸ τῶν Χαναναίων ἐν Λιβάνῳ διέτελλον ὄρει, καὶ μέχρι πόλεως Ἀμμάθης*, *Cananæorum reliquiæ Libanum montem uſque ad urbem Ammatha* (quæ eſt ipſa illa Chamat, de qua modo egimus) *incoluerunt.*

V.

3. Idem non parùm corroboratur, ſi ſtatuamus, AVVÆOS eoſdem eſſe cum חוים CHIVVÆIS. Quod licèt non placeat *Incomparabili* BOCHARTO *Geogr.* S. P. I. lib. IV. c. 36. & *Celeb.* RELANDO *Palæſtinæ* lib. I. c. XXVII. p. 140. à MASIO tamen & DRUSIO ad Joſ. XIII. 3. non ſine ratione affirmatur. Nam

א. Ex ipſo Sacro Cod. conſtat, AVVÆOS eaſdem cum CHIVVÆIS ſedes incoluiſſe. Monuimus enim ſupra §. 2. AVVÆOS habitaſſe, non ſolùm in locis maritimis, ſed & mediterraneis, quæ deinde tribui Benjamin ceſſerunt, eadem autem etiam incoluiſſe CHIVVÆOS, patet ex Joſ. IX. 7. ubi Gibeonitæ diſertè CHIVVÆI appellantur, Gibeon verò erat urbs tribus Benjamin Joſ. XVIII. 23. XXI. 17.

ב. Ipſæ quoque voces AVVÆI, vel ut ſcribi quoque poſſunt IVVÆI, quia AVVA & IVVA dicitur vid. ſupr. §. II. & CHIVVÆI unicâ tantùm literâ differunt, cùm prior per ע, poſterior per ח ſcribatur, quæ literæ cùm ſint ejuſdem organi, facillimè inter ſe permutantur. Docet id fuſiùs MOSES GERUNDENSIS & ex eo DRUS. ad Deut. II. 23. his verbis: *Hos* (AVÆOS) *cum Heveis confundit Moſes Gerundenſis, qui* חוים *dicuntur, ſcribens Chet & Ain ſibi mutuò cedere, & inter ſe permutari: Quod exemplis aliquot*

quot confirmat. Nam in Galilæa, inquit, vocant anguem עויא, *qui aliàs* חויא *nuncupatur; item Sapientes appellant ſerpentem, qui in ſpira jacet, aut caput ad caudam reflectit,* עכנא *&* חכנא. *Quanquam in eo* חנכא *ſcriptum. In Lex. Chald. Munſt. reperio* חכן *eo ſenſu. Dicit R. Levi, In Arabia dicunt* עתירה *pro* חתירה *Precatio. Ad hæc locus eſt, ubi* חיבא *&* עיבא *pro eodem, item* עוקים *&* חוקים. *Similiter Doctores noſtri conſueverunt dicere* הסיח הרעת *pro eo, quod* הסיע הרעת. *Sane in Talmud. Jeroſ. obvium* הסיעו, *& in Deuteroſ.* הסיע עצמו מלאכול. *Quin etiam interpretes* עושו *exponunt* חושו *Properate; & in Mechilta R. Joſias dicit, ne legito* פסחתי *ſed* פסעתי. *Nam Deus benedictus tranſiliebat domos filiorum Iſraël. Hucuſque Gerundenſis.* Eodem facit quod in dialecto arabicâ, Hebræorum ח etiam cum ع & contra ע cum خ aliquando permutatur, ut docuit *Clariſſ.* Schultens in *Clavi Dialect.* p. 235. & 269. Quod ſi Chivvæos à חויא *ſerpente*, appellatos fuiſſe ſtatuamus, quia Troglodytæ fuerint, & ſerpentum inſtar ſubierint cavernas, ut docet Bochart. P. I. lib. IV. c. 36. ex cujus ſententiâ idcircò etiam Cadmum cum uxore Hermione in ſerpentes mutatos fabuloſa finxit antiquitas, quod Hevæi aut Chivvæi eſſent, חויא autem Syris ſit *ſerpens*, vid. ibid. P. I. cap. 19. & cap. 23. & עויא quoque ſecundùm Mos. Gerund. idem ſignificaverit, facilè pateret, quâ ratione pro variâ dialecto idem populus חוים & עוים / Chivvæi & Avvæi aut Ivvæi appellari potuerit.

Sed ut ingenuè quod ſentio eloquar, nec ullo modo adoptatæ ſemel hypotheſi ſerviam, aliam utriuſque nominis originem eſſe exiſtimo. Si enim prius à חויא *ſerpens*, deſcenderet, non חוים, ſed חויים ſcribi deberet. Verùm حيّ apud Arabes *eſt congregatio domorum, aut vicinia degentium ſimul in loco aliquo muris non circumdato, aut vicus tiguriorum in orbem quaſi caſtra diſpoſitorum; ubi ſimul degunt præſertim, qui ejuſdem ſunt familiæ, qua ratione ſolent penè Arabum majores familiæ, ſingulæ ſingulos vicos conſtituere*, atque eo ſenſu non ſolùm apud Hebræos חיה uſurpatur 2 Sam. XXIII. 11. ſed & חוה Num. XXXII. 41.

וילכד את חותיהם *& cepit villas eorum*, conf. & Joſ. XIII. 30. vid. Lud. de Dieu *in Crit. Sacr.* ad Num. l. c. & Pocock. *not. ad Tograi Carm.* vſ. 17. & Bochart. *Geogr.* P. II. lib. I. cap. 24. & *Hieroz.* P. I. lib. II. cap. 44. Unde הוים commodiſſimè appellari poſſunt, quorum mos erat hac ratione in *pagis, muris deſtitutis*, cohabitare. Nihilominus tamen illud quoque confirmaret ſententiam, quam adſtruimus, Chivvæos & Avvæos eoſdem eſſe, nam & hæc cohabitandi ratio inter Avvæos vigebat, unde loc. jam cit. Deut. II. 32. eos deſcribi vidimus היושבים בחצרים *habitantes in villis, aut pagis.* Nominis autem Avvæorum infra §. XXIII. aliam, eámque, niſi me omnia fallunt, longè veriſſimam etymologiam dabo. Interim hîc ad noſtrum ſcopum ſufficiat, voces ſibi adeò propinquas, atque unicâ tantum literâ ח & ע diſcrepantes, quarum altera pro alterâ ſæpiſſimè, ut oſtenſum, ſubſtitui ſolet, facillimè permutari potuiſſe.

ג. Probè quoque attendendum, quòd licèt Avvæi, ut vidimus, ex priſcis Canaanis incolis fuerint, inter poſteros tamen Canaanis, populóſque, qui ab eo ortum traxerunt, non memorentur, Chivvæorum autem inter eosdem omninò fiat mentio Geneſ. X. 17. & 1 Chron. I. 15. cujus rei nulla idonea ratio dari poteſt, quàm quod utrumque eorundem nomen fuerit, unde eos uno appellaſſe ſufficiebat. Contra & illud non negligendum, tractu temporis Chivvæorum nomen ferè evanuiſſe, remanente altero Avvæorum, poſt Salomonis enim ætatem prius non memoratur amplius, quod vix iterum futurum fuiſſe videtur, niſi ejus loco alterum ejuſdem populi nomen uſu magis frequentari cœperit.

Quòd ſi & antiquitati ſua meritò conſtet auctoritas, cùm nihil eſt quod illi repugnat, eadem

ד. Sententiæ noſtræ novum pondus addet. Interpretes certè Alexandrinos nobiſcum Avvæos & Chivvæos pro iisdem habuiſſe, manifeſtum eſt, quia utroſque uno eodémque vocabulo Ἐυαίους appellant. v. Deut. II. 23. Joſ. XIII. 3. coll. Gen. X. 17. Exod. III. 8. Joſ. III. 10. IX. 1. ne jam de Judæis, qui In-

Interpretibus his longè recentiores ſunt, loquar, inter quos cæteroquin R. MOSES BAR NACHMAN ad Joſ. XIII. 3. & R. MOSES GERUNDENSIS in Deut. II. 23. idem ſentiunt.

Nec magni momenti ſunt, quæ in contrarium adferuntur, quáeque *Summus* BOCHARTUS his verbis complectitur *Geogr.* P. I. lib. IV. c. 36. *Cum Hevæis* חוים *Havvæos* העוים *video confundi paſſim, etiam ab Hebræis; quod mihi minùs probatur; nam neque nomen convenit, neque ſedes fuit eadem. Illi enim Hermonem, ut diximus, hi Palæſtinam incolebant Joſ. XIII.* 3. *unde à Caphthoræis pulſi Deut.* II. 24. Uti enim de nomine jam vidimus, illud mutato tantùm ח in ע idem eſſe, quam permutationem aliàs frequentiſſimam eſſe, ipſe BOCHARTUS agnoſcit, *Hieroz.* P. II. lib. IV. c. 27. confer & *Geogr.* S. P. I. lib. IV. cap. 17. & P. II. lib. I. c. 25. ita utriſque eaſdem fuiſſe ſedes, partim jam §. præced. oſtendimus, partim ex iis, quæ mox dicemus, magis manifeſtum evadet.

V I.

Ut autem omnia jam ad ſcopum noſtrum referamus, CHIVVÆORUM diffuſiſſima gens, non exiguis finibus circumſcripta fuit, neque enim tantùm *Gibeone* Joſ. IX. 7. & XI. 19. ſed & ulterius boream verſùs *Sichemis* habitavit Geneſ. XXXIV. 2. quin & ipſum *montem Libanum* aut *Hermonem* incoluit, imò inde per maritimas Syriæ & Phœniciæ oras ſe extendiſſe videtur. Quòd ad Libanum attinet aut Hermonem, qui Libani quædam pars, ut rectè docet *Celeb.* OTTIUS in *Annotat. in* JOSEPHUM, quas *Clariſſimus* HAVERKAMPIUS elegantiſſimæ optimi hujus Auctoris editioni, à ſe maximo rei litterariæ incremento curatæ, ſubjunxit, num. VII. unde & GABRIEL SIONITA & JOH. HESRONITA in tractatu *de nonnullis orientalium urbibus &c.* adjecto verſioni *Geogr. Nubienſ.* c. 4. ſcribunt: *Urbs hæc* (ſc. Damaſcus) *in amplâ ſita eſt planitie ad Libani, ibi Hermon dicti, radices*, ad hunc, inquam, montem & in eodem disertè illos collocant ſcriptores ſacri Joſ. XI. 3. והחוי תחת חרמון בארץ המצפה *Et* CHIVVÆUS *ſub* HERMONE *in terra Mitzpa*, &

& Jud. III. 3. וחוי יושב הר הלבנון מהר בעל חרמון עד יבוא חמת & Chivvæus *inhabitans* montem Libanon *à Baal Hermon, uſque quò itur Cbamatam* Quare rectiſſimè iterum Gabriel Sionita ejúſque ſocius Hesronita ibid. cap. 6. in deſcriptione montis Libani ait: *ad latus ejus habitabat Ammorrbæus, Pberezæus, Hetbæus & EVÆUS* &c. In regione autem maritimâ iiſdem ſedem tribuit Targum Hierosolym. Geneſ. X. 17. ubi vocem חוים reddit טרפוליאי *Tripolitanos.* Quod ſi jam ex dictis meritò hanc cogitationum noſtrarum ſummam fecimus, Avvæos cum Chivvæis eosdem eſſe, ultrò patet, illos quoque in Syriâ & Phœniciâ, ubi hos invenimus, quærendos eſſe.

V I I.

Verùm ut è diverticulo tandem in viam redeamus, quid 4.
opus eſt, id aliis argumentis adſtruere? cùm licèt tot ſeculorum tractu tótque rerum mutationibus, quæ in Oriente contigerunt, idem huic genti, quod multis aliis acciderit, ut ejus nomen ferè obliteratum ſit, non obſcura tamen ejuſdem veſtigia in illis regionibus ſuperſint. In *notitiâ dignit. Imper. Roman.* Sect. XXIII. inter alias Phœniciæ urbes recenſetur AVATHA, v. Reland. *Palæſt.* lib. I. c. 36. quin & in hunc uſque diem non longè ab urbe Beryto Sidonem verſus in montanis, vulgò *Caſervant* aut *Caſtrevant*, ſed rectiùs *Kesroan* appellatis, locus ſatis inclutus reperitur, quem intra ſeculi ſpatium adhuc ſeptem Druidum ſeu Druſorum Principes incoluerunt, ABEJE dictus, ut teſtatur optimæ notæ Periegetes Paulus Lucas, in *itineris per Aſiam minorem & Africam inſtituti relatione*, cap. XLIII. Quæ vox eadem ferè eſt cum noſtra עוים vel עוא. Vav enim in B mutari, aut per β pronunciari, notius eſt, quàm ut moneri mereatur. Eóque magis illud huc quadrat, quod ipſi Interpr. Græci ſuâ jam ætate vocem mox per υ mox per ι mox etiam per β ſcripſerunt, ſic 2 Reg. XVII. 24. עוא reddunt Ἀϊὰ vel uti in *Complut. edit.* legitur Αουάν, ſed capp. ſeqq. XVIII. 34. & XIX. 13. eandem vertunt Ἀβά.

Poſſem

Poſſem huc quoque referre pagum GIE dictum, qui horæ ſpatio Sidone diſtat, in viâ, quæ Berytum ducit, ubi ingens ille piſcis Jonam evomuiſſe dicitur, vid. THEVENOTH *Itinerar.* P. I. cap. LX. nam & in pronunciatione frequentiſſima eſt lit. ע in G. mutatio, ſic עזה, עמרה, רעואל, ſcribuntur Γάζα, Γομόῤῥα, Ραγουὴλ &c. v. BOCHART. *Geogr. S.* P. I. lib. II. cap. 22. *Hieroz.* P. I. lib. III. c. 24. & LÖSCHER. *de cauſ. ling. Ebr.* l. II. c. 1. §. 43. & maximè id apud Arabes obtinet, quibus ipſa litera ע cum puncto in vertice غ Gimel eſt. confer. BOCHART. *Geogr. S.* P. I. lib. II. cap. 8. & KROMAIER. *de uſu Ling. Arab.* lib. I. cap. I. & ejus quoque in ipſâ hac noſtrâ voce עוא exemplum exſtat, pro eâ enim Jeſ. XXXVII. 13. in quibusdam exemplaribus verſ. Græc. eſt Ἀβὰ, in aliis autem Γαυαὶ in aliis Γαυά. Inprimis autem tantò magis gaudeo, me in Phœniciâ & maxime quidem circa urbem *Berytum*, AVVÆI nominis quasdam reliquias deprehendiſſe, quò magis certus ſum in ejusdem urbis confiniis, ſedem propriè illius Idoli, quod AVVÆIS tribuitur, cultúsque eidem exhibiti fuiſſe. Quod ſi, ut ſpero, in ſequentibus demonſtratum dedero,

5. Novum inde, ídque longè firmiſſimum naſcetur argumentum, AVVÆOS in illis etiam regionibus habitaſſe.

VIII.

Quod dum affirmamus, non tamen inficiari volumus, & in ulterioribus Orientis locis AVVÆOS inventos fuiſſe. Id enim frequens eorum cum incolis *Sepharvajim* conjunctio exigit, ut hoc ipſo loco, quem explicamus, & 2 Reg. XVIII. 34. XIX. 13. & Jeſ. XXXVII. 13.

Etſi enim inde colligit *Cel.* VITRINGA *Sepharvajim* quoque in *Syriâ* quæri debere, vix tamen id veroſimile videtur, cùm non ſolùm, nullus hactenus locus in Syriâ obſervatus ſit, qui illud vel aliquod ſaltem illi affine nomen gerat, ſed & ejusdem ulterius Orientem verſus ſatis certa exſtet memoria. BEROSUS enim, ABYDENUS & POLYHISTOR, XISUTHRUM vel SISUTHRUM ex Aſſyriâ volunt in Armeniam navigaſſe, publicis inſtrumentis Heliopoli depoſitis in SIPPARIS, teſte EUSEB. *Gr. Chron.* lib. I. PTOLEMÆUS inter alia Meſopotamiæ oppida Σιπφάρα, SIPPHARA

memorat, ſitum ad *Euphratem* in orâ *Babylonis* inter *Nardem* & *Seleuciam*, quod Abydeno Σιππαρηνῶν πόλις, *Urbs Sipparenorum* apud Euseb. *Præpar. Evang.* lib. IX. c. 41. v. Boch. *Geogr.* S. P. I. lib. I. cap. 4. & Cellar. *Geogr.* T. II. lib. III. c. 15. p. 719. Dein à Ptolemæo in tabb. Urbium Inſignium, in regione Ariâ collocatur urbs Σιφαρή Siphare, quæ videtur eadem eſſe cum اسفرايين *Eſpharajin*, quam Nasir Etusæus in *Tabula Geogr.* edit. *Hudſonian.* p. 108. in regione *Choraſan* recenſet. Quæ vox, ſi tantùm literam ا quam Arabes vocibus præmittere ſolent, demas, ferè eadem eſt cum ספרוים Sepharvajim. Verùm quamcunque etiam harum urbium pro *Sepharvajim*, cujus Sacer codex mentionem facit, habeas, ſaltem ejus cum Avva conjunctio flagitat, ut & hanc magis Orientem verſus quæramus.

Quod tamen nollem cum Sansone in *Ind. Geogr.* ad vocem Ana, facere in urbe عبادان *Abbadan*, ſitâ ad oſtium Euphratis, ubi ſe in ſinum Perſicum exonerat, nimium enim hujus vocis literæ ab עוא Avva diſcrepant, ſed longè certiora ejus veſtigia deprehendere licèt in finibus Armeniæ atque Aſſyriæ. Eſt enim illic mons aut potiùs tractus montanus Gordyæis montibus vicinus, & à quibuſdam pro quadam horum parte habitus, ex quo Euphratem ſcaturire multi credunt, Straboni Ἄβος, *Abus* dictus lib. XI. pag. *edit: Almelov.* 799. & 803. Idem Plinio vocatur ABA, *Hiſt. Nat.* lib. V. cap. 25. *Euphrates*, ait, *oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex iis, qui proximè viderunt, Domitius Corbulo in monte ABA* &c. quæ vox eadem planè eſt cum illâ, quâ Interpretes Alexandrini pro hebræâ עוא aliquoties utuntur, dum eam 2 Reg. XVIII. 34. XIX. 13. & ſecundùm quorundam exemplarium lectionem Jeſ. XXXVII. 13. reddunt Ἀβά. Imò huc quoque non immeritò refertur locus Ava dictus, qui propiùs cum hebræo עוא convenit, de quo Tavernier. in *Itin. Perſ.* lib. III. cap. 13. ex monumentis Geographorum Perſarum præcipuarum urbium ſitum ordine alphabetico pandens, ſcribit: *AVA eſt à 75 degrer* 10 *minutes de longitude & à 34 degrer* 40 *minutes de latitude. Ce n'eſt qu'une fort petite place.* Quòd ſi,

ſi, ut ſupra evincere conati ſumus, עוים Avvæi & חוים Chivvæi iidem ſint, inde quoque idem novam lucem accipiet. In Armeniæ enim regionibus Ebn Edris diſertè urbem חוי حوي Chava, aut ſecundùm molliorem literæ ح pronunciationem Hava numerat Part. VI. Clim. IV. ſcribens: وفيه من البلاد الارمينية وبربد وبرذعة وحنزة وسلماس وحوي i. e. ex verſione Sionit. & Hesron. p. 199. *Cæterùm de regionibus Armeniæ ſunt Nariz* (in Arab. eſt *Barbad*) *Bardaa*, *Gianza*, *Salamas & Hava.* In his autem regionibus Ava rectè collocari, vel inde quoque patet, quod uti 2 Reg. XIX. 13. & Jeſ. XXXVII. 13. conjunguntur הנע & עוא, id eſt, ut Interpret. Græci reddunt Ἀνὰ & Ἀβά, Ana & Aba, ita quoque Ana, unde notiſſima illa *Dea Anaitis* nomen accepit, eſt urbs & regio Armeniæ non longè ab Aba diſſita, unde Plin. loc. cit. Euphratis curſum porrò deſcribens, mox ſubjungit: *Fluit Derxenen primum mox ANA etiam* (vel ut alii legunt Anaiticam) *Armeniæ regiones à Cappadociâ excludens.* Atque hæc eadem urbs eſt, quam Nassir Etusæus & Ulug Beigius Meſopotamiæ annumerantes, & ſub *grad.* 76. *long. &* 4. *latit.* collocantes ſcribunt عانه *Anab*, ut patet ex iiſdem iterum literis, quibus הנע conſtat, illo tantùm diſcrimine, quòd in voce Arabicâ ordine inverſo, ſeu retrò legantur, quod & in aliis quàm plurimis vocabulis & præcipuè in linguâ Æthiopicâ obtinet. v. Bochart. *Hieroz.* P. I. lib. III. c. 2.

IX.

Ne tamen alicui mirum videatur, quod Avvæis, quos modo in Syriâ & Phœniciâ inveſtigavimus, nunc etiam in confiniis Armeniæ & Meſopotamiæ ſedem tribuamus, obſervari velim.

1. Quod Avvæi cùm à Caphthoræis vel deinceps quoque eorum reliquiæ ab Iſraëlitis Canaane pellerentur, ſéque in proxima Syriæ & Phœniciæ loca reciperent, eorum nonnulli ulterius inde orientem verſus in Armeniam & Meſopotamiam, quæ utraque Syriæ vicina, facillimè pergere potuerint. Vel

2. Quod ſequentibus temporibus cum Syria & Phœnicia ſæpius

pius graviſſimis motibus concuterentur, ſive omnes, ſive potiùs quidam eorum eodem ſecedere aut deportari potuerint.

X.

Et ſanè ubicunque etiam primum habitaverint, & utcunque ex uno loco in alium pervenerint, ejuſdem tamen gentis illos Syriæ Phœniciáeque, de quibus egimus, incolas, cum his Armeniæ atque Meſopotamiæ eſſe, præter illa argumenta, quæ attulimus, illud veroſimile reddit, quòd hi eadem cum illis linguâ, Syriacâ nempe, utantur, ut docet Pocock. *hiſt. Arab.* p 360. &, licèt ceteroquin ſibi hodiè mutuò admodum infenſi ſint, tamen eadem Sacra celebrent, imò illi, qui cùm maximè plerumque *Druſi* appellantur, etiam communi cum his *Curdorum* nomine veniant. vid. Thom. Hyd. in *Appendice libri de Religione Vett. Perſarum* p. 494. & 554.

Quod ſi quis nihilominus Curdos Armeniæ & Meſopotamiæ potiùs, cum *Celeb.* Golio, in *not. ad Alfergan. element. Aſtronom.* pag. 17. pro Chaldaicæ gentis reliquiis habeat, & الكراد *Curdos* pro الكسدانيون *Caſdim*, i. e. *Chaldæos* dictos exiſtimet, ne & illi aliquid in noſtrâ ſententiâ difficultatis maneat reliquum, obſervandum, quòd ſi vel maximè nulla inter illos cognatio interceſſerit, ſed diverſiſſimæ originis fuerint, utrique tamen, ob eundem, quem eidem idolo exhibuerunt, cultum, rectiſſimè *Avvæi* dici potuerint, ut ex iis, quæ infra §. XXIII. de hujus nominis etymo & ſignificatione dicemus, indubium evadet. Nam idem planè idolum, quod in illis Syriæ & Phœniciæ locis ſub nomine Nibchas cultum, & Curdos illos divino honore proſequutos eſſe propiùs jam oſtendemus.

X I.

Ad idolùm hoc quod attinet, in eo Judæi minùs hærent, quàm Chriſtiani. Omnes enim ferè eorum Doctores uno ore adfirmant, illud figuram Canis habuiſſe, qui certis temporibus valido latratu auras implere conſueverit, vid. Kircher. *Oedip. Ægypt.* I. 370. Subjiciam hic tibi, B. L. omnia loca, quæ vel ab aliis jam adducta, vel à me ipſo demum obſervata ſunt, ut uno quaſi

obtutu

Digitized by Google

obtutu perſpicere queas, quam ſuaviter hac in parte conſpirent. In TALMUDE HIEROSOL. AVOD. SARA cap. III. fol. 42. b. explicant voces נבחז ותרתק NIBCHAS & TARTACK per כלבא וחמרא *CANEM* & *Aſinum*. In TALMUD. BABYLON. SANHEDR. fol. 63. 2. & in ejuſdem EXCERPT. עין יעקב fol. 113. 2. legitur: העוים עשו את נבחן ואת תרתק ומאי ניהו כלב וחמור i. e. *Avvæi fecerunt* NIBCHAN (ita enim vox à nonnullis ſcribitur, ut ſtatim dicemus) *& Tartack. Quænam autem hæc ſunt* (idola) *vel quænam horum verborum eſt ſignificatio? CANIS & Aſinus.* R. S. J. ad 2. Reg. XVII. נבחז דמות כלב NIBCHAS *eſt imago* CANIS, quæ verba quoque leguntur apud ABENDAN. in *Michlol Jophi* ad h. l. Ibidem R. D. K. נבחז הוא כלב NIBCHAS *eſt* CANIS, ut & R. SAMUEL ELIESER ad עין יעקב loc. cit. In verſione Judæo-Germanica verba ſacri Cod. vertuntur: *Und die* (*Avvim*) *haben gemacht* (נבחז) EIN HUND. De *Cane* verò *latrante* ſigillatim loquitur R. S. J. *in not. ad Sanhedr.* l. c. נבחן כלב נובח *Nibchan eſt CANIS LATRANS.* Omnium autem clariſſimè ABARBANEL *in prophetas priores ad Lib. Regum* fol. 62. a. והעוים עשו נבחז שהוא הכלב שנובח בעזות *Et Avvæi fecerunt Nibchan, quo innuitur CANIS ILLE QUI FORTITER LATRAT.*

XII.

Verùm unanimis ille Judæorum conſenſus Chriſtianos in aſſenſum pertrahere minimè potuit.

Nonnulli qui in eos æquiores ſunt, hanc tantùm illorum ſententiam recenſent, nec determinare tamen quicquam certi audent. Ita BOCHART. *Hieroz.* P. I. lib. II. c. 55. *Sed & à latratu dictus eſt Avæorum Deus* נבחז NIBCHAS 2. *Reg.* 17. *vſ.* 13. *ſi verè habuit latrantis Canis effigiem; ut aſſerunt* JARCHIUS *&* KIMCHIUS *poſt Talmudicos* &c. Vide quoque SELDEN. *de Diis Syris* Syntagm. II. c. 9. & BEYER. in *additam.* ut & LEUSDEN. loc. ſupr. cit.

Alii verò ita loquuntur, ut parum Judæis hac in re ſe fidere prodant: *neque enim*, ait S. Rev. Epiſc. PATRICIUS, *Judæis credi poteſt, dicentibus*, NIBHA *figuram* CANIS, TARTACK ASINI habuiſſe, dum adhuc alii hanc ob cauſam Judæorum Magiſtris ingentem nugacitatis, & iniqui in Samaritanos animi, imò cavillationis dicam ſcribunt. Inter quos præcipuè eminet PETR. JURIEU in *hiſtoire des Dogmes & des Cult. de l'egliſe* P. IV. cap. 8. p. 653. poſtquam enim illorum ſententiam recenſuiſſet, acerbam hanc ſubjungit ἐπίκρισιν: *Mais ces ſont de pures viſions des Rabbins, ou plûtôt des malignes calomnies des Juifs, inventées par la haine qu'ils avoient contre les Samaritains. Ces Samaritains contra lesquels les Juifs conſervent encore aujourd' hui une haine immortelle, etoient décendu de ces Peuples, que Salmanaſſar avoient transporter en Samarie. Pour rendre les enfans odieux, ils ont voulu exaggerer, l'idololatrie des Peres, & les rendre execrables & ridicules, par les vils animaux, qu'ils leur imputoient d'avois adoré. Car ſi on examine quel eſt le fondement de ces opinions des Juifs, on verra qu'il n'y en a aucun, ou que cela n'eſt fondé que ſur des fauſſes etymologies. Par exemple —— Nibekas, c'eſt un chien abboyant avec vehemence, à cauſe que* נבח *ſignifie abboyer. Ces ſont la des impertinences, qui ne ſont pas dignes d'être refutées* &c.

XIII.

Poſtquam autem tam falsè perſtrinxiſſet hanc ſententiam, aliam quidem cap. ſeq. IX. ſubſtituit, verùm an meliorem æquus Lector judicet. Scilicet exiſtimat per hunc, æquè ac per omnes ferè reliquos Deaſtros Chaldæorum & Perſarum, SOLEM intelligi, & cùm KIMCHIUS obſervet ad 2. Reg. XVII. quosdam נבחן *Nibchan* legere, arbitratur vocem deduci poſſe à בחן atque adeò EXPLORATOREM, PERSCRUTATOREM, indigitare, quod nomen SOLI non malè conveniat. Verùm, ne jam de incerta hac vocis lectione loquar, quàm frivola quæſo hæc etymologia eſt? ea enim ſi procedat, quot dantur in mundo res, quibus illud nomen applicari queat? imò ſi quis vellet eadem ratione pro ſententiâ Judæorum frigidè φιλολογεῖν, annon

Digitized by Google

non meritò eodem jure concludere poſſet? epitheton EXPLORATORIS, aut PERSCRUTATORIS optimè in CANEM quadrat, utpote cujus in venatu ad explorandas feras præcipuus uſus eſt, ergo נבחן *Canis* eſt. At non multis ſeſe probaturam hanc interpretationem ipſe ejus Auctor agnoviſſe videtur, dum in eâ acquieſcere non potuit, ſed aliam, quæ ei magis arriſit, ſubnectit. Quia enim פחז Hebræis ſignificet *rapidum*, & פחז Chaldæis *ſaltare*, *currere*, *feſtinare*, inde vult formari נפחז, idque omninò idem cum נבחז eſſe, B enim & P in omnibus linguis facilè permutari, ut adeò vox hæc ſignificet *rapidum*, *feſtinantem*, *ſubſilientem*, quod unum ex nominibus SOLIS ſit. Sed ne jam dicam, nullam adferri poſſe rationem, cur cùm Hebræis æquè ac Chaldæis illâ ſignificatione פחז non per ב, ſed per פ ſcribatur, & cùm בחז per ב contrà, nec in his, nec in ullâ aliâ linguâ Orientali, quantum conſtat, uſurpetur, vox derivata tamen potius per ב, quàm per פ ſcripta ſit: ne dicam, vel ſic vocabulum æquè commode de CANE explicari poſſe, cùm & ejus præcipuè ſit *ſubſilire*, *currere*, *feſtinare*, unde & *Canis feſtinans* in Proverbium abiit, illud unum tantùm obſervari velim, quod non hîc ſit ſermo de Numine aliquo in hoc idolo culto, ſed de Idolo ipſo ejusque figurâ. Dicuntur enim AVVÆI NIBCHAS feciſſe & collocaſſe in delubro aut Pantheo Samaritanorum, ut adeò ſi vel maximè per Idolum hoc *ſol* repræſentatus fuiſſet, quod tamen nullo argumento conſtat, nihilominus non ipſe Sol, ſed potiùs ſignum illud, NIBCHAS appellatum fuerit, ſempérque adhuc quæſtio maneat reliqua, quâ igitur figurâ Sol ſub hoc nomine cultus ſit.

XIV.

Ad nos itaque quod attinet, uti non ex illorum numero ſumus, qui coecam Judæorum interpretationibus fidem adhibent, ita nec cum illis facimus, qui quàm primùm quid à Judæis adſeritur, illicò vel hanc ſolam ob cauſam illud exagitandum atque repudiandum cenſent. Neque enim video, cur in rebus Domeſticis, quas omninò ſcire potuerunt, & malè narrando depravandi, nullas cauſas habuerunt, minorem fidem, quàm Men-

mendax Græcia, aut alia quæcunque gens, mereantur. Interim tamen non admodum mirum eſt, ſolo eorum aſſerto Viros Doctos niti noluiſſe, quamdiu nulla cultûs Canini veſtigia inter Orientis populos detexerunt, nec Judæi ipſi ſententiam ſuam propiùs explicarunt, aut explicare forſan etiam potuerunt. Verùm poſtquam in ea tandem incidimus, quæ ab illis dicta non ſolùm abundè confirmant, ſed & cultûs hujus rationem clariùs pandunt, nulli jam dubitamus, nec cordatum Lectorem amplius dubitaturum credimus, omninò Idolum hoc ſub figurâ Canis, & quidem latrantis cultum fuiſſe. Id enim

X V.

1. Optimè convenit vocis etymo, cùm נבח ut notum eſt, *latrare* denotet, & ſigillatim de *Canibus* uſurpetur, cujus exemplum Jeſ. LVI. 10. כלם כלבים אלמים לא יוכלו לנבח *Omnes illi Canes muti ſunt, non poſſunt latrare*, unde Kimchius in *Radic.* ad hunc locum Jesaiæ provocans, ait: צעקת הכלבים תקרא נביחה *clamor canum appellatur* נביחה (*latratus*) & Ganzius in *Tzemach David* נבח צעק הכלב explicátque per *latrare*, *abbajare*. Nec minùs eadem vocis ſignificatio ferè in omnibus reliquis linguis Orientalibus, ut Chald. Syr. Æthiop. Arab. & apud Rabbinos paſſim obvia eſt, conf. Bochart. *Hieroz.* P. I. lib. II. cap. 55. Nec obſtat quod Nibchas in fine ז habet. Multi enim per Nun finale נבחן ſcribunt, ut R. D. K. monuit, conf. Sanhedr. loc. ſup. cit. & R. Samuel Elies. ad עין יעקב loc. cit. Quam lectionem ſi quis admittat, regulariter נבחן à נבח deſcendet, ut ex vocibus כִּבְשָׁן *fornax*, בִּיתָן *palatium*, בִּנְיָן *ædificium*, & præcipuè ex nominibus propriis בִּגְתָן בִּלְשָׁן בִּלְהָן זִמְרָן יָקְשָׁן & iſtiusmodi centenis aliis, patet. Nec ab hac lectione admodum alienus eſſem, modo Codd. Mſc. auctoritate confirmaretur, cùm ſcribatur irregulariter per ז majuſculum נבחז, quod figuram נ finalis habet, unde facillimè evenire potuiſſet, ut illud ן ab aliquo amanuenſium pro ז acciperetur. Sed quoniam tamen recepta lectio ז agnoſcit, & ipſa Maſora diſertè notat נבחז זיין רבתי *Vox Nibchas habet Zajin* ma-

majuſculum, vid. quoque R. SAMUEL ELIESER loco modo adducto, lectionem hanc retinere malo. Nihilominus autem à themate נבח commodè deduci poteſt. Cum verò vox quatuor literis radicalibus conſtet, ſimplex eſſe nequit, unde KIMCHIUS ad 2 Reg. XVII. eam compoſitam eſſe exiſtimat ex נבח *latrare* & חז à חזה *videre*, quia canis quando latrat, dentes conſpiciendos præbet: והיא מלה כורכבת נובח חז נובח מן לא יוכלו לנבח חז לשון מראה שמראה שניו i. e. *& hæc eſt vox compoſita*, (ex) נובח *nobeach* (&) חז *chas*, (ex) נובח quod *Nabach ſignificat latrare* (ſecundùm Jeſ. 56. 10.) *non poſſunt latrare*, *Chas verò denotat videndum præbens*, *quia conſpiciendos præbet dentes ſuos*. Sed coacta nimis & violenta eſt hæc interpretatio, & ſi ex duabus vocibus compoſitam crederem, potiùs deducerem à נבח & חז, quatenus hoc ex Arabiſmo *vehementiam* innuit, ut adeò ſignificet Canem *vehementer latrantem*. Neque tamen opus eſt, ut ex duabus integris vocibus conflatam ſtatuamus, cùm nihil certiùs ſit, quàm ipſas literas apud Hebræos eſſe ſignificativas, & dum vocabulo cuidam adduntur, ſemper novam quandam ſignificationem inferre, & priori vel aliquid addere, vel eandem intendere, aut propiùs determinare, aut reſtringere &c. ut in vocabulis omnibus triliteris, quæ vulgò pro radicibus habentur, cùm tamen radices propriè duabus tantùm conſtent, ad oculum patet, & pluribus eruditiſſimè oſtenſum eſt à Celeb. NEUMANNO in *Geneſi Linguæ Sanctæ*. Quam *hypotheſin* meritò LOESCHERUS in *Cauſ. Ling Heb* lib. I. cap. 10. *ingenioſiſſimam vocat*, *& potiſſimo inter noſtri ſeculi inventa loco, ponendam pronunciat*, *cùm dici non poſſit*, *quantam lucem robúrque linguæ diviniori conferat*. *quàm egregiè cognationes vocum demonſtret*. *amiſſas reſtituat radices*, *rarius occurrentes dictiones*, *quæ imperveſtigabiles hactenus viſæ*, *explanet*, *quantúmque proſit ſedulis fontium ſcrutatoribus*.

XVI.

Ex uſu autem literæ ז præcipuè in compoſitionibus patet, eam innuere, ut rectè NEUMANNUS aſſerit, *protruſionem antrorſum & vehementius factam*, ſeu ut LOESCHERUS lib. II. cap. 2.

Digitized by Google

§. 14. ait: *Motum penetrantem & violentum.* Hinc igitur in fine NIBCHAS ז habet ad indicandum, *Canem vehementer, validè aut motu violento latrantem*, confer interpretationem, quam modò §. XI. ex RASCHIO & ABARBANELE attulimus. Ad eorum, quæ diximus, ulteriorem illuſtrationem facit, quòd ejusdem thematis & in aliis ſimilibus vocibus non obſcura veſtigia exſtant, ſic à verbo נבח non ſolùm NUBIA nomen accepit, *quia Nubarum pars Ptoëmphane (Ptolemæo Πτοεμφανεῖς) canem pro Rege habuerunt, motu ejus imperia augurantes*, ſecundùm PLINIUM lib. 6. cap. 30. ut docet BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. lib. II. cap. 54, ſed & notiſſimus ille Ægyptiorum ANUBIS, ut idem ibid. & cap. 56. oſtendit. Imò forſan non planè fruſtra erimus, ſi ipſam vocem NIBCHAS in voce ANUBIS quæremus, obſervato enim, quòd littera gutturalis ח plerumque in pronunciatione negligi ſoleat, ut in חנניה חסידים יוחנן נחשון תרח. quæ pronunciantur Ἀνανίας, Ἀσιδαῖοι, Ἰωάννης, Ναασσὼν, Θάῤῥα, vocales autem promiſcuè pro cujuſque linguæ genio mutari, præpoſito tantùm articulo ה aut Arabum more אל vel אן הנבחז vel النبحز aut انبحز ipſiſſima vox *Anubis* erit: nec opus eſt, ut ultima litera pro nudâ terminatione habeatur. Quod eò magis huc facit, quia uti ANUBIS & NIBCHAS, uterque à *Latratu* nomen gerunt, ita & illius perpetuum apud Poëtas eſt epitheton, ut *Latrans* aut *Latrator* appelletur. Sic PROPERTIUS Lib. III. Eleg. IX. vſ. 41.

Auſa Jovi noſtro LATRANTEM opponere ANUBIN.

& VIRG. *Æneid.* VIII. vſ 698.

Omnigenûmque Deûm monſtra & LATRATOR ANUBIS.

ubi vid. hanc in rem plura apud CERDAM in not.

XVII.

2. Uti autem nominis etymon & ſignificatio ſatis quadrant, ita & res ipſa non minus convenit. Inter animalia enim illa, quæ aut quorum imagines ſuperſtitioſa coluit antiquitas,

non ultimum locum obtinuiſſe CANES, omni dubio caret. De ÆGYPTIIS res notiſſima eſt, de quibus JOSEPHUS lib. II. contra APIONEM *Ægyptium*, ait: *Hæc igitur Apion reſpicere debuit, niſi cor Aſini ipſe potius habuiſſet, & impudentiam Canis, qui apud ipſos aſſolet coli.*

Imò cùm animalia nonnulla in his tantum aut illis locis divino honore afficerentur, CANUM contra veneratio univerſæ Ægypto communis erat, ut docet STRABO lib. XVII. edit. ALMELOV. pag. 1166. Τινὰ μὲν γὰρ τῶν ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Ἀιγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον. *Animalium quidem nonnulla omnes ſimul Ægyptii colunt, ut ex terreſtribus tria hæc, bovem, CANEM, felem.* Unde hanc eorum inſaniam falsè ridet JUVENALIS notiſſimo illo verſu Sat. XIV. vſ. 8.

Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.

Nec vivos tantum CANES honore proſequebantur, aut mortuos lugebant, v. HEROD. in *Euterpe* & DIOD. SIC. Lib. II. ſed & canum imagines veneratos eſſe, quis eſt qui ignoret? Dum ANUBIM, ſub cujus nomine MERCURIUM latere volunt, modo *integri Canis*, modo *Viri capite Canino* inſtructi, effigie repræſentabant, aut eidem inſuper caduceum in manum dabant, qualem ſtatuam nonnullis *Hermanubis* nomine appellatam, his verbis deridendam propinat APULEJ de *Aſin Aur*. Lib. XI. *Ille ſuperûm commeator & Inferûm, nunc atrâ, nunc aureâ facie ſublimis, attollens canis cervices arduas, lævâ caduceum gerens, dextrâ palmam virentem quatiens.* v. PIER. VALER. *Hierogl.* Lib. V. c. 12. & SPONII *Miſcellan. Erud. Antiq.* Sect. I. Art. IV. & JANUM JACOBUM BOISSARDUM Part. VI. Ant. Rom. p. 78. qui *Anubim* cum *canino capite*, & univerſo apparatu myſtico ex elegantiſſimo marmore exhibet. De Ægyptiorum verò cultu Canino generatim conſule BOCHART. *Hieroz.* P. I. lib. II. cap. 56. Voss. de *Idolol.* Lib. I. cap. 28. & lib. III. c. 74. OUZEL. ad *Minut. Fel. Octavium* p. 162. ſeqq. *Ampliſſ.* CUPERUM in *Harpocrat.* pag. 66. ſeq. nec non SPENCERUM *de Leg. Ritual.* Lib. II. Cap. XXXVI. Sect. II.

Uti autem de Ægyptiis illud concedit Jurieu l. c. ita contrà de aliis populis & præcipuè Orientalibus idem negat, atque hoc potiſſimum imò unicum argumentum eſt, cur Nibchas caninâ effigie cultum fuiſſe, ſibi perſuadere nequeat, ut ipſemet teſtatur: *Mais je doute que cette ſuperſtition ſoit jamais paſſée du Midi dans l'Orient. Toutes les autres nations avoient en Abomination cette monſtrueuſe Idololatrie des Egyptiens,*

Quis neſcit Voluſi Bithynice qualia demens
Ægyptus portenta colat?

C'eſt pourquoy le culte, qui a eté rendu au Chien dans l'Egypte, ne peut en facon du monde rendre vraiſemblable la conjecture des Juifs. Cum quo idem ſentit *Celeb.* Buddeus loco adducto pag. 660. *Sed an ad alias gentes monſtroſa iſta idololatria tranſierit, incertum, imò vix credibile.*

Verùm ad nos quod attinet, tantum abeſt, ut illud incertum aut ſupra fidem exiſtimemus, ut contrà nihil magis certum atque exploratum eſſe cenſeamus.

XVIII.

Quia autem inſitum multorum animis præjudicium, ac ſi Canes omnibus reliquis populis, præter Ægyptios, præſertim Orientalibus, abominationi fuerint, eos à ſententiâ quam adſtruimus, non parùm alienos reddidit, verbo illud eximendum erit.

Sciendum itaque Canes plurimis quidem Orientis populis, æquè ut quondam Judæis, animalia impura ſemper fuiſſe & etiamnum eſſe, quapropter eorum contactum ſollicitè fugiunt, & de nocte illos extra loca habitata abigunt, unde denſo agmine urbes pagóſque circumire, & horrendo per umbras ululatu, præſertim urgente nonnunquam fame, auras implere ſolent. Ad quem morem reſpicit, & ex eo illuſtrari debet *Pſaltes* Pſ. LIX. vſ. 7. & 15, 16. ישובו לערב יהמו ככלב ויסובבו עיר: המה יניעון לאכל אם לא ישבעו וילינו: *Revertentur veſpere, ſtrepent ſicut canis, & circumibunt urbem, diſcurrent ipſi ad comedendum, ſi ſatiati non ſint, & pernoctabunt.* Minùs rectè

tamen

tamen inde concluditur, eosdem illis abominationi eſſe, quin contrà eos maximo in pretio habent, ſedulò curant & enutriunt, imò nonnunquam cibos argento emptos, ſingulari ut putant pietatis exercitio, illis apponunt, nec facilè impunè feret, aut pœnam à magiſtratibus infligendam effugiet, qui temerè canem læſerit, ut fusè docet, harum rerum peritiſſimus Periegetes La Rocque in *Itinerar. in Palæſtin.* cap. VIII.

Apud Arabes ſolebant Principes latratu Canum determinare ſpatium, quod ſibi proprium eſſe volebant, & ubi alteri pecora paſcere non liceret, ut ex Ebnôl Athir docet Pocock. in not. *ad* Abul Faraji *Specim. hiſtor. Arabum.* p. 82. كان الشريف في الجاهلية اذا نزل ارضا في حبة استعوي كلبا فحمي مدي عواء الكلب لا يشركه فيه غيره وهو يشارك القوم في ساير ما يرعون فيه: i. e. *Mos erat temporibus ignorantiæ* (ita appellant Arabes tempus ante Muhammedaniſmum, cùm adhuc dediti eſſent Idololatriæ gentium, confer phraſin Apoſtoli Act. XVII. 30. Τοὺς μὲν χρόνους τοῦς ἀγνίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς) *ut cùm Princeps ſedem apud tribum aliquam figeret, canem ad latrandum compelleret, & totum illud terræ ſpatium, quo audiri poſſet latratus canis, ſibi proprium eſſe juberet, nec alii cuipiam permiſſum, cùm ipſius interim gregibus, quæcunque eſſent populo paſcua liberè pervagari liceret.*

De Gauris antiquiſſimorum Perſidis incolarum reliquiis ex Tavernierii *Itinerario* narrat, Vir inter Principes Philologos, quos unquam orbis vidit, ſuo merito numerandus, Th. Hyde in reconditæ eruditionis libro de *Religione Vett. Perſarum* cap. XXXV. p. 540. & ſeqq. *Eos ad quemvis moribundum adducere Caniculam, quam ſuper ejus pectus collocant: & dum ultimum halitum exſpiraturus eſt, eos morientis ori applicare os Caniculæ, interim efficientes, ut eo modo ſe habens latret bis, ita ut moribundi anima intret in Canem, qui eam tradat in manum angeli eandem accepturi. Eos quemvis mortuum Canem extra urbem portare, & pro eo cadavere Deum precari, quaſi beſtia per illorum preces beneficium acciperet poſt mortem. —— Eos cum admiratione amare Vaccas & Boves & Canes.* Idem p. 99. *Canis habetur animal quodammodo ſacrum: ideóque inter Zoroaſtris præcepta jubetur cha-*

ritas erga Canes, eóſque paſcere. & p. 542. ſeqq notat Henr. Lordium, qui Canem Perſis abominationi eſſe exiſtimat, his verbis: *Quod autem dicit, Canem eſſe Perſis exoſum, eſt planè falſum, cùm Canem multum æſtiment, & cujusvis animalis cadaver & oſſa mortua odio habent, ut res immundas.* Quæ ut hoc in tranſitu moneam, iterum Scripturæ Sacræ lucem affundunt, eadem enim ratione cum Judæis comparatum erat, quibus *Canes vivi* in pretio erant, unde Salomon Eccleſ. IX. 4. aſſerit: *Canem vivum præſtare Leone mortuo*, contrà autem mortui iiſdem erant abominationi, unde *Canis mortuus* in proverbium abiit de homine vili aut abominatione digno. 1. Sam. XXIV. 15. & 2. Sam. IX. 8. & XVI. 9. Plura de hoc argumento vid. apud eundem Hyde in *contentis Capitum*, quæ libro laudato præmiſit, c. XXXV.

Quanti Canes fecerit Cyrus, imò ipſi Romani, docet Pierius Valerianus *Hieroglyph.* Lib. V. cap. 31. *Sanè aliæ quoque nationes quanti id animal facerent, multis exemplis teſtatum reliquere. Et Cyrum prædicant, Cyrum illum, inquam, omni laude majorem, à cane nutritum ſuorum omnium aſſeveratione, ſive ſtudioſè confiсta fabula fuerit, quo venerabilior haberetur. Quippe apud Romanos etiam in magno fuere cultu, licèt à Capitolii proditione eos in crucem rapere ſit cœptum. Annuo enim ſupplicio inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furcas arbores Sambucea figebantur, quod eorum negligentiâ jactura ea facta videretur. Alioqui genito mane Catulo, res divina hoſtiarum vice fieri ſolita* (vel ut rectius hæc verba ex Plin. Lib. XXIX. cap. 4. deſumpta, leguntur, *Genitæ Manæ catulo* &c. vid. Bochart. *Hieroz.* P. I. Lib. II. cap. 56. col. 692.) *adeò puros eos ad cibum exiſtimabant, adeóque Numinibus placandis idoneos, fuiſſéque olim celebriores epulas catulinâ appoſitâ, noſtrorum Scriptorum teſtimonio ſatis exploratum, & apud Plautum etiam factam hujus rei mentionem invenias*, Saturione.

X I X.

In Sacris quoque apud varios populos multiplex Canum uſus fuit. *Dianæ, Marti, Minervæ*, aliíſque Diis ſacri erant, & in eorum

eorum templis alebantur. v. ÆLIAN. *Hiſt. Anim.* Lib. XI. c. 5. & 20. BEGER. *Theſ. Brand.* Vol. I. p. 360. & SAUBERT. de *Sacriſ.* c. XIV. Nonnullis in Sacrificia offerebantur; & apud BOEOTOS atque MACEDONES pro expiatione publicâ habebatur, per diſſecti Canis partes tranſire. v. PIER VALER. *Hieroglyph.* Lib. V. c. 32. BOCHART. l. c. *Ampliſſ.* CUPER. *Harpocrat.* pag. 67. 68. & SAUBERT. de *Sacriſ.* cap. XXIII. Apud GAUROS iidem peccatis expiandis & aſportandis, ut apud JUDÆOS hirci ſolemni expiationis die, inſerviebant. vid. HYD. in *Content. Capit.* & libr. *de Relig. Vett. Perſar.* locc. adductis.

Denique quod propiùs ad rem noſtram facit, plurimæ gentes quoque imaginem Canis religioſo cultu proſecutæ ſunt. Ab ÆGYPTIIS ad ipſos ROMANOS ſuperſtitionem hanc tranſiiſſe, teſtis eſt LUCAN. de *Bell. Civ.* Lib. VIII. vſ. 831.

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſin
SEMIDEÓSQUE CANES, *& ſiſtra jubentia luctum.*

Quin & in ISIDIS templo Romæ exſtructo ANUBIM cultum, ex infando DECII MUNDI, Equitis Romani, crimine patet, qui corruptis argento Sacerdotibus, Deaſtrum hunc ſimulans, PAULINAM fœdum in modum decepit, ut fuſè narrat JOSEPHUS *Antiq.* Lib. XVIII. c. 4. Imò & Imperatores & alios præcipuæ auctoritatis Viros ejuſdem effigie repræſentari gaviſos fuiſſe, ex TRISTANO & OISELIO docet, & nummo quodam JULIANI confirmat, BEGERUS in *Theſaur. Brandenb.* Vol. III p. 184.

Quid loquar, Canes ÆSCULAPIO aut VENATRICI DIANÆ junctos & ab hac quoque coronatos, aut DIIS LARIBUS præſides datos, aut LARES ipſos Canum exuviis tectos? v. PIER. VALER. *Hierogl.* Lib. V. c. 4. & 5. & BEGER. *Theſ. Brand.* Vol. I. p. 64. 65. & *Illuſtr.* SPANHEM. ad CALLIM. *hymn. in Delum.* vſ. 228. Quid memorem

Tergeminámque Hecaten, tria virginis ora Dianæ?

Caput ſcil. Caninum, equinum & humanum, quo Dea hæc pingebatur, unde HORATIO *Diva Triformis* & Græcis Τρίμορφος & Τρικέφαλος audit. vid. TAUBM. ad VIRG. *Æneid.* Lib. IV. verſ. 511.

Quæ anſam præbuerunt MAYERO *Philol.* part. II. p. 26. conjici-

jiciendi, forſan & hac ratione HECATEN ſub NIBCHAS nomine cultam fuiſſe. Quemadmodum ANUBIN canino capite inſtructum, in eodem quærit. Auctor carminis, quo omnia Samaritanorum idola loco 2. Reg. XVII. qui Diſſertationi huic anſam dedit, enumerata, comprehenduntur:

Numina, quæ Samaria colat, vin' ſcire? tuere
Semihominémque Aſinum, SEMIHOMINEMQUE CANEM.
En Capriceps, Gallina, Pavo, Saxúmque trigonum,
Et ſidus Cœli: Numinis illa loco.

v. CUNÆI *Remp. hebr.* verſ. Belg. Lib. II. cap. XVI.

Quorum tamen neutrum nobis placet, nam licèt in inſulâ ZIPANGRI, in mari Indico ſitâ, idololatria obtineat cultui ANUBIS non abſimilis, ut narrat PAULUS VENETUS Lib. III. c. 7. *Colunt Viri Zipangrii varia Idola, quorum quædam habent caput bovis, quædam caput porci, & quædam CAPUT CANIS, atque aliorum diverſorum animalium:* nulla tamen ejus, aut Tricipitis HECATES, in regionibus ab AVVÆIS inhabitatis, veſtigia inveniuntur. At contrà illic integri Canis effigiem cultam dubitari nequit.

X X.

Quod ut pateat, intranda iterum nobis primum Syria & Phœnicia erunt, ubi conſervatam non tantùm Idololatriæ hujus inter incolas haud dubiam famam, ſed & certiſſima monumenta deprehendimus. Trium enim circiter horarum ſpatio ab urbe BERYTO (inclytâ illâ Jure Conſultorum Academiâ celebri, quam Vir *Clar.* JACOBUS HASÆUS, amicus, dum viveret, Conjunctiſſimus, fidiſſimúſque in ſtudiis quondam Achates, eleganti diſſertatione illuſtravit) in viâ TRIPOLIM verſus, mons altus eſt, in quo INGENTIS MAGNITUDINIS CANIS columnæ inſiſtens erectus fuit, qui cùm periculum aliquod immineret, immani illud latratu annunciaret, unde fluvius propter montem hunc labens, nomen نهر الكلب *fluvii Canis* accepit, & in hunc uſque diem conſtanter ſervat. conf. EBN EDRIS Clim. IV. P. II.

Rem

Digitized by Google

Rem omnem his verbis narrat JACOBUS ZADDICK ſ. Juſtus in *explicatione Geographicâ terræ ſanctæ*, N. 908. נהר כלב *Adonis fluvius Phœniciæ notus, & à fabulâ Adonis ſic nominatus. Hodiè dicitur* FLUVIUS CANIS, *ſiquidem illius regionis habitatores ſibi perſuadent in quodam monte alto vicinóque illi fluvio* CANEM EX METALLO ARTE MAGICA CONFLATUM FUISSE, ET CUM HOSTIUM PYRETARUM NAVES MARE ILLUD PERCURRERENT, LATRARE, *cujus latratu omnes commonefactos confeſtim convenire, & ad defenſionem arma capere, hincque nomen comparaſſe credant.* Ubi tamen duplex notandus eſt error. Primò enim minùs rectè hunc FLUVIUM CANIS eundem eſſe dicit cum illo, qui Vett. ADONIS appellatur, cùm tamen Adonis hinc aliquot milliarium ſpatio diſtet, & urbi BYBLO propior ſit, ut obſervat LA ROCQUE in *Voyage de Syrie* & *du Mont Liban*, p. 228. *Au reſte quelque Ecrivains modernes ſont tombez dans une mepriſe évidente à l'egard de ce Fleuve, qu'ils veulent être la riviere Adonis, dont nous avont parlé dans l'article précedent, malgré ſon eloignement d'environ ſept lieuës de la ville de Biblis, qui avoit l'Adonis dans ſon territoire, & toutes les raiſons tirées de l'Hiſtoire de la plus exacte Geographie, & de la Fable, qui ne laiſſe aucun lieu de douter, que le Nahr Ebrahim, riviere bien plus conſiderable, que le kalb, & beaucoup plus voiſine de Biblis ne ſoit preciſement le Fleuve Adonis.* Eſt autem hic fluvius Canis potiùs idem, qui Græcis Latiníſque Scriptoribus *Lycus* appellatur, ut extra omnem dubitationis aleam conſtituit ſequens inſcriptio, rupi fluvio huic vicinæ inciſa, in memoriam viæ, quam immenſo labore Imperator CARACALLA per eandem cædi curavit:

IMP. CAES. M. AURELIUS.
ANTONINUS PIUS FELIX AUGUSTUS
PARTH. MAX. BRIT. MAX. GERM. MAX.
PONTIFEX MAXIMUS
MONTIBUS IMMINENTIBUS
LYCO FLUMINI CÆSIS VIAM DILATAVIT.
PER A . . . .
ANTONINIANAM SUAM.

Vid. Sponii *Miſcellan. Erudit. Antiquit.* Sect. VIII. pag. 272. La Rocque *Voyag.* pag. 23. & Maundrell. *Reyzen van Aleppo naar Jeruſalem* verſ. Belg. pag. 48. atque idem nomen ipſum confirmat, cùm enim ingentis magnitudinis Canis hic eſſet, & præterea columnæ non ſolùm, ſed & monti impoſitus, procul dubio à præternavigantibus non ſatis diſtinctè conſiderari potuit, ſed pro lupo, qui Cani in multis, & præcipuè quidem formâ non abſimilis, habitus, anſam præbuit, ut quemadmodum fluvius ab Arabibus etiamnum fluvius Canis, ita à Græcis Romanisque ΛΥΚΟΣ, Lupus, vocaretur. conf. La Rocque p. 226. ſeq. Atque hoc multò magis convenit, quàm quod *Eruditiſſ.* Sponius ex nomine Græco fluvii conjicit, Lupi potiùs hanc eſſe ſtatuam. Plus enim ſanè hac in re conſtanti incolarum traditioni, & nomini apud illos perpetuò uſitato, nec non oculatorum teſtium relationi tribuendum, quàm appellationi ab exteris profectæ. Præcipuè cùm inſuper quoque in Oriente Canes, quia à commercio hominum arcentur, nec ut in aliis regionibus palpatione manuum cicurantur, ferioris indolis ſint, & ad lupos propiùs accedant, neque adeò infrequens ſit, ut quæ apud *Hebræos*, aut alios *Orientales populos*, de *canibus*, ea apud *Græcos Latinóſque* de *Lupis* prædicentur. Sic anceps periculum, ubi quis nec tutò aliquid retinere, nec dimittere poteſt, hi appellare ſolent: Τῶν ὠτῶν ἔχειν τὸ λύκον, *Auribus tenere lupum.* v. Terent. *Phorm.* A. III. Sc. II. & ib. Donat. & Erasm. *Adagia* pag. 578. at Salomon idem vocat *Auribus tenere* aut *prebendere Canem.* Prov. XXVI. 17. מחזיק באזני כלב עבר מתעבר על ריב לא לו *Apprebendit Canem auribus, qui tranſiens excandeſcit ſuper lite non ſuâ.* Alter autem error Jacobi Justi eſt, quod eum ex metallo conflatum ſcribit, cùm ſtatim lapideum fuiſſe, indubiis teſtimoniis oſtenſuri ſimus.

Quod autem de re ipſâ dubitanter loquitur, indicio eſt, eum quæ narrat, tantùm ab aliis relata accepiſſe, non ipſum oculis uſurpaſſe. Idem eandem ob cauſam evenit Eruditiſſimo Viro Henr. Maundrell, qui pag. 46, 47. ita ſcribit: *Toen wy nog een uur langs eenen zeer bobbeligen en ruwen Weg, niet ver van de*

Digitized by Google

de Zee, geſuckeld hadden, quamen wy by de Rivier Lycus, ten tyde der Romeynen Canis, maar by de Turcken heden ten dage Nabor Kelp genaamt. Deze Naam is afkomſtig van eenen Afgod, die eertyds onder de gedaante van een Hond of Wolf wierd aangebeden, en gezegt word hier ter Plaatſe Orakels te hebben geſproken. Men geeft voor, dat nu nog aan de Vreemdelingen dit Beeld, leggende in Zee met de Hielen na boven vertoont kan worden; te weeten, het Ligchaam; Want het Orakelſche Hoofd, zegd men is afgebroken, en naar Venetien gevoerd, alwaar het nog hedendaags (by aldien de Faam niet liegt) te zien is. Sed ne minima quidem ratio eſt rem hanc in dubium vocandi, cùm in hunc uſque diem integer ille Canis, reſecto tantùm capite, in mari jacens reperiatur, & à quàm plurimis viſus atque exploratus ſit. Teſtem advoco Nobiliſſimum optimáeque fidei Periegeten THEVENOTIUM, in *Deſcriptione Itineris per Orientem inſtituti.* P. I. lib. II. cap. 60. cujus verba, quia *editionem Gallicam* non poſſideo, ex *verſ. German.* pag. 305. latinè reddita, exhibebo. Ita autem loquitur: *Duarum circiter horarum ſpatio trans memoratum pontem, alius invenitur, ſub quo fluvius Arabicè NAAR EL KELB*, i. e. *FLUVIUS CANIS, appellatus, labitur, procul dubio, quia illic annulus rupi inciſus videtur, CUI INGENS EX EODEM LAPIDE PARATUS CANIS ALLIGATUS FUIT, ET ADHUC IN MARI CERNITUR. FERTUR CANIS HIC MEDIANTE INCANTATIONE LATRASSE, CUM EXERCITUS APPROPINQUARET, & vox ejus quatuor milliarium ſpatio audita eſſe. Paululum ſupra collem, ubi canis ille invenitur, ſequentia verba literis majuſculis rupi inciſa ſunt* &c. Quæ verba cùm eandem inſcriptionem contineant, quam modo ex SPONIO & aliis jam adduximus, ſed mutilata, denuò adſcribere ſuperſedemus. Idem hoc modo narrat LA ROCQUE *Voyag.* l. c. pag. 227. *Cette figure & tombée dans la mer, & on l'entrevoit encore quand le temps eſt calme. C'étoit une eſpece d'Idole, dont on conte encore de grandes merveilles. Les Muſulmans diſent, que le Diable entroit quelque fois dans ce corps de pierre, & qu'il burloit d'une étrange force jusqu' à ſe faire entendre par toute la côte*

 de

de Syrie , & même jusqu'en l'Isle de Chypre , & que ce prodige prejageoit toujours quelque funeſte evenement. D'autres plus ſenſez croyent , que le fleuve ſe jettant dans la mer entre deux hautes montagnes , qui le reſſerrent , comme nous l'avont remarqué , & ſon lit etant tout rempli de roches ſes eaux font un bruit terrible , quand elles ſont enflées par la fonte des neiges ; ce qui augmente dans le ſilence de la nuit , & peut être comparé aux hurlemens d'un Loup : effet naturel , que la ſuperſtition du Paganiſme a rendu myſterieux , qui à donné lieu ſans doute de dreſſer l'Idole en queſtion , & à nommer ce Fleuve du nom qu'il porte encore aujourd' huy. Omnium autem accuratiſſimè rem examinavit , modúmque ipſum detexit , quo Canis hic latratu futura prædicere potuit , Paulus Lucas in *deſcriptione Itin. per Aſiam minorem & Africam inſtituti* cap. 39. deprehendit enim Canem hunc intùs cavum eſſe , ut ab homine ſubiri potuerit , unde colligit , totam ſcenam fraude Principum (forſan etiam Sacerdotum Idololatrarum) adornatam fuiſſe. Digna ſunt ejus verba , quæ audiantur. Exſtant *verſ. Germ.* pag. 252. ſed à nobis eandem ob cauſam , ut modo adducta Thevenotii Latinè reddita , ita ſonant : *Requiem capiebamus apud fluviolum Abraham , qui ad urbem Berytum in mare influit. Aliàs etiam appellatur fluvius Canis , quia quondam illic Canis lapideus magnitudine equi altâ fultus columnâ ſtetit , de quo incolæ aniles fabulas narrant ; quod viſis hoſtibus ſemper validè latravit &c: Cùm maximè columna unà cum Cane undis immerſa jacet. Emir Phacradin caput illi amputari curabat , illúdque Venetis dono mittebat. Unde amplius non niſi corpus cernitur.*

Examinavi eum animo rerum novarum cupido una cum reliquis accuratè , & deprehendi in ventre Canis ingens quadratum foramen eſſe. Unde concluſi intus cavum eſſe. Credibile quoque eſt , Principem quendam ad decipiendas has ſuperſtitioſas gentes illum confici curaſſe. Columna , ut arbitror , pariter cava erat , cùm igitur exploratores malum nuncium afferrent , Princeps curabat , ut canis latraret , & imperita plebs cenſebat vocem ex cœlo aut inferno eſſe. Ubi tamen verbo notandum , Auctorem vel ejus Interpretem aliquid humani paſſum , cùm *fluvius Abraham* non idem cum

fluvio

fluvio Canis, ſed potiùs cum *fluvio Adonis* ſit. v. La Rocque *Itiner. Syriæ* p. 224.

X X I.

Similem autem Caninum cultum apud Drusos Syriæ populos, & apud Gordyæos ſeu Curdos, qui Armeniam & inprimis montem Aba (in quo Avvæi nominis reliquias ſupereſſe ſupra viſum) incolunt, obtinuiſſe, & utroſque idcircò Calbios, i. e. *Canicularios* à כלב Celeb, *Canis*, appellatos, docet Rerum Orientalium peritiſſimus Hyde in *Elencho contentorum in notis*, quem præmiſit *Itinerario* Peritsolii, dicens: *In Syriâ & Corduenis eſt gens dicta CELBII à CELEB CANIS, QUIA ADORANT CANEM NIGRUM.* Et clariùs adhuc in appendice libr. de *Relig. Perſar.* pag. 491. ubi de Drusis agens, & quàm plurima de eorum Religione ex ore cujuſdam Syri Ladikienſis (i. e. Laodiceni) cui Andreæ Pharah nomen erat (conf. p. 493. & 554.) referens, ait: *Ipſi ſunt ex hodiernis montis Libani & Curdiſtaniæ incolis, qui peſſimæ ſuæ religionis originem altè repetunt à Noach, alii ab antidiluviano Patriarcha Enoch, & quoque à Seth. Miſeram iſtam religionem contentam in libro dicto* صحف شيث *Sohuph Sheit (quam ergo Sethicam vocamus) hodie colunt in Libano & Curdiſtan variæ Curdorum gentes, uti dicti Durzii &* حميدي *Homeidii &* كلبي *Kelbii ſeu Calbii, i. e. Canicularii, (nam Kelb ſ. Calb eſt Canis) ab aliis ſic dicti, quia nigrum canem colunt, quod idem in Curdiſtan ſeu Gordyææ montibus faciunt illi Curdi, qui vocantur* يزيدي *Yezidi ſ. Yezidæi; qui etiam nigrum canem & quidvis nigrum multum æſtimant propter colorem (ut creditur) Diaboli, quem venerantur, & qui ab ipſis vocatur Uſtâd i. e. Magiſter.* Hactenus Eruditiſſimus Hydius.

Imò hos *Calbios* eoſdem eſſe judicat pag. 492. cum *Calbienſibus* illis, quorum in antiquâ Inſcriptione mentio fit apud Sponium in *Miſcellan. eruditæ antiquitatis* Sect. I. Art. I.

SOLI SANCTISSIMO SACRUM
TI. CLAUDIUS FELIX ET
CLAUDIA HELPIS ET
TI. CLAUDIUS ALYPUS FIL. EORUM
VOTUM SOLVERUNT LIBENS MERITO
CALBIENSES DE COH. III.

Calbienſes, *ait*, *Cohortis III. vocantur*, *quia fuerunt Cohortis III. milites*, *ex Celbiis his Libani incolis bello fortiſſimis*, *à Romanis conducti.*

XXII.

Hæc omnia ſi quis jam attentè apud animum reputet, & ſecum perpendat, quòd non ſolùm ipſum Idoli hujus nomen Canem fortiter latrantem denotet, ſed & tale Idolum illis inprimis in locis *Syriæ* aut *Phœniciæ* & *Curdiſtaniæ*, ubi Avvæorum certiſſima deprehendimus veſtigia, cultum fuerit, atque his demum jungat unanimem Judæorum, quorum majores id procul dubio ſcire & potuerunt, & debuerunt, conſenſum, nullus dubito, quin mecum agniturus ſit, non ampliùs idolum hoc adeò incertum atque explicatu difficile eſſe, uti hactenus creditum eſt.

Imò fere adducor ut credam, Canem, qui non longè ab urbe Beryto in mari jacens reperitur, idem illud idolum eſſe, cujus ἔκτυπον Avvæi in *Pantheo Samaritano* collocarunt, ſive Avvæi loca illa jam inde ab antiquiſſimis temporibus incoluerint, ut ſupra evincere conati ſumus, ſive deinceps eò, quocunque etiam fato, aut quamcunque ob cauſam id factum ſit, conceſſerint, ſive denique id illis temporibus; cùm à Salmanassare *Samariam* mitterentur, aut paulò poſt, ibidem erectum ſit. Cùm enim Judæi tantopere poſt reſtitutionem ex captivitate Babylonicâ, & cultum Idololatricum, & hos inprimis illi deditos, novos Samariæ incolas averſarentur, ultrò colligi poteſt, illos iiſdem non facilè conceſſuros, ut in locis maritimis, quæ in illorum poteſtate erant, cultum hunc exercerent, at cùm Syri contrà & Phœnices idololatriæ toti mancipati eſſent, facilè ab his

Digitized by Google

his obtinere potuerunt, ut in eorum ditione ſtatuam hanc collocarent.

XXIII.

Quid quod uti cogitando aliud ex alio incidit, ita niſi me omnia fallunt, ex dictis veram nominis AVVÆORUM originem & ſignificationem petere licet. Cùm enim ita non à primo quodam generis ſui auctore appellati ſint, ut ex eo rectè colligitur, quod nullus ejus nominis inter poſteros Canaanis, imò nec in univerſâ Scripturâ Sacrâ memoretur, rectè concludimus nomen illud, ut multa alia appellativum fuiſſe, atque adeò deſcendere à עוא *Avva*, quod apud Syros æquè ac Arabes ܥܘܐ & عوي *Latrare* denotat, & de CANIBUS uſurpatur, quo ſenſu vocem Arab. ſupra §. 7. habuimus loco ex EBNO'L ATHIR adducto. Eadem vox & in alias linguas tranſiiſſe videtur, inde enim commodè derivatur Gallorum *Abbayer* & Italorum *Abbajare*, quod utrumque *latrare* ſignificat, niſi forſan quis hæc ab Arab. نبا, quod idem innuit, deducere malit. Quid igitur certius eſſe poteſt, quam gentem hanc ita appellatam fuiſſe à cultu, quem IDOLO huic CANINO, ſeu CANI LATRANTI exhibuit? Eadem ratione uti modo ex mente Cel. HYDII eoſdem CELBIOS ſ. Canicularios appellatos vidimus, aut uti apud Ægyptios urbs, in quâ præcipuè cultus Caninus viguit, *Cynopolis*, & integer nomus *Cynopolitanus*, quin & incolæ *Cynopolitæ* aut *Cynopolitani* dicti ſunt.

XXIV.

Imò hinc quoque ratio dari poteſt, cur ſi AVVÆI iidem cum CHIVVÆIS fuerint, ut ſupra docuimus, hi tractu temporis AVVÆORUM nomen acceperint, quia ſcilicet vel tota hæc gens cultum Caninum amplexa fuit, vel quædam ejus pars, quæ ad diſtinctionem reliquorum, AVVÆORUM nomine appellari cœpta, quod poſterius ſi ſtatuatur, patet ſimul, cur eodem tempore, cùm Joſua terram promiſſam ingrederetur, ſimul CHIVVÆI & AVVÆI memorentur, ſcilicet quia nonnullis CHIVVÆORUM ob

nova

Digitized by Google

nova ſacra novum nomen impoſitum, reliquis antiquum obtinentibus.

Denique & hinc manifeſtum eſt, cur ſi vel maximè DRUSI Syriæ & CURDI Armeniæ atque Aſſyriæ populi nullâ ſe cognatione attigerint, idem tamen AVVÆORUM nomen utrique gerere, ob communia hæc ſacra, rectiſſimè potuerint.

X X V.

Atque hæc ſunt, quæ de argumento hoc difficillimo meditati ſumus. Ex quibus inter alia cultûs Idololatrici inſania, quàm clariſſimè pateſcit. Ut non immeritò liceret hunc Deaſtrum ejúſque cultores, iiſdem ridere verbis, quibus Anubim & qui illum venerabantur, MOMUS apud LUCIANUM in *Dialogo Deorum*. n. 10. Σὺ δὲ ὦ κυνοπρόσωπε, καὶ σινδόσιν ἐσαλμένε, Αἰγύπτιε, τίς εἶ, ὦ βέλτιστε, ἢ πῶς ἀξιοῖς Θεὸς εἶναι ὑλακτῶν; *Tu verò, O CANINO VULTU, & ſindonibus obvolute, Ægyptie, qui es, O optime, & quomodo dignus baberis, ut ſis Deus, CUM LATRES?* Quò magis autem inde patet, quomodo Ethnici, dum Deum cognoſcentes, non ut Deum glorificârunt, vani redditi ſunt in rationibus ſuis, & dum ſapientes videbantur, ſtulti facti, ſimul cum brutis ſuis idolis obbrutuerunt, eò magis nos obſtrictos agnoſcamus, oportet, ad immortales Deo gratias agendas, qui nos ab iſtiuſmodi inſaniâ liberavit, tantóque majori animi contentione, eum in ſpiritu & veritate, ſecundùm puriorem illam, quam nobis tradi curavit, ſacrorum rationem, jugiter colendum.

DIS-

DISSERTATIO XII.

DE

כמרים

SEU MAGIS IGNICOLIS.

AD 2 REG. XXIII. 5. HOS. X. 5. & ZEPH. I. 4.

I.

Non ultima prærogativarum Novi Teſtamenti eſt, quòd peregrina illa ſacra, quibus ſub templo I. toties populus Iſraëliticus ſe auferri paſſus eſt, graviſſimámque Numinis in ſe concitavit iram, usque adeo cùm maximè ſunt obliterata, ut eorum ne nomina quidem ampliùs ſatis cognita atque perſpecta ſint. *Benè quidem*, ait ſummus ſcripturæ interpres, Coccejus, *nobiscum agitur, quòd veteris idololatriæ formam & inſtrumenta ignoramus, ſi non novis commentis in idem genus recidimus, quod verendum eſt.* Hinc tot gentium idola, tot profanarum religionum proſcriptæ cerimoniæ, cum aſſeclis ſuis & Sacerdotibus in S. S. memorantur, de quibus præter nudam appellationem vix quicquam conſtat, quorúmque certior cognitio non niſi multo ſtudio ex ultimis antiquitatis receſſibus repetitur. Non inutilis tamen eſt, qui illis eruendis labor impenditur, quæ enim Spiritus S. operæ pretium duxit commemorare, non indigna cenſeri debent, ut à nobis ſollicitè inquirantur. Præſertim cùm non ſolùm ex falſorum cultuum cum vero collatione hujus præ illis præſtantia, divináeque benignitatis magnitudo, quæ illis eliminatis, hunc nobis tradi curavit, quàm clariſſimè pateſcat, nobíſque ad illum purâ mente præſtandum calcar ſubdat, ſed & illorum penitior cognitio integris ſæpe locis, ubi eorum mentio fit, quin & aliis quàm plurimis, in quibus ad

Digitized by Google

eosdem alluditur, facem accendat. Hanc ob cauſam poſtquam ante biennium circiter *Nibchas Idolum Avvæorum* eruere conati ſumus, lubet cùm maximè in peregrinorum adminiſtros, qui nomine כמרים Cemarim veniunt, propiùs inquirere.

I I.

Ter autem eorum tantùm in Sacris fit mentio, Hoſ. X. 5. לעגלות בית און יגורו שכן שמרון כי אבל עליו עמו וכמריו עליו יגילו על כבודו כי גלה ממנו: *Ob vitulas BethAven pavebunt incolæ Samariæ, quia luget ſuper illo populus ejus, & CEMARIM ejus ſuper illo gaudebant, propter gloriam ejus, quia migravit ab illo.* Zephan. I. 4. ubi interitum illis minatur Deus his verbis: ונטיתי ידי על־יושבי יהודה ועל כל־ירושלם והכרתי מן המקום הזה את־שאר הבעל את שם הכמרים עם הכהנים *& extendam manum meam ſuper Juda & ſuper omnes habitatores Hieroſolymæ, & exſcindam ex loco hoc reſiduum Baalis, CEMARIM cum Sacerdotibus.* Et denique 2 Reg. XXIII. 5. ubi vaticinium hoc per pium Regem Josiam in illuſtri illâ quam procuravit reformatione, hoc modo impletum legitur: והשבית את־הכמרים אשר נתנו מלכי יהודה ויקטר בבמות בערי יהודה ומסבי ירושלם *& abrogavit CEMARIM, quos conſtituerunt Reges Judæ, ut adolerent in celſis, in urbibus Judæ & circuitu Hieroſolymæ.* Ex quibus omnibus quidem patet, eos pro Sacrorum Peregrinorum ſive aſſeclis, ſive potiùs adminiſtris habendos eſſe, ſed quinam propriè fuerint, ignoratur. Duo autem circa illos potiſſimùm quæri ſolent, primò quid nomen eorum ſignificet, tum quales & quibusnam ſacris addicti fuerint? Quæ duo tam arcto inter ſe nexu cohærent, ut eorum uno ritè expedito, alterum ultrò pateſcat.

I I I.

Plurimi vocem deducunt à כמר *nigreſcere*, unde כמרירי יום Job. III. 5. reddunt *atrores*, vel ut mavult Deyling. *Obſerv.* P. III.

P. III. Obſ. XIII. *atratores diei*, & ab eodem themate CYMMERIOS populos appellatos volunt, quòd in terrâ calignioſâ & tenebricoſâ degant. vid. BOCHART. *Geogr. Sacr.* Part. II. Lib. I. cap. XXXIII. Hinc itaque ſacrificulos hos dictos exiſtimant, quaſi NIGRIGERULOS aut PULLATOS, eò quòd nigris veſtibus induti fuerint: eadem ratione uti apud Græcos μελανόφοροι, quorum aliquoties in antiquis inſcriptionibus fit mentio, & contra apud Romanos CANDIDATI dicebantur, qui Candidis amicti incedebant. In hac ſententia inter Judæos eſt KIMCHIUS in *Radic.* ſcribens: ויהיה קריב לענינו עורינו כתנור נכמרו שפירושו נשחרו ומזה נקראו הכומרים והשבית את הכמרים וכמריו עליו יגילו ותרגום רק אדמת הכהנים לחוד ארעא דכומריא והם עובדי ע״ז לבושי שחורים ופרוש את שם הכמרים עם הכהנים עם שאר עובדי ע״ז שאינם לובשי שחורים: i. e. *& ad banc ſignificationem accedit* (quod dicitur Thren. V. 10.) *Pelles noſtræ ſicut furnus* נכמרו / *cujus ſenſus eſt*, (nigredinem) *contraxerunt*, *& binc appellati ſunt Cumarim* (2 Reg. XXIII. 5.) *& abolevit Cemarim*, *&* (Hoſ. X. 5.) *Cemarim ejus ſuper illo gaudebunt*, *& Paraphraſtes Chaldæus* (verba Gen. XLVII. 22.) *tantùm terram Sacerdotum*, reddit *tantùm terram CUMARIM. Sunt autem bi Idololatri nigris induti veſtibus*, *& verborum* (Zephan. I. 4.) *nomen Cemarim cum ſacerdotibus*, *explicatio eſt*, *cum reliquis cultui peregrino addictis*, *qui non erant nigris induti*, his gemina habet in *Commentar. ad* 2 Reg. XXIII. Hoſ. X. & Zephan. I. ut & BEN MELECH in *Michlol Jophi.* ad locc. citt. conf. DAVID DE POMIS in *Lexico.* Horum veſtigia legunt inter Chriſtianos FULLERUS *Miſcellan.* Libr. IV. cap. VII. SELDEN. de *Diis Syr.* Syntagm. I. cap. VI. MEL in *Antiq. Sacr.* Sect. II. §. 8. & qui eam præcipuè fuſè adſtruere conatur, LE MOYNE in *Epiſtol. de Melanophoris*, ſubjunctâ *Ampliſſ.* CUPERI *Harpocrati* pag. 263. ſeqq.

Sed obſtat huic ſententiæ, quòd verbum כמר nec in hebræâ, nec ullâ aliâ linguâ orientali de colore nigro, qualis in veſtibus eſt, uſurpatur, ſed innuitur is potiùs Hebræis per קדר; vid. Pſalm. XXXIV. 14. XXXVIII. 7. XLII. 10. Jerem. VIII. 21. Mal. III. 14. aut שחר, Cant. V. 11. Zachar. VI. 2, 6. nec

Digitized by Google

contrarium evincit locus, ad quem provocatur Thren. V. 10. עורינו כתנור נכמרו מפני זלעפות רעב cùm verbum hîc commodè ſatis, ut aliàs reddi poſſit: *Pelles noſtræ ſicut furnus EXUSTÆ ſunt vel INCALUERUNT* (ut rectè Vatablus monuit) *propter ardores vel exuſtiones famis*, aut ſi vel maximè concedamus, verti poſſe, *pelles noſtræ ſicut furnus nigredinem contraxerunt* &c. uti & German. dicere ſolemus; *Schwartz werden von hunger*, nil aliud inde ſequitur, quàm vocem de ſqualido & tetrico illo cutis adſpectu, qui ex fame oriri ſolet, & ad atrorem quodammodo inclinat, non verò propriè de colore nigro, qualis in veſtibus eſt, uſurpari. Deinde & illud obeſt, quod tota hæc explicatio non niſi conjecturâ nititur, nec quisquam hactenus tales Sacerdotes nigrigerulos in oriente oſtendere, aut quibusnam ſacris operati fuerint, docere potuit, ut adeò Judæi recentiores, illos primùm excogitâſſe, Christianíque Interpretes, cùm melius non invenirent, eosdem ſecuti videantur.

IV.

Pfeifferus *Dub. Vexat.* Cent. III. Loc. VII. vocabulum derivat à כמר quod Thalmudiſtis denotat *ſecluſit*, ut adeò ita appellati ſint כמרים, *quod tenebras quærerent & receſſus, quò tutiùs imponerent vulgo*, qua in re idem ſentit cum Abendana ad *Michlol Jophi* 2 Reg. XXIII. & Elia Lev. in *Lex.* Sed longius hoc petitum, nec probatum ſacrificulos hos receſſus & latebras quæſiviſſe, ut rectè judicat Buddeus *Hiſt. Eccleſ.* T. II. p. 571.

V.

Alii igitur nomen derivant à כמר *incendit, flagravit, uſſit.* Sed qui in etymo hoc conveniunt, in ejus tamen applicatione diverſum ſentiunt. Nonnulli enim ita appellatos volunt ab inſigni illo affectu, quo accenſi erant, & ſive vero, ſive ſimulato zelo pro religione ſuâ, ita Lutherus ad Hoſ. X. *Habent autem nomen Camarim ab ardenti ſtudio impii cultûs*, & paſſim aliàs in not. marginal. ad locc. adducta, cui ſuccenturiantur Dieteric. in *Antiqq. Bibl.* aliíque, quos vide apud Christian. Braunhard in *Diſſert. pecul.* de hoc argumento, recuſâ in *Theſ. Theol.*

Digitized by Google

Theol. Philol. T. II. p. 952. qui & huic ſententiæ ſubſcribit, licèt alias illi ſubordinari poſſe cenſeat. Addunt quidam, ut idem obſervat, quod ex fervore ſuperſtitioſo ſeſe uſtularint, atratáſque notas corporibus impreſſerint. Sed uti poſterius hoc gratis iterum ſine ullo idoneo argumento dicitur, nec verbi כמר ſignificationi ut mox videbimus, ſatis convenit, ita prius longiſſimè quæſitum, támque generale eſt, ut omnibus, qui bono aut malo zelo pro religione, ſive ea vera, ſive falſa fuerit, ducuntur, ex æquo applicari queat.

V I.

Non adeò violenta illorum eſt interpretatio, qui eandem thematis ſignificationem ſervantes כמרים appellatos exiſtimant, quia præcipuus cultus, quem exercebant, in eo conſiſtebat, quòd idolis thus atque ſuffitum incenderent. Huc reſpicit JURIEU in *hiſt. de Dogm. & des Cultes* &c. P. IV. Tract. IX. c. 4. iis verbis: *Le ſecond c'eſt celui de* כמרים *Kemarim, & ce nom ſignifie proprement les ſacrificateurs de l'idole, & apparemment les ſacrificateurs du feu. Car ce mot vient de* נכמר, כמר *Nikemar, qui ſignifie être brulé, echauffé,* & paulo poſt: *Il eſt clair que ces Kemarim étoient les mêmes, que ces gens, qui faiſoient des encenſemens au Soleil* &c. conf. quoque BUDD. *Hiſt. Eccleſ.* loc. adducto & qui eandem hypotheſin doctè urſit, *Celeberr.* mihíque amiciſſimus Philologiæ in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ Profeſſor DAVID MILLIUS in *Diſſertat. Select.* variâ eruditione refertis, & non ita pridem A. clↄ lↄ cc XLIII. inſigni acceſſione recuſis Diſſert. XIII. §. XVI. ſeqq.

Certè hæc omnium, quæ de hoc argumento dicta ſunt, maximâ ſpecie ſe commendant, præſertim quia in ſequentibus videbimus, CEMARIM verè in adolendo ſuffitu inter alia cultûs ſacri munia, fuiſſe occupatos, nec incongruum eſt, à præcipuâ cultûs parte ejus aſſeclas aut miniſtros nomen ferre, non abſimili ratione, uti in primitivâ Eccleſiâ, qui gentium idolis thus adoleverunt, THURIFICATI audiebant.

Verùm id mihi tamen hypotheſin hanc minùs probabilem reddit, quòd כמר non propriè ſignificat, *incendit*, ſed potiùs, *caluit, incaluit*, & in primis ſi uſum ejus in ſacris ſpectes,

Digitized by Google

ctes, de tali calore uſurpatur, qui non ex incendio, ſed aliis quibuſcunque cauſis oritur, ut ex vehementiori viſcerum motu, qualis cum intenſiori animi affectu conjunctus eſſe ſolet, Gen. XLIII. 30. נכמרו רחמיו *incaluerunt viſcera ejus*, & 1. Reg. III. 26. כי נכמרו רחמיה על בנה *quia incaluerunt viſcera ejus ſuper filio ejus.* Sic & Hoſ. XI. 8. extra quæ tria loca & illum Thren. quem §. III. tetigimus, nullibi occurrit. Præterea cùm toties Scriptores Sacri adolitionis ſuffitûs mentionem faciant, mirum ſanè eſſet, eos nunquam hanc vocem, ſiquidem illam ſignificationem haberet, adhibuiſſe, ídque quod probè notandum, ne in illis quidem locis, ubi ſimul ☿ Cemarim meminerunt, ut ex. gr. 2. Reg. XXIII. 5. והשבית את הכמרים אשר נתנו מלכי יהודה ויקטר בבמות *& abolevit Cemarim, quos conſtituerunt Reges Judæ, ut adolerunt in excelſis.* Quis credat, ſi ea eſſet verbi כמר ſignificatio, non potiùs hoc, quàm קטר Scriptorem Sacrum adhibiturum fuiſſe, præcipuè cùm aliàs ferè ſemper per ſimilem paronomaſiam ad etymon nominis in Sacrâ Scripturâ alludi ſoleat. Denique uti in linguâ hebræâ hanc ſignificationem non habet, ita quantum hactenus conſtat, nec in ullâ aliâ linguarum Orientalium. Alias minoris momenti conjecturas non moramur.

VII.

Ad nos itaque quod attinet, exiſtimamus per Cemarim indicari Celeberrimos illos Orientis Magos Ignicolas, quorum reliquiæ etiamnum ſub nomine Gaurorum vel Ghebrorum, in Perſide ſuperſunt, ita dictos, *à certo cinguli genere, quod ut ſacratiſſimum totius Religionis ſuæ ſymbolum gerebant.* Quod ut pateat, obſervari primùm generatim velim, vocem کَمَرْ כמר Camar, Perſis Cingulum denotare. Hinc کمر سار *Qui Zonas parat*, & کمر بنداسب *Cingulum equi*, & کمر بستن *Cingere*, ita ſtellæ illæ in ſigno Orionis, quas ſolemus vocare *balteum Orionis*, Perſis quoque کمر الجبر *Camar* ſeu *Cingulum Algiebbar* (i. e. ut explicant, *Gigantis* ſ. *fortis*, hoc enim nomine Perſis *Orion* venit) audiunt: unde Mohammed Tusæus in *tractatu*

tu

tu de Aſtrolabio ait: وبعد انر دبران صورت جوزا بر ايدكه عوام انرا بهادر خوانند ومنجمان انرا جبار خوانند بر صورت مردي بود با كمر وبا شمشير i. e. *Clariſſ.* HYDE Interprete in not. ad ULUGH BEIGHI *Tabulas Stellar. fixar.* p. 45. *Poſt Al Debarân oritur Figura* τ῀υ *Al Giauza, quem vulgò vocant Bahâdur i. Strenuum: At Aſtronomi vocant Giebbar. Eſtque in formâ hominis cum BALTHEO & Gladio.* Eodem nomine appellatur *Baltheus Bootis* ſeu ut Perſæ eum vocant عوا *vociferatoris*, unde apud ULUGH BEIGHIUM in *Tabulis* pag. 21 num. 16. كمر بر انك *Quæ eſt in CINGULO*, & num. 17. انك كمر بر كه دو ان انر تالي *Sequens duarum, quæ ſunt in CINGULO*; & *Baltheus Caſſiopeiæ* ſeu *Dsât al Cùrſa* i. e. τῆς τ῀υ Θρόνου uti Perſis audit, apud eundem pag. 33. انك انرو شمالي تر است وبر كمر است *Quæ hac borealior eſt, éſtque IN CINGULO.* Eodem nomine *Baltheus Centauri* bis venit in libro *Mu'gjizât*, apud HYDIUM in not. ad *eundem Auctorem* p. 66. *Centaurus* eſt animal كهانر سرتا كمر كاه صورت ادمي بود وانر كمر كاه تا اخر صورت اسب *quod à capite ad CINGULUM figuram hominis refert, & à CINGULO ad extremitatem figuram equi.* Nec generatim tantùm hæc appellatio omnibus cingulis, ſed ſigillatim illi, quod MAGI ſeu GAURI gerunt, convenit. Solet illud quidem variis nominibus apud *Arabes*, *Perſas* & ipſos *Gauros* inſigniri. Nonnunquam appellatur شست *Sheſt*, aut كستي *Cuſti*, unde Arabizatum كستيج *Cuſtigi*, nonnunquam زنار *Zonnâr*, quod convenit cum *Chaldæorum* & *Rabbinorum* זונרא aut זנר, & *Græcorum* ζώνη vel ζωνάριον: *Latinorúmque Zona:* aliquando autem كمر כמר *Camer* aut *Camar*, ut videre eſt apud HYDIUM in profundæ eruditionis libro *de Religione Vett. Perſar.* cap. XXX. pag. 371. Poſterioris exemplum habemus in Libro *Sad-der*, qui ZOROASTRIS *præcepta* & *Canones* in uſum Eccleſiæ Magorum continet, & cujus ſummam in Latinum ſermonem tranſlatam exhibet HYDIUS pag. 431. ſeqq. ubi in Procemio dicitur كمر بسته ام

CA-

CAMAR (id eſt *Cingulo*) *me accinxi*, & ejuſdem Libri *Porta* X. *nam alligari Cuſti* (ſeu Cingulum) *etiam dictum CAMAR eſt præceptum Dei*. Hinc itaque a כמר *CAMAR* appellantur כמרים *CEMARIM*, *qui tali Cingulo accincti ſunt*, ſeu *qui tale Cingulum gerunt*.

VIII.

Verùm ut denominationis hujus ratio propiùs pateſcat, ſciendum, inter alias veſtes, quibus Magi utuntur, & quas à Deo ipſo præſcriptas jactant, præcipue numerari *Cingulum aliquod ex lanâ aut pilis camelinis* (teſte Oleario) *tortum*, *corpus bis cingens*, *& à tergo duplicando clauſum*, quo tunica صدره *Zudra* dicta, conſtringitur. Cingulum hoc IV nodis inſtructum eſt, qui totidem rerum nunquam obliviſcendarum myſterium continent, quemadmodum ipſum, ſtrictioris erga Deum obedientiæ ſignum eſſe creditur. v. Hyd. de *Relig. Vett. Perſ.* p. 370. Hinc igitur illud omnibus religionis hujus aſſeclis, & longè Sanctiſſimum habetur, & ejus indutio inter præcipua illius præcepta numeratur, ut patet ex libro ſupra laudato *Sad-der* apud eundem Hydium p. 441. ſeq. ubi *Sectione*, ſeu *Portâ* X. hæc leguntur: *Præceptum hoc eſt in omni ſuâ vitâ tam Viris, quàm fœminis religioſis incumbens, ALLIGARE CINGULUM, & præſtare Eleemoſynas: nam alligare Cúſti* (ſeu Cingulum) *ETIAM DICTUM CAMAR, EST PRÆCEPTUM DEI, CUM SIT SIGNUM OBEDIENTIÆ ERGA CREATOREM. CINGULUM fuit Giemſchidi inſtitutum, quo omnes Dæmones fugavit: fuit enim ex ejus CINGULO & Chúra* (ſeu illuminatione) *quod evacuata fuerint opera Diabolorum: nam quicunque CINGULO ditatus eſt, ex dimidiâ poteſtate diaboli evaſit, & in dimidiam poteſtatem Dei poſitus eſt. Ipſe in Avorum religionem credet: & qui CINGULO medium cingit, ſi præterea nullum aliud in mundo bonum opus habet, is tamen de omnibus ſeptem terræ climatum meritis* (ſeu bonis operibus) *particeps erit in viâ Religionis. Ita res ſe habet, ut cùm eum confortantes ſint* (*Angeli*) *beatum reddentes, & de eo placati, tum Merita habebit in Iran-végj & in Ghangh-diz & in Keſchmír & in Gjamghèrd & in omnibus mercedis & præmii locis: omnia*

omnia iſta cum mundo (fortè legendum *cum Cingulo*) *ſibi alligabit. Quando alligas* CINGULUM *medio, à religioſis erit abundantia tua centies millies* (multiplicata.) *Si autem medium tuum non fuerit* CINGULO *cinctum, tua à religioſis vicinitas* (ſeu conjunctio) *alienata erit. Ne itaque ſolvas è medio tuo* CINGULUM, *quia à tuo in religione conſorte invenies merita etiam perſoluta: nihil enim in tuo religionis conſorte melius eſt, quàm ut invenias in eo præmium tale quod ſit præmium pro aliis etiam hominibus* (ſufficiens,) *adeò ut tu ſine operibus etiam particeps fias de illo. In* CINGULO *ideò quatuor adhibeantur nodi, quorum quisque aliquid ſignificat. Ex primo ſcias primùm, Dominum tuum eſſe Unum, Sanctum, cui non eſt compar, eſt etiam Dominus potentiæ & gloriæ. Secundus nodus teſtatur exiſtentiam bonæ religionis, de qua ex Mazdiyaſenân non eſt ſcrupulus, nec dubium quin vera ſit. Tertius nodus animo tuo teſtatur, quòd Viæ Dux fuit Zerâtuſcht Eſpintamân, qui Domini Legatus* (ſeu Miſſus) *& Propheta, qui nobis fuit Viæ Dux & viam Dei colens. Quartus nodus eſt, quo quis ſecum animo hoc concipit.* (viz.) *Bonum faciam quantum potero; bonum inquam faciam, & bonum cogitabo, & à quovis malo quantum poſſum fugiam: hæc erit bona mea Religio, & ab hac bonâ rectâque Religione non divertam. Iſpendârmaz fuit ex Angelis, qui apparuerunt Regi Manûtchehr, qui obſervavit illas ſapientiâ excellentes, fuiſſe omnes* CINGULO *cinctos medio. Zerâtuſcht quoque oculo certitudinis vidit Angelos eodem modo ſe habuiſſe; De Anirân ſi nihil noſti, dicam ut de eis informationem invenias: Anirân quidem cingulo non cinctus eſt propter juſtitiam; ſed Iran ſe cinxit propter vultûs apertionem* (liberiorem,) *ſicuti Boni & Sancti & in Religione Beati, cinxerunt* CINGULUM, *de vitâ ſuâ certi,* (& non dubitantes.)

Atque hoc cingulum ſemper matutino tempore ſingulari ſolemnitate induunt, recitatâ peculiari precatione, quæ idcircò نیرنگ كستي بستن *Ceremonia Cingulum accingendi*, appellatur. v. HYDE de *Relig. Vett. Perſ.* cap 30. pag. 371. Idem diſertè præſcribit modo citatus eorum liber Canonicus *Sad-der Portâ* XVII. *Tam ad Religioſos Laicos quàm ad Deſtûr ſpectat, ut quamprimum è lecto ſurrexerint,* CINGULUM STATIM IN-

 DU-

Digitized by Google

DUANT. CINGULO enim non induto, per unum greſſum prodire non debes; ne hoc facto te ipſum in Diaboli poteſtatem ſubmiſiſſe videaris: nam uno greſſu ſubmiſiſſe, peccatum eſt: ſed ſi quatuor ſunt greſſus, id exceſſum vocato. Sane 1200 *Dirèm ſolvere debet, qui quatuor greſſus abſque Cingulo inceſſerit. Te itaque cuſtodias à peccato, ET CINGULUM ADHIBE ubicunque fueris: NEC OMNINO SINE CINGULO ESTO, id enim in hac religione tibi diſertè dico.* Ejuſdem indutio commendatur Portâ XCVIII. *Si quis ex animo religioni incumbit, Sacerdotibus & Sapientibus miniſterium faciat, CINGULUM INDUAT, & eos adeat* &c. Nec vivi tantùm illud gerere, ſed & moribundi ſemet eodem ad mortem præparare jubentur *Portâ* LXIV. Imò tanti momenti habetur cingulum hoc induere, ut ejus neglectus aliquem damnationis reum facere credatur: Unde in libro *Erdavirâph-nâma* ubi varia ſupplicia infernalia enumerantur, teſte HYDIO p. 400. refertur: *Deinde aliquot paſſus progrediendo, viſus eſt cœtus animarum, quæ omnis generis dolores patiebantur, à feris & leonibus dilaniatæ, à ſanguiſugis & ſerpentibus & ſcorpionibus compunctæ, hæcque QUIA* كستى *CUSHTI SEU CINGULUM NON INDUERANT, & religionem neglexerant.* Ut adeò Cingulum hoc totius Religionis Magorum quaſi ſignum atque teſſera ſit. Unde Novitii eo mediante, Sacris illis ſolemni ritu initiantur, ut in append. ad HYDII *hiſt. Rel. Vet. Perſ.* p. 543. in notatis ex HENR. LORDIO & in eum animadverſis legitur: *Quando aliquis Puer poſt Baptiſmum confirmatur, & tunicâ & Cingulo è pilis camelinis donatus in Religionem admittitur, Sacerdos orat; Ut omnibus diebus vitæ ſuæ Deus efficiat eum verum Aſſeclam Religionis Perſicæ, CUJUS SIGNUM EST TALIS TUNICA ET CINGULUM* &c. Eandem rem clariùs exponit HYDIUS cap. XXVIII. p. 350. *In primo infantum baptiſmate imponitur Nomen: & poſtea anno ſeptimo ut quidam ajunt, vel potiùs anno 15to (quando cenſetur intrare in Religionem) tum adhibitis precibus à ſacerdote datur confirmatio ſolennis. Et eo anno 15to (UT RELIGIONIS TESSERA) eis traditur Sudra ſeu Tunica & CINGULUM, quibus nunquam ne per unum momentum (niſi in lecto ſint) deſtitui non debent,* (rectiùs, deſtitui debent.) & pag. 353. *Pueri & Puellæ*

poſt

Digitized by Google

poſt 15 *annorum ætatem* (*ut ſuprà*) *CINGULUM RELIGIONIS TESSERAM induere incipiunt, & divina Præcepta iis inſtillantur*: conf. & pag. 370. Idem diſertè præſcribitur in libro *Sad-der*, *Portâ* L. *Quando aliquis* 15 *annos natus fuerit, præceptum eſt, ut CINGULUM induat. Sic enim dixit Deſtûr beatiſſimus. A novem menſibus quibus in matris ventre fuit, debet computum ſuum accipere, cùm ſecundùm hujus Religionis Præceptum induturus eſt CINGULUM: Ad* 15 *ergo annos CINGULUM induant tam viri quàm fœminæ; nam ſic eſt dictum Veterum, Cùm Vir aut Fœmina ſit* 15 *annorum, & medium CINGULO non accinxerit, nemo ei det vel aquam vel panem. Et cùm tali perſonæ vetita ſint panis & aqua, cur aliquis ſe ipſum in ſupplicium præcipitet? Cùm itaque Cuſti ſit CINGULI accinctio, quicunque accinctus eſt, Deo gratus erit: quia nullum eſt opus CINGULO tuo melius, & quando es Deo-Juſto moriger, bonum eſt.*

Atque hinc eſt, quòd CINGULUM ACCINXISSE, idem denotet, ac Religioni huic nomen dediſſe, unde in Prooemio libri *Sad-der*, Auctor ejus ait:

که در راه دینت کمر بسته ام
امید از همه خلق بگسسته ام

Nam in viâ Religionis tuæ cingulo me accinxi.
Spem ab omni creaturâ abrupi.

Contra verò CINGULUM ABJICERE vel CONSCINDERE, ſignum eſt deſertionis Sacrorum horum. Memorabilis hanc in rem locus exſtat apud Herbelott. In *Biblioth. Orient.* in voce Agduani. *Il raconte donc* (Sc. Hussain Vaez) *qu' Abdalkhaleck* (Celebris quidam Doctor & Director Sophorum) *ſe trouvent un jour en conference avec ſes diſciples, un jeune homme, qui paroiſſoit par ſon exterieur faire profeſſion d'une vie retirée, ſe preſenta avec une robe de Derviſche, portant ſur ſon bras un de ces petits tapits, qui ſervent aux Muſulmans, pour ſe mettre à terre, lors qu'ils font leur prieres. Il entra avec cet équipage dans la ſale de la conference; & ayant pris ſa place en un coin, il fut pendant quelque tems attentif aux diſcours & aux entretiens, qui ſe faiſoient*

dans cette aſſemblée. En fin il rompit ſon ſilence, & demande au Docteur, qui y preſidoit, l'explication de la ſentence, qui a été rapportée. Abdalkhalek, le reguarda d'abord fixement, puis lui dit ces paroles: Le ſens de cette propoſition eſt, QUE VOUS QUITIEZ LA CEINTURE MARQUE DE VOTRE INFIDELITE *que vous porter ſous la robe de Derviſche, & que vous faſſiez une profeſſion Sincere de la foy. Le jeune homme nia d'abord la choſe; mais ayant été depouillé de ſa robe, & la large ceinture qu'il portoit comme Ghebr, c'eſt à dire Mage de religion & adorateur du feu, venant à paroître, il admira le diſcernement merveilleux que ce Docteur avoit reçu de Dieu,* ET FIT EN COUPANT LUI MEME SA CEINTURE, UNE PROFESSION SOLEMNELE DU MUSULMANISME. *Nôtre Docteur* (ita pergit HERBELOTTUS) *prit l'occaſion d'un fait ſi ſurprenant, pour faire une exhortation pathetique à ſes diſciples, & leur dit entre autres choſes; Venez mes chers Amys, & tenons tous compagnie à ce Neophite,* IL A COUPE LA CEINTURE EXTERIEURE, QUI LE TENOIT LIE A L'INFIDELITE; *& pour nous qui ſommes de puis long-tems éclairez par la foy coupont nos ceintures enterieures, qui nous tiennent attachez à nos mauvaiſes inclinations & à nos paſſions.*

IX.

Nec cuipiam mirum videri debet, homines hos à ſolo CINGULO nomen accepiſſe; præterquam enim quod ejus ratio ex antecedentibus abundè pateat, ubi oſtendimus, Cingulum hoc totius illius religionis præcipuum ſignum & Sanctiſſimam teſſeram eſſe, ipſe uſus id ſatis confirmat. Monuimus enim modo, idem Cingulum aliquando زنار *Zonâr* appellari: ab hac autem voce formatur زنارکي *Zonarki*, id eſt, *Cingulo cinctus*, quo nomine Muhammedani ſæpius religionis hujus aſſeclam inſignire ſolent, unde ſuis præcipiunt بت پرست اوامه ولس زنارکي *Idololatra ne eſto, nec ζωναρὰς aliquis ſeu Zonario cinctus*. vid. HYD. de *Rel. Vett. Perſ.* pag. 371.

X.

X.

Non exigua lux huic argumento inde accedit, quòd & aliàs in Oriente uſitatiſſimum, hominibus à CINGULO, quod gerunt, & quo ſe ab aliis diſtinguunt, nomen indere. Sic inter Chriſtianos, *Neſtoriani*, *Jacobitæ* & *Maronitæ* à certo Cinguli, quo utuntur, genere, *Chriſtiani Cincti* vel *Chriſtiani Cinguli*, aut *à Cingulo* audiunt, ut docet HERBELOTTUS *Biblioth. Orient.* loc. ſupr. cit. *Les Chrétiens d'Aſie furent obligez ſous les khalifes & autres Princes, de porter une ceinture de cuir, auſſi-bien, que les Mages ou adorateurs du feu, mais ceux-ci la portoient beaucoup plus large. Lorsqu'un Chrétien avoit fait quelque action ſcandaleuſe, l'Evêque lui coupoit en public ſa ceinture, & le chaſſoit hors de l'Egliſe. L'ON APELLE AUJOURD'HUY DANS LE LEVANT, CHRETIENS DE LA CEINTURE, ceux qui ſont ou Neſtoriens ou Jacobites, & quelque foy auſſi les Maronites, quoyque ces derniers ſoient Catholiques.* Idem fuſiùs totam rem explicat, atque inſtituti ſimul hujus originem tradit, in voce *Zonnar* his verbis: *Zonnar mot Arabe, Perſien & Turc, qui à été formé du Grec vulgaire ζωνάϱι, corrumpu de celuy de ζώνη. C'eſt une Ceinture de cuir noir, aſſez large, que les Chrétiens & les Juifs portent dans le Levant, & particulierement dans l'Aſie.*

Motavackel dixiéme khalife de la Maiſon des Abaſſides, fut le premier de tous les Princes Mahometans, qui obligea les Chrétiens & les Juifs de porter cette ſorte de ceinture, pour ſe faire diſtinguer d'avec les Mahometans. L'ordonance qu'il fit ſur ce ſujet fut publiée l'an 235. de l'hegire, depuis lequel temps les Chrétiens de l'Aſie, & principalement ceux de Syrie & Meſopotamie qui ſont presque tous, ou Neſtoriens, ou Jacobites, la portent ordinairement. C'eſt ce qui à fait donner le nòm à ces Schiſmatiques, DE CHRETIENS DE LA CEINTURE, La diſcipline des Egliſes de l'Orient ſous les khalifes Abaſſides, étoit encore ſi fort en Viguer, que les Evésques excommunioient les Chrêtiens, quand ils violoient les Canons, & l'uſage étoit pour lors DE COUPER CETTE CEINTURE, à ceux qui étoient ainſi ſeparez par l'Anatheme, lesquels recevoient même quelques coups de cette même ceinture ſur

les épaules, d'où vient que le même mot de Zonnar, ſignifie parmi les Chrétiens d'Orient, ce qui s'appelle parmi nous, la Diſcipline.

Les Orateurs & les Poëtes Orientaux loüent ſouvent leurs Princes au ſujet des Guerres qui font aux Chretiens, qu'ils appellent, Infideles, & lors qu'ils veulent exaggerer leurs victoires; ils ne manquent jamais de dire, qu'ils ont fait taire leurs cloches, & mis en mille pieces toutes leurs ceintures noires.

Quod modo aſſeruit HERBELOTTUS, Chriſtianos in Oriente quondam excommunicationem per conſciſſionem cinguli peregiſſe, ejus rei memorabile exemplum exſtat apud GREGOR. ABULPHARAJ. in *hiſtor. Dynaſt.* in Honaino quodam Medico Chriſtiano in aulâ Chaliphæ Motavackelis, qui cum imaginum cultum aſpernaretur, & aſtu cujusdam Tiphurii, fortunæ ejus invidentis, adactus eſſet, ut in imagines exſpueret, ab eodem mox ad τὺς προεςάτας Eccleſiæ delatus, hoc ritu extra communionem ejus ejectus eſt. Non piget integrum locum adſcribere, præcipuè cùm ex illo in tranſitu pateat, Iconolatriam etiam tum cùm latiſſimè ſerperet, ſtrenuos tamen ſemper oppugnatores nactam eſſe. Ita autem modo laudatus Auctor ſcribit p. 265. ſeq.

الطيفوري النصراني الكاتب يحسد حنينا ويعاديه واجتمعا
يوما في دار بعض النصاري ببغداد وهناك صورة
المسيح والتلاميذ وقنديل يشتعل بين يدي الصور فقال
حنين لصاحب البيت لم تضيع الزيت فليس هذا المسيح
ولا هاولا التلاميذ وانما هي صور فقال الطيفوري ان لم
يستحقوا الاكرام فبصق عليهم فبصق فاشهد عليه
الطيفوري ورفعه الي المتوكل فساله اباحة الحكم عليه
لديانة النصرانية فبعث الي الجاثليق والاساقفة وسيلوا
عن ذلك فاوجبوا حرم حنين فحرم وقطع زناره *Tiphu-*

rius Chriſtianus Librarius invidit Honaino eique infeſtus fuit, & convenerunt aliquando in Domo cujusdam Chriſtiani in (urbe) *Bagdad, & illic erat imago Chriſti & Diſcipulorum, & lucerna accenſa coram imagine. Et dixit Honainus Patrifamilias: Quid oleum perdis? non eſt hic Chriſtus, nec hi ſunt diſcipuli, ſed imago.*

Et

Et dixit Tipburius, ſi non ſunt veneratione digni, exſpue in eos, & exſpuit: & teſtes adbibuit contra illum Tipburius, & accuſavit illum apud Motavackelum: rogavítque ut poteſtatem in illum permittat judicio Chriſtianorum, & miſit ad Catbolicum & Epiſcopum, & interrogati de eo excommunicandum pronuntiarunt, & excommunicatus eſt, ET ZONA EJUS DISSECTA.

De iisdem Chriſtianis loquitur CHRISTOPHORUS HARANT de POLSCHITZ in lectu digniſſimo, licèt paucis cognito, *Itinerario in terram Sanctam*, quod *Norimbergæ* 1678. in quarto linguâ Germanicâ prodiit, cujúsque verba. Part. I. cap. XIII. latinè reddita ita ſonant: *Die Martis, Ægidio Sacro, primo Septembris, tempore matutino, veniebat Interpres ex Ramâ, quem accerſi curavimus, quique Cbriſtianus erat, Ordinis DE LA CINTURA, ID EST DE CINGULO APPELLATI. Magno enim* CINGULO *ſe accingunt, ſecundùm inſtitutum, ut prætexunt, Divi Apoſtoli Pauli, de quo infra & ſuo loco aliquid porrò monebo.* Stetit deinde promiſſis cap. XLVIII. ubi hæc leguntur verba: *Hi Maronitæ (ut jam dictum) variis Nationibus conſtant, atque bi ſunt ſæpius memorati CHRISTIANI DE LA CINTURA, ID EST CINGULI, quia largis Cingulis accincti incedunt.*

Eundem morem cum nomine inde derivato in Ægypto obtinere docet SALOMON SCHWEIGER *Itiner.* Lib. III. cap. 10. his verbis ex germanico quoque in Latinum ſermonem converſis: *Cbriſtiani varii ſunt, quidam Græcæ religionis, reliqui appellantur mediocri idiomate Græco Copbdi id eſt circumciſi, quos Itali appellant CHRISTIANI DELLA CINTURA, SEU DE CINGULO.*

X I.

Atque hinc ratio peti poteſt, cur Chriſtianorum & præcipuè Pontificiorum *Sacerdotes* & *Monacbi* eodem hoc vocabulo כומרים *Cumarim* & *Moniales* כומריות *Cumarijotb* Judæis vulgò appellantur ut in *Nizzacbon Vet.* à WAGENS. in *Tel. igneis Sat.* edito ad Lev. XXII. 24.: שאלה לכומרי המלומדים ומעוך וכתות ונתוק וכרות לא תקריבו ליי : זה אני מקשה למינים

למינים ולכומרים שעושין את עצמן כאותן שמבטלין מפריה ורבייה: *Quæſtio* ponenda כומרים *ſacrificulis doctis proponenda* (Dicitur Lev. XXII. 24.) *Compreſſum aut contuſum aut avulſum aut exciſum ne offertote Domino. Hoc ego objicio infidelibus &* כומרים (*ſacerdotibus*) *qui faciunt ſemet ipſos illis ſimiles, dum à conjugio & procreatione liberorum abſtinent.* Vid & ſeqq. ubi adhuc aliquoties vox hæc eo ſenſu occurrit. & ad Deut. XII. 31. אלא כך הוא הפירוש ששריפה זה הוא פירוש על הכומרי׳ וכומריות שנשרפים בזנות *Verùm hæc eſt explicatio* (loc. ſcilicet Deut. XII. 31.) *quod uſtio hæc reſpicit Monachos & Moniales, qui uruntur libidine.* Et in diſputatione R. NACHMANID. cum Fratre PAULO apud WAGENS. *Tel. ign.* pag. 29. עניתי ואמרתי ברודר פול הכומר פסק הדין לדברי *reſpondi & dixi Broder Paulus pronunciat ſententiam pro verbis meis.* Vel etiam כומרי ישוע *Cumeré Jeſchua* ſeu *Jeſu* in *Manjane Jeſchua* fol. 73. col. 2. loco quem obſervavit EISENMENGER. in *Judaiſmo retecto*, ubi de HELENÂ CONSTANTINI M. matre dicitur. P. I. p. 500. נתפתתה האשה הזאת מהגמוני הנוצרים להאמין בדת ישוע ובתלמידיו והסיתה בנה להאמין בו ולשום צורת ישוע ושתי וערב על ניסו ושיתן כל ארצו ומלכותו רומי רבתא לכומרי ישוע: *In errorem ducta eſt mulier hæc à ducibus Chriſtianorum* (Prælatis, ut reddit EISENMENGER.) *ut crederet in legem Jeſu, & diſcipulorum ejus, & ipſa, incitavit filium ſuum, ut crederet in illum, & poneret imaginem Jeſu & crucem in vexillo ſuo, & ut daret omnem terram ſuam & regnum ſuum, Romam Magnam* לכומרי ישוע *ſacerdotibus Jeſu.*

Vel כומרי אדום *Cumere Edom* ut ex ABARBANELE & *Nizzachon* R. LIPMANN docet EISENMENGER. l. c. p. 502. Exiſtimat quidem SALOMON ZEVI in *Theriacá Judaicá* cap. II. §. 10. etiam hîc vocem כומר occludendi ſignificationem habere, & idcircò de ſolis Monachis uſurpari, qui in cœnobiis concluſi vivunt, cùm reliqui ſacerdotes גלחים *raſi* appellentur, unde & כומר reddit *ein verſchloſſener.* vid. quoque ELIAM LEVIT. in *Thisbi.* Sed fallitur, quia non de ſolis monachis, ſed & quibusvis ſacerdotibus Chriſtianis adhiberi ſolet, ut rectè obſervat WULFERUS in *Animadv.* ad h. l. quamobrem & univerſus Clerus כומרות

Digitized by Google

כומרות *Cumaruth* dicitur, & ipſis *Præſulibus*, non ſolis *Abbatibus* (ut minùs rectè aſſerit SAM. FRIDER. BRENTZIUS in libro, quem inſcripſit, *Den Jüdiſchen abgeſtreiften Schlangenbalg* cap. II.) quin & EPISCOPIS nomen כומרים *Cumarim* datur, כה׳ כת׳ voce אפיפיורוס *Papam Romanum*, ראש כומרים *Roſch* ſeu *caput* ꝑ *Cumarim* & R. MOSCHE DE MIRCADO eundem הכומר הגדול *Cumar Magnum* vel *Maximum* appellat. v. EISENMENG. loc. adducto. Huc quoque ſpectat locus R. ISAAC in *Chiſſuk Emunah* apud WAGENS. *Tel. ign.* pag. 65. לפי שכל האומות הנצרים ובראשם הרומיים הכתוב קורא אותם בכל מקום אדום או בת אדום מצד שקבלו אמונת ישו הנצרי ע״י כומר אדום וע״ש אפיפיורוס הראשון וסיעתו שהיו מאדום: *Propterea quod omnes gentes Nazarenorum* (Chriſtianorum) *& inter illas præcipuè Romanorum Scriptura ubique appellat EDOM vel FILIAM EDOM, quia receperunt fidem Jeſu Nazareni per manus CUMAR EDOM & propter Papam primum & ejus conſortium, qui fuerunt ex Edom.* Vera autem ratio hujus denominationis eſt, vel quia Chriſtiani in Oriente, ut commat. præced. viſum, cingulis, quæ gerunt, ab aliis diſtinguuntur, vel quia idem à Sacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, ut quondam à *Magis Orientis*, inter alias veſtes ſacras geſtatur. Unde *Annales Anianenſes*: *Unam verò partem ſibi reſervavit, quam dedit Benedicto Abbati S. Anianenſis archiſterii, videlicet Crucis Dominicæ cum gemmis, Bracteas aureas contextas cum gemmis, BALTEOS AUREOS ſimiliter gemmatos, calices aureos* &c. & ALCUINUS lib. *de Offic. Divin. Sequitur ZONA, quæ cingulum dicitur, quâ reſtringitur poderis.* Et quia pro antiquioribus balteis Zonæ recentiores ab Eccleſiâ Romanâ introductæ, hinc *Zonæ Romanæ* appellantur: *Pro Balteo*, ait idem ALCUINUS lib. cit. *nunc ZONARUM, QUAS ROMANAS appellant, uſus receptus eſt.* Quin & Papa Romanus, quando conſecratur, *BALTEO PRÆCINGITUR cum ſeptem inde pendentibus clavibus*, ut ANONYMUS in *vitâ Paſcal.* II. teſtatur, quòd ad imitationem Pontificis Maximi Judæorum, cujus ſimiam perpetuò agere Romanus geſtit, introductum videtur, qui veſtium Pontificalium cingulíque indutu à Moſe inaugurabatur. Lev. VIII. 7. Imò ut

§. X. audivimus, in Oriente Chriſtianos baltei exutione & diſſe-ctione excommunicatos eſſe, ita & Sacerdotes ejusdem ademptione exauctorari ſoliti, unde *balteum auferre* pro *degradare* uſurpatur apud Aimonium Lib. III. *hiſt. Franc.* c. 63. Quâ in re Pontificii, ut in multis aliis, Veteres Romanos ſecuti videntur, apud quos uti milites in ſignum militiæ balteos aut cingula gerebant, unde & *cingulum* pro *militia* ipſâ, & *cinctus* aut *accinctus* pro *milite* ponitur, & *cingulum ſumere* vel *ponere*, eſt militiæ nomen dare, aut ab illâ diſcedere, ita contra cui ordo & dignitas militaris eripiebatur, illi in ſummæ ignominiæ ſignum *cingulum adimebatur*, quare & *diſcinctus* pro *inhabili* ad militiam dicitur. Quæ cùm in vulgus nota ſint, illis non immoramur. Qui interim plura de balteis Sacerdotum Romanæ Eccleſiæ cognoſcere vult, adeat Carol. du Fresne in *Gloſſar.* in voc. *Baltheus* & *Zona*, cui & loca modo adducta debemus. Sic igitur Chriſtianorum *Monachi* & *Sacerdotes*, apud Judæos commune cum Magis Orientis, *Cinctorum* nomen gerunt, quia æque ac illi Cingulo inter alia ſacratiora veſtimenta utuntur, eadem ratione uti Judæi illos æquè ac Turcarum, imò & gentium Sacerdotes à raſo capite גלחים, *raſos* appellant, qui titulus cum altero כומרים ſæpius quoque conjungi ſolet. v. Eisenmeng. l. c. pag. 502 ſeqq. & conf. loca apud eundem cap. XI. p. 532. ſeq. Nec dubitandum Chriſtianos hos Monachos & Sacerdotes à cingulo ſeu Zonâ, non minùs quàm Magos nomen כומרים accepiſſe, quia idem ZONATORUM titulus etiamnum in Oriente utrisque datur. Sic Nim. Laud. Turcice refert, apud Hydium de *relig. Vett. Perſ.* cap. XXX. pag. 371.

زنار كافر قوشغي واول بر قوشقدر كه اون
ايكي يرده دكومي اولورمش كشيشلر قوشانرلرمش
هر كمسه اول بر قوشغي قوشنسه شريعت انك
كفرنه حكم ايلر ومجوسيلر ونصرانيلر مذهبنه دخي ديرلر

i. e. Hydio interprete: *Zonnár eſt Infidelium Cingulum, tale ſc. quod in* 12. *locis nodos habet, quo Sacerdotes* (ſc. Monachi) *cingi ſolent. Lex autem* (Mohammedana) *de infidelitate adjudicat* (dam-

(damnátve) *quemvis tali Cingulo cinctum. Sic etiam vocatur MAGUSÆORUM ET CHRISTIANORUM SECTA ſc. ZONATI.*

XII.

Licèt autem Judæi recentiores in explicatione nominis כמרים erraverint, dum illud de *nigris veſtibus* vel *occluſione* explicuerunt, quòd ad rem ipſam tamen attinet, MAGOS IGNICOLAS per illos intelligi debere, nobiſcum, ex antiquiori procul dubio traditione, agnoſcunt, unde hodiernos Perſarum Ignicolas eorúmque Sacerdotes appellant כומרים. Ita R. MORDECHAI NATHAN in *Aruch*, voc. חבר ait: שהיו פרסיים קורין לכומרים חברים *quia Perſæ appellant Cumarim, Chaberim*, & DAVID DE POMIS in eadem voce חבר כומר פרסיי id eſt, ut ipſe italicè explicat: *Sacerdote ſecondo la legge Perſiana*: & AUCTOR *En Miſchpat* ad *Talmud Babylonic.* SCHABBAT fol. 11. a. והרבי יעקוב מפ׳ דחברים היו משרתים מפרסיים חומה (rectiùs דומין ut ex ſenſu & loco in KIDDUSCH. f. 72. a. quò hîc loci reſpicitur, patet) למלאכי חבלא לפי שלובשי׳ בגדי׳ שחורים ורחבי׳ והיינו דשקל הכומר שרגא להביא לע״ז שלהם *& R. Jacob interpretatur, quòd Chaberim ſunt MINISTRI INTER PERSAS, ſimiles angelis perditoribus* (malis), *quia induti ſunt veſtibus nigris & amplis, & hoc eſt* (quod dicitur in GITTIN fol. 17. a.) *quòd abſtulit Cumar lucernam, ut eam deferat ad cultum ipſorum peregrinum.* Ex quo loco diſcimus: Primò חברים eſſe *Perſarum Ignicolarum Sacerdotes*, deinde, eoſdem eſſe cum כומרים, unde כומר & חברא hîc permutantur, nam in *Gemara* GITTIN l. c. unde verba ultima adducuntur, dicitur חברא שקלא לשרגא pro quo AUCTOR *En Miſchpat* habet שקל הכומר שרגא. Denique & hinc forſan ratio peti poſſet, cur Judæorum plurimi vocem כמרים de *ſacrificulis nigrigerulis* explicuerint. Scilicet utuntur vulgo Ignicolæ hi *tunicâ fuſcâ* ſeu *ſubrufâ*, aut *lutei coloris.* CHARDIN *Voyage en Perſe* T. IX. p. 134. 135. *Ils 's habillent de toile ou d'etoffe de laine & de poil de Chevre aimant la couleur brune, ou feuillemorte, comme étant peut-être la plus conforme à leur con-*

condition. v. & Thevenot. *Itiner.* P. II. Lib. II. c. XIV. Eundem habitum Sacerdotibus tribuit Hyde de *Rel. V. Perſ.* cap. XXX. p. 369. *Zoroaſtris ipſius adeòque Sacerdotum omnium veſtis erat* صدرة *Sudra SUBRUFA*-eáque *laxis manicis, ut bodiè.* Minus rectè tamen inde כמרים quaſi *nigrigeruli* appellantur, cum color fuſcus ſeu ſubrufus à nigro differat, nec כמר colorem nigrum denotet, ut ſupra oſtenſum, & Sacerdotes aliquando, ne quidem fuſcis hiſce, ſed candidis veſtimentis uti ſoleant. *Et ſacra facturi* ait Hydius lib. cit. cap. XXVII. pag. 344. *circumſtant populi corde tantùm orantes & muſſitantes. At Sacerdos indutus ALBA; & pileo aurito, & ore velato paulo propiùs accedit* &c. Unde & Diogenes Laërtius illis *candidum veſtitum* tribuit, in *Proœm. Segm.* VII. Τούτων δὲ ἐσθὴς μὲν λευκή· στιβὰς δὲ εὐνή. *Horum quidem veſtis candida: lectus autem bumus.* Quod Hydius tamen ad ſolos *Magos* in *Indiá* reſtringit pag. 20. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Rectiſſimè autem ſupra citati Judæorum Magiſtri חברים *Chaverim* pro Perſis Ignicolis eorúmque inprimis Sacerdotibus habent, eſt enim vox hæc eadem cum گبر *Ghebr*, aut *Guebr* vel *Gabr*, quo nomine Ignicolæ populis Orientalibus perpetuò appellari ſolent, unde Musladinus Sadi in *Roſario Politico* in init. ait:

اي كريمي كه از خزانه غيب
گبر وترسا وظيفه خور داري

id eſt Gentio Interprete,

> *O benefice Deus, qui ex theſauro recondito,*
> *Ignicolis & ſimulacrorum cultoribus vitæ ſuſtentationem*
> *præſtas.*

Hinc *Suburbium* Urbis *Iſpahan*, quod ipſi ſoli inhabitant, گبر اباد *Guebr-Abad* ſeu *Guebrorum habitatio*, & Lingua eorum زبان گبري *Lingua Guebrica* appellari conſuevit, vid. Hyd. cap. XXVIII. & XXIX. & Gent. *in not. ad* Muslad. Sad. loc. adductum. Hi ſunt, qui Europæis dici ſolent *Ghe-*

Gbebri vel *Guebri*, Veterum Perſarum reliquiæ, igníſque cultores. GHEBR teſtatur HERBELOTT. *Bibliotb. Oriental.* h. v. *Mot Perſien, qui ſignifie particulierement un* ZOROASTRIEN, *un* ADORATEUR DU FEU, *& celui enfin qui fait profeſſion de l'ancienne Religion des Perſes:* & paulò poſt: *Ces* GHEBRES *ſont les mémes que les* MAGIOUS, *d'ou vient nôtre mot de Mage, que nous n'attribuons cependant qu'à leurs Pbiloſopbes, & à leurs Docteurs.* Atque hinc rectè COHEN DE LARA in כתר כה׳ voce חבר ſupra adductam R. MORDECHAI & aliorum ſententiam ex hodierni hujus nominis collatione confirmat: נהגאו׳ פי׳ כומר פרסי · והוא דעת ר׳יעקוב שם בתוס׳ חברים הם משרתי הפרסיים כ״ל הכומרים שלהם וכן מוכח ממרה שאמרו (בגיט׳ יז) אתא חברא שקל שרגא מקמייהו להביא לע״ז שלהן ולקיים דעת הגא׳ אומר כי אחבר ב״ח נקודה בלע״ עניינו כומר הפרסיים: *Et excellens* (R. MORDECHAI NATHAN, Auctor Libri *Arucb*) *explicat* (vocem חבר) *Cumar* (Sacerdos) *Perſa: & bæc eſt ſententia R. Jacobi ibidem in Toſapbot*, (dicentis) *Cbaverim ſunt Miniſtri Perſarum, quaſi diceret Cumarim* (Sacerdotes) *ipſorum, atque ita arguit ex eo, quod dicunt* (in GITTIN fol. 17.) *venit Cbaver abſtulit lucernam à facie eorum, ut eam deferat ad cultum ipſorum peregrinum* ——— *& ad ſtabiliendam ſententiam excellentis* (R. MORDECHAI NATHAN) *dico, quòd* אחבר *Acbabr cum* ח *punctato in linguâ peregrinâ denotat Cumar* (Sacerdotem) *Perſarum.* Scilicet אחבר dicit pro אלחבר literâ ל in articulo אל ut ſæpius fit, omiſſâ, الكبر *Alchabr*, autem Perſis eſt Ignicola, Magus, ut modo oſtendimus. Verè itaque CHARDIN *Voyage en Perſe* pag. 602. cit. ait: *Dans la Langue Hebraique le mot de Cbavar ſignifie auſſi les Sacrifiteurs des Perſes, & les Perſes eux-mémes.* Aliquando חבר mutato ב in ו appellatur گور quod nonnulli *Gbavr*, alii *Gbûr*, Turci *Gbiaur* pronunciant, unde iidem *Gbebri* hodie quoque multis *Gauri* vocantur. vid. HYD. loc. add. & RELAND. de *Perſicis Talmud. Diſſ. Miſcell.* Tom. II. p. 297.

XIII.

Nec Judæi tantùm כמרים Magos ſeu Ignicolas eſſe agnoſcunt, ſed & ejuſdem rei antiquiora adhuc veſtigia in nomine urbis אור כשרים, *Ur Chaldæorum*, unde Abrahamus Dei juſſu egreſſus eſt, ſuperſunt. Cui enim ignotum eſt, hanc *Camarinam* dictam? ex teſtimonio Scriptoris antiquiſſimi Eupolemi, apud Eusebium *Præpar. Evangel.* Lib. IX. δεκάτῃ δὲ γενεᾷ, ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην, εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην Χαλδαίων πόλιν, *decimâ verò generatione, in urbe Babylonia CAMARINA, quam quidam appellant urbem Uriam, ſignificare autem Chaldæorum urbem.* Cùm autem in Chaldæâ non minùs, quàm in Perſiâ cultus ignis antiquiſſimis temporibus viguerit, ut in ſequentibus adhuc videbimus, & ipſum urbis hujus nomen אור, quod *ignem* denotat, non obſcurè oſtendat, eum illic præcipuam ſedem habuiſſe, tum quoque vox כשרים ſeu Chaldæorum non ſolùm de gente, ſed maximè de *Magis* uſurpetur, ut dudum Viri Docti oſtenderunt, & nos infra docebimus, hinc quando urbs Camarina dicta, vox autem hæc, ut ipſe Eupolemus eam explicat, *Chaldæorum urbem* denotat, vix dubium reſtat, eam à כמרים ſeu *Magis Ignicolis*, nomen hoc accepiſſe, hósque adeò jam antiquiſſimis temporibus eodem notos fuiſſe. Rectè Summus Scaliger *in not. ad fragm.* pag. 12. ad Eupolemi loc. laudatum ait: *Manifeſto Urien illam, quam Moſes Ur Chaldæorum vocat, dictam fuiſſe Camarinem; idque eſſe Chaldæorum urbem. Pro Chaldæis intellige Sacerdotes aut Philoſophos, qui dicebantur* כמרים *Camarim.* Conf. quoque Franc. Viger. ad locum adductum Euseb. & Heidegger. *Hiſtor. Patriarch.* P. II. *Diſſert.* III. §. 5.

XIV.

Sed quid opus eſt, peregrina teſtimonia diligentiùs conquirere, cùm ex ipſis Scripturæ Sacræ locis, in quibus כמרים *Cemarim* mentio fit, idem non obſcurè pateat. 2. *Reg.* XXIII. recenſentur omnis generis Idololatræ, quos cum omni falſorum cultuum apparatu Rex Joſias abolevit. Inter illos autem inprimis

mis dicitur vſ. 5. והשבית את־ הכמרים אשר נתנו מלכי יהודה ויקטר בבמות בערי יהודה ומסבי ירושלם ואת המקטרים לבעל לשמש ולירח ולמזלות ולכל צבא השמים *& abolevit CEMARIM, quos conſtituerunt Reges Judæ, ut adolerent in excelſis in urbibus Judæ & circuitu Hieroſolymæ, & illos, qui adolebant Baali & Soli, & Lunæ, & Planetis, & omni exercitui cœli.* In quibus verbis duplicis generis peregrinus cultus memoratur, alter τῶν Cemarim, qui conſtituti, ad id ut adolerent in celſis, alter eorum, qui adolebant Baali, Soli, Lunæ, Planetis & exercitui reliquo cœli ſeu ſtellis. Ubi per poſteriores procul dubio intelliguntur Sabii, aut qui eorum inſtituta ſequebantur. Hi enim propriè Deum quidem Summum בעל *Baal* ſ. Dominum, ſed ſimul etiam Solem, & reliqua coelestia sidera coluerunt, unde & multi à צבא השמים *exercitu cœlorum* eos צבאים *Zabaim* vel צב״ים *Zabios* dictos volunt, vid. Maimonid. *More Nevoch.* P. III. cap. XXIX. ſeqq. & Hyd. *de Rel. Perſ.* cap. I. III. & V.

Ab his itaque æquè ac ab idololatris, qui in ſequentibus fuſius recenſentur, cùm diſtinguuntur illi, qui nudè tantùm in celſis adoleviſſe dicuntur, nullo addito, vel Solis aut Aſtrorum, vel ullius Idoli nomine, manifeſtum eſſe exiſtimo, non Idololatras aut Cœleſtium ſiderum cultores, ſed tales, qui verum Deum hac ratione in celſis colere volebant, indigitari. Hos autem non facilè quis, ſi à Magis diſceſſerit, in univerſo Oriente oſtendet, at illis deſcriptio hæc omni ex parte convenit. Hi enim non niſi Unum Verum Deum, cœli terráeque Dominum, jam antiquitùs agnoſcebant colebántque, & etiamnum colunt, nec tantùm à ſignis & ſtatuis omni tempore abhorrebant, ut mox docebimus, ſed & licèt nimiam Soli, Lunæ, atque igni venerationem exhiberent, hæc tamen nullo modo ut Deos coluiſſe aut adoraſſe, *ſed omnes preces ſuas direxiſſe immediatè ad Deum omnipotentem* cenſendi ſunt, ut ex eorum non ſolùm libris, ſed & relatione illorum, qui ipſos hac de re propiùs conſuluerunt, docet Hydius per totum fere Librum ſæpius laudatum, & inprimis cap. I. IV. VIII. & IX. Nec obſtat quòd nonnulli

Vete-

Veterum illis plurium Deorum, quin & cœleſtium ſiderum cultum tribuunt, quia illi vel mores eorum non ſatis perſpectos habuerunt, vel de talibus locuti ſunt, qui Sabaiſmo erant inquinati, ut idem Auctor luculenter ſatis oſtendit.

Præcipua autem cultûs eorum pars in eo ſita eſt, quòd ut Scriptor ſacer teſtatur, ſunt מקטרים. Sive enim verbum קטר hîc generatim pro *incendit*, *ſuffumigavit*, ſive ſigillatim pro *ſuffitum adolevit*, ſumas, rectiſſimè in magos Ignicolas quadrabit. Accenſio enim & nutritio perpetui ignis, præcipua univerſi cultûs ipſorum cerimonia eſt. Hic non minori curâ quàm quondam Veſtalis apud Græcos & Romanos, in omnibus illorum Eccleſiis, & conventibus, decorticatis lignis alitur, coram illo preces ad Deum fundunt, & quæ id genus plura ſunt, unde & calumnia, quòd ignem ut Deum colerent, nata eſt. v. Hydium cap. VI. VII. VIII. IX. XXIX. & Samuelis Tennulii *Diſſertat. de Igne* cap. IX. Quod ſi malis verbum קטר de *adolitione ſuffitûs* ſumere, & hic ritus eſt in ſacris eorum ſatis uſitatus, unde in libro *Erdavirâph-nâma* dicitur:

> *Stragula pulchra margaritis intertexta ſtraverunt,*
> *Suffitus & odores quaquaverſus ſparſerunt.*

ut contra Brissonium docet Hyde cap. III. & IV. apud quem vide hanc in rem plura. Huc quoque facit locus Curtii Lib. V. cap. I. *Argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, quæ non thure modo, ſed omnibus odoribus cumulaverat*, ubi Savero in not. *Thure enim Perſas Diis ſuis ſacrificaſſe ex Sidonii Carm.* II. 88.

> *Fudit thuricremis carcheſia cernuus aris.*

Et hoc loco clarum eſt, quod tamen Briſſonius ſe legiſſe non meminit, Lib. II. *de regno Perſarum.* Nota hîc inſuper in tranſitu, Curtium *thus & odores*, eadem planè ratione, ut modo citatus Liber Perſicus, *ſuffitus & odores* memorat, conjungere. Denique & illis convenit, quod in celſis adoleverint, quia ſacra ſua præcipuè antiquiſſimis temporibus in montium jugis peragere ſoliti fuerunt, θύουσι δὲ ait Strabo Lib. XV. edit. Almelov. p. 1064. ἐν ὑψηλῷ τόπῳ *ſacrificant autem in loco excelſo.* Et licèt poſt Zoroastrem ad ejus imitationem antra quoque ſubirent, nihi-

nihilominus tamen ſimul montium juga retinuerunt, ſnque illis etiam Pyrea ſtruxerunt: *Adeò ut omnes*, inquit Hydius p. 16. & 18. *poſtea non tantùm in SUMMIS MONTIUM JUGIS, antiquiſſimo more, Deum colerent, ſed & ſubinde illius exemplo, ſacra ſua Mithriaca in tali Antro præſtare & peragere didicerunt.* Et paulò poſt: *At montium jugis & Antris Mithriacis poſtea tandem pro cultu divino ſuperaddita ſunt Pyrea — Et ſanè talium Pyreorum pleraque in editioribus locis & ſummis MONTIUM JUGIS eminebant, primitivo mori eo ſitu conformia.*

Notam quoque meretur conjunctio ☌ Cemarim adolentium in celſis, & eorum qui adolent Baali, Soli &c. quia Magi multa cum Zabiis communia habebant, & licèt ut modo monuimus, illi Cœleſtia ſidera divino cultu non afficerent, nimiam tamen venerationem illis exhibebant, unde à Scriptoribus haud raro cum Zabiis confunduntur, imò ſæpiùs factum eſt, ut Magi ad religionem Zabiorum, & Zabii contrà ad illam Magorum tranſirent, aut alterius ſectæ aſſeclæ, placita & inſtituta alterius adoptarent, ut docet aliquoties citatus Hydius cap. I.

Idem confirmat locus Zephan. I. 4. ubi prædicitur, quod 2 Reg. XXIII. per Regem Joſiam impletum legitur. Interminatur illic Deus, ſe exciſurum *Cemarim cum Sacerdotibus, & qui in tectis ſe incurvant exercitui cœlorum, & qui incurvant ſe & jurant per Jehovam & per Malcom:* ubi quemadmodum per Sacerdotes commodiſſimè intelliguntur Sacerdotes Idololatrici, per eos, *qui jurant per Deum & Malcom*, illi, qui cultum veri Dei cum cultu Idololatrico conjungebant, per *incurvantes ſe in tectis exercitui cœlorum*, Zabii, ita Cemarim, quos ab his omnibus diſtinguit Sacer Scriptor, rectiſſimè de Magis, aut eorum Doctrinam ſequentibus, accipiuntur, qui verum quidem Deum, ſed ſuperſtitioſis & ab ipſo proſcriptis ritibus (*adolentes*, ut ex 2. Reg. XXIII. vidimus, *in celſis*) colebant.

Contrarius autem nobis primâ fronte videtur tertius locus Hos. X. 5. quia illic *Cultores* aut *Sacerdotes Vitularum aurearum*, quarum altera in urbe Bethel, quam idcircò ironice בית און

Beth aven, *domum iniquitatis* dici volunt, erat, nomine Cemarim venire videntur. Verùm ſi vel maximè eo ſenſu verba ſumenda eſſe ſtatuamus, nihil inde ſequeretur, quàm quòd vox כמרים, quæ propriè Magos denotat, ad Sacerdotes hos idololatricos transferatur, ſive id ob eandem rationem fiat, ob quam aliàs vox ſpecialior, generaliori ſenſu nonnunquam uſurpatur, ſive etiam hi Sacrificuli in externo habitu aliquid cum Magis commune habuerint, unde & eorum nomen non incommodè gerere poſſent. At ſi locus ritè examinetur, vix tamen is ſenſus Prophetæ eſſe videtur. Non inquiram jam, utrum vox עגלות hîc rectè ſatis de vitulis aureis accipiatur, cùm hi aliàs ſemper in maſculino genere עגלים appellentur, nec uterque eorum, ſed alter tantum in urbe *Betbel*, alter in *Dan* fuerit, & poſterior jam diu ante per Tiglat Pileser in Aſſyriam deportatus ſit, ut Judæi teſtantur in *Seder Olam Rabba*, cap. XXII. Quicquid autem eâ de re ſit, id ſaltem patere puto, relativum ו in vocibus עליו, עמו, כמריו, כבודו & ממנו non poſſe referri ad עגלות, ut vulgò fieri ſolet, quia עגלות eſt fœmininum plurale, ו autem affixum ſingulare maſculinum, ut adeò duplex hîc ſtatui deberet enallage numeri & generis, & illa quidem quinquies repetita, quod ſine ſummâ neceſſitate admittendum non eſt. Deinde, ſi ו ad עגלות referatur, atque adeò כמרים *Cemarim* habeantur pro Sacerdotibus Vitulorum, longè major oritur difficultas, quâ ratione ſcilicet dici queat, quòd populo ob hujus Vituli ablationem & deportationem in Aſſyriam lugente, Sacerdotes ejuſdem gaudio ſint exſultaturi, cùm hi certè in hac idoli ſui jacturâ, maximum damnum paſſi eſſent, maximámque adeò luctûs materiem accepiſſent. Viderunt hoc incommodum dudum Interpretes, unde verba ita explicuerunt, quòd Sacerdotes, qui quondam ſuper illo exſultaverant, nunc unà cum populo in luctu conſtituendi ſint. Sic R. S. J. כי אבל עמו וכמרין אשר עלין יגילו תמיד עתה יאנלו על כבודו כי גלה *quia luget populus ejus & ſacrificuli ejus, qui ſuper illo perpetuò exſultabant, nunc lugebunt ſuper gloriâ ejus, quia migravit*, & R. D. K. וכמריו

Digitized by Google

וכמריו עליו יגילו' כמריו הם כהניו המקריבים עבודתו שהיו מתחילה ששים ושמחים עליו עתה יאבלו בגלות כבודו ממנו *Cemarim ejus exſultabunt: Cemarim ejus ſunt Sacerdotes ejus, peragentes cultum ejus, qui ab initio lætabantur & gaudebant ſuper illo, nunc lugebunt, dum gloria ejus ab eo migrat.* Ita quoque ABARBANEL cum pleriſque Judæorum æquè ac Chriſtianorum Commentatoribus. Verùm hujus Interpretationis veſtigium nullum in textu apparet, nec in illum niſi per duriſſimam ellipſin & novam enallagen temporis in verbo יגילו intrudi poteſt, cùm propriè verba ſonent, *quia luget ſuper illo populus ejus, &* (vel *at*) *Cemarim ejus ſuper illo gaudebunt,* (*nempe*) *ſuper gloria ejus, quia migravit ab illo.* Aliud JUDÆORUM commentum, cujus GROTIUS ad h. l. meminit, quòd Sacerdotes pro aureis Vitulis æneos deauratos ſubſtituerint, quódque populo, qui aureos deportatos credebat, hanc jacturam lugente, Sacerdotes fraudis conſcii, in ſinu gaviſi ſint, non moramur, cùm ejus ne vola quidem in univerſo codice ſacro reperiatur, nec titulus כבודו *gloria ejus*, in vitulos tales ſubſtitutos, ſed in ipſa potiùs idola, divino honore culta quadret, ut adeò non immeritò pro gloſſemate in *Rabbinorum* cerebro nato, & ad tollendam difficultatem, quam tetigimus, excogitato, haberi debeat. Ad nos itaque quod attinet, exiſtimamus affixum ו referri potiùs debere ad בית און *Beth aven*, hac enim ratione omnia, ſine ullâ enallage numeri, generis, aut temporis, & ſine ullâ ellipſi, optimè fluunt: *Quoniam luget ſuper illo*, (Sc. Bethaven) *populus ejus, &*, *Cemarim ejus ſuper illo exſultabunt*, (nempe) *ſuper gloriâ ejus*, (Vitulo ſcil. aureo Bethelis culto, & jam in Aſſyriam deportato) *quia migravit ab illo.* Nec obſtat quòd nomina Urbium, ut in aliis linguis, ita quoque apud Hebræos plerumque ſint fœminina, alia enim ratio eſt illorum, in quibus vox בית *Beth* occurrit, hæc enim cùm maſculini generis ſit, etiam in urbium nominibus in quæ influit, idem ſæpiſſimè genus ſervat. Ita בית לחם *Bethlehem* cum pronomine, adjectivo & affixo maſculino conſtruitur Mich. V. 1. וְאַתָּה בית-לחם אפרתה צָעִיר להיות באלפי יהודה מִמְּךָ לי יצא וגו' & ipſa vox ביתאל pro quâ hîc loci

loci בית און poni interpretes cenſent, cum tertiâ perſonâ maſculinâ יהיה Amoſ. V. 5. כי הגלגל גלה תגלה ובית אל יִהְיֶה לאון Hinc itaque *Cemarim ejus*, non ſunt Sacerdotes Vitulorum, ſed eodem potiùs ſenſu, quo vocem alibi uſurpari vidimus ,Magi Ignicolæ, in Bethaven aut Bethel ſacra ſua, adolendo in Celſis, peragentes: neque enim Jerobeam cùm peregrinum cultum inter X. tribus introduceret, tantùm Sacerdotes Vĭtulorum, ſed & aliorum ſacrorum inſtituit, ut legitur 2 Chron. XI. 15. ויעמד כהנים לבמות ולשעירים ולעגלים אשר עשה *& conſtituit Sacerdotes pro CELSIS, & hircis, & vitulis, quos fecit.* Quòd ſi hac ratione verba ſumantur, ratio patet, cur ob deportationem Vituli aurei, quæ populo Beth aven tam luctuoſa erat, Cemarim contra ſeu Magi Ignicolæ ſexſultaturi eſſent. Nihil enim Magi minùs ferre poterant, nihilque graviùs deteſtabantur, quàm cultum imaginum. Unde Diog. Laert. in *Proœm.* §. 6. eos τῶν ξοάνων καταγινώσκειν. *Statuas repudiare* ſcribit, & Herod. Lib. I. cap. CXXXI. Ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι. *Statuas quidem & templa & aras moris non eſt exſtruere.* Et Strabo Lib. XV. edit. Almelov. p. 1064. Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται, *Perſæ igitur ſtatuas quidem, & aras non erigunt.* Ubi tamen quod de aris & templis dicitur non ſine limitatione accipi debet, antiquioribus enim temporibus id quidem verum fuit, ſed tractu temporis aras quoque igni alendo & Πυρεῖα, quæ templorum rationem habent, omninò ſtruxerunt. Quis igitur non videt, vix majorem gaudii cauſam Magis omnibúsque illorum ſacris addictis, dari potuiſſe, quàm quando celeberrimum illud idolum, Vitulus Bethelicus, ab hoſtibus abduceretur, inprimis, quia deportabatur in Assyriam, munus Regi Jareb, ut ſtatim vſ. 6. ſubjungitur, & populus ſimul in Mediam & vicinas regiones transferebatur, hæc enim erant loca, ubi cultus ignis quàm maxime vigebat, & ubi non ipſi ſolùm eidem liberiùs vacare poterant, ſed & ſpes affulgebat, reliquos Iſraëlitas exſtirpatâ præcipuâ eorum idololatriâ ad illum faciliùs tranſituros eſſe. Quicquid autem de hoc Hoseæ loco ſit, quem quoad literam inter difficillimos totius Libri eſſe, fateor, id ſaltem ex hactenus

Digitized by Google

nus demonſtratis, niſi me omnia fallunt, patere exiſtimo, nomen כמרים, ſi vel maximè aliquando latiori ſenſu de aliis Sacrificulis idololatricis uſurparetur, propriè tamen Ignicolis competere. Quòd ipſum licèt, quantùm ſcio, à neminè demonſtratum, multò minùs vera appellationis hujus ratio oſtenſa ſit, non tamen planè Virorum Doctorum aciem fugit. De Magis Orientalium hîc quoque Celeb. MILLIUS cogitavit *Diſſ. Sel.* loc. ſupra jam tacto, & JURIEU loc. ſupra adducto aſſerit *Cemarim* eſſe forſan SACERDOTES IGNIS, ſed dubius hac in re manet, imò eosdem ſimul cum ZABIIS, & aliis idololatris confundit.

X V.

Quæret autem forſan aliquis, cùm in antecedentibus oſtenſum ſit, Cingulum à quo *Cemarim* nomen ferunt, tam Sacerdotibus quàm omnibus Ignicolis commune eſſe, quinam propriè in Sacris literis locc. allatis voce hac intelligantur? Verum ſciat is, nomen quidem utrisque competere, quemadmodum & hodienum promiſcuè tam Sacerdotes, quam omnes religionis hujus aſſeclæ Orientalibus populis *Zonati* audiunt, ut §. IX. viſum, ſed κατ᾽ ἐξοχὴν tamen Sacerdotibus eorum dari, unde in *Lexico Syro-Arabico* ܟܘܡܪܐ *Cumro* explicatur اكبر خادم الله *Chabr Servus* ſ. miniſter *Dei*, non ut *Celeb.* LE MOYNE in *diſſert. de Melanoph.* p. 266. reddit *Servus Domus Dei*, خادم enim cum خ *famulum*, *miniſtrum* denotat, quare & Sacerdos Magus appellatur خادم اتشكده *Famulus* ſeu *Miniſter Pyrei* apud HYD. pag. 264. atque hinc ex vocibus خادم الله *Chadam illa*, *Miniſter Dei*, in unam contractis, Græcorum & Latinorum *Cadmillus*, pro quo plerumque *Camillus* dicitur, natum, quo nomine non ſolùm apud Romanos ingenui pueri, qui Sacris miniſtrabant, ſed & apud Hetruſcos ipſe MERCURIUS, quòd *Deorum miniſter* eſſet, appellabatur, ut docuit LE MOYNE loc. cit. Quin & apud Syros idcirco ܟܘܡܪܐ *Cumro*, de quibuscunque Sacerdotibus ſine diſcrimine, veris æquè ac falſis, imò in *verſione ſyriacâ Epiſtolæ ad Hebraos*

bræos de ipſo Summo Pontifice τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Chriſto uſurpatur, ut obſervat EISENMENG in *Judaiſm. retecto* P. I. cap. X. pag. 500.

Quæ cùm ita ſint, dubitari nequit, locis adductis SACRORUM inter Ignicolas ADMINISTROS præcipuè intelligi, quia Cemarim Hoſ. X. 5. à populo diſtinguuntur, & Zephan. I. 4. cum aliis Sacerdotibus conjunguntur, imò 2 Reg. XXIII. 5. ad id à Regibus Judæ conſtituti dicuntur, ut in celſis adolerent, quæ phraſis propriè de Sacerdotibus aut miniſtris Sacrorum adhiberi ſolet. Nec inſolens eſt, ut idem nomen, quod aliàs omnibus Religionis alicujus aſſeclis datur, κατ' ἐξοχὴν Sacrorum Antiſtitibus tribuatur, imò in aliis eorundem Ignicolarum nominibus ejus rei exempla non deſunt. Audivimus illos ſupra §. XIII. omnes quidem ſine diſcrimine *Guebros* vel *Gauros* חברים appellari, ſed inprimis tamen idem nomen Sacerdotibus dari. Et ipſum Celeberrimum *Magorum* nomen, quod minùs rectè quidam cum FIRAUZABADIO مرج كوش *hominem curtis auribus* explicant, cùm potiùs deſcendat à Perſico مغ *Mòg*, pro quo in Sacro Codice Jer. XXXIX. 3, 13. dicitur מג, unde Græci ſuum Μάγος & Arabes مجوس *Magus* fecerunt, ut docuit HYDIUS cap. XXXI. & poſt eum RELAND. de *Vet. Ling. Perſ.* Tom. II. *Diſſ. Miſcell.* Diſſert. VIII. p. 189. ipſum, inquam, hoc nomen omnibus promiſcuè ignis cultoribus datur, quare in nomenclatore Arab. Perſic. *Loyat balimi* apud POCOCK. in *not. ad Abul Faraj.* p. 146. explicatur اتاش برسنت *Ateſch pereſt*, *ignis cultor*: nihilominus tamen illud κατ' ἐξοχὴν eorundem Sacerdotibus datur, unde in Libro *Sabáb Agjemi* مغ اوده طيلر كشيشي *Mòg eſt Ignicolarum Sacerdos* & APULEJ. Apol. I. *Perſarum Linguâ Magus eſt, qui noſtrâ Sacerdos.* Hi quia Philoſophiæ præcipuè operam dabant, ob quam cauſam & PYTHAGORAS illos adiit, idcircò quoque *Philoſophi* appellantur. vid. CLEM. ALEX. *Strom.* I. p. 223. atque ex horum numero, (non verò ut ineptè finxit Papatus, Reges) fuerunt, ut idem CLEM. ALEX. addit, Celeberrimi illi Orientis MAGI, qui ad recens natum Servatorem, ſtellâ

Digitized by Google

ſtellâ duce, inviſerunt, v. hanc in rem plura apud HYD: l. c. conf. *Commentat. ad Matth.* II. 1. qui de his Magis fuſiùs egerunt, quorum plurimos enumerat CLAR. v. SEELEN in *not. ad* BURTONI λείψανα *Vet. Ling. Perſ.* voce *Magus*, p. 42.

X V I.

Duo autem contra ſententiam noſtram potiſſimùm moveri poſſe dubia video. Primò quòd non videntur Magi ante captivitatem Babylonicam à *cingulis* nomen ferre potuiſſe, quia ZOROASTER illorum habitum cum Cingulo à Deo acceptum, illis demum tradidiſſe dicitur, ut monet HYDIUS p. 370. Deinde quòd vix probabile ſit, ante eandem captivitatem tantum Judæis cum Perſis commercium interceſſiſſe, ut eorum ſacra quoque reciperent.

Ad prius quod attinet, nolo ad eorum ſententiam confugere, qui ZOROASTREM antiquiorem faciunt, quàm par eſt, eúmque cum *Adamo*, *Noacho*, aut ejus filio *Chamo*, *Nimrodo*, *Aſſure*, *Abrahamo*, *Moſe*, aut aliis primorum temporum clarioribus Viris confundunt, vel qui plures ejus nominis, quorum alii aliis antiquiores fuerint, ſtatuunt, quia à Viris Doctis ſatis demonſtratum eſt, illum Religionis Magorum Celeberrimum inſtauratorem, de quo hîc ſermo eſt, DARII HYSTASPIS ætate vixiſſe. vidd. Auctores, ex profeſſo de ZOROASTRE hoc agentes, quos diligenter recenſet modo citatus VAN SEELEN in *not. ad* BURTON. λείψανα p. 95. & 96. quibus præter alios addi poteſt, HUMPHRID. PRIDEAUX in *Connex. Hiſt. Vet. Teſt.* P. I. Lib. IV. p. 267. ſeqq. Verùm obſervari velim, ZOROASTRI, cùm religionem Magorum in multis reformaret, plurima tribui, quæ non ab ipſo primum profecta, ſed inſtaurata tantùm, aut in quibusdam circumſtantiis expolita, propriúsque limitata ſunt. Hinc nonnulli eum pro primo univerſæ Religionis hujus Auctore habent, cùm tamen illa populorum Orientalium conſtanti traditione jam ante 4. vel 5000. annos in uſu fuerit, & ut nonnulli volunt, diluvium aut præceſſerit, aut mox ſecuta ſit. v. HERBELOTT. *Lex. Orient.* voc. *Magus* p. 528. CHARDIN. *Voyag. en Perſ.* P. IX. p. 146. & HYDE cap. I. atque

que hac ratione illi quoque Cinguli hujus inſtitutio tribuitur, non quòd ab ipſo demum originem habeat, ſed quòd illud denuò ſeriò commendaret, & forſan quædam circa illud obſervanda primus moneret, ceteroquin enim in admirandis illis ruderibus urbis Perſepoleos, quæ ZOROASTRE longè antiquior, & per ALEXANDRUM jam in gratiam THAIDIS infelicibus flammis combuſta eſt, plures figuræ Veterum Perſarum videntur, tunicis talaribus laxe manicatis *& cingulis cinctæ*, ut OGILBIUS narrat in horum ruderum deſcriptione, & ad oculum videre eſt, in eorundem delineatione æri inciſâ apud CHARDIN. *Voyage en Perſe* Tom. IX. Quod ad alterum ſpectat, nemini mirum videbitur, Sacra hæc ad Judæos penetraſſe, antequam ipſi in Perſiam deportarentur, qui perpendit, cultum ignis non inter ſolos Perſas viguiſſe, ſed per Cappadociam, ut STRABO Lib. XV. narrat, imò per univerſum Orientem ſe extendiſſe, quin & in Græciam & Italiam tranſiiſſe, ut docent SCHURTZFLEISCHIUS in *Diſſert. de cultu ignis apud omnes gentes uſitat.* & ſupra laudatus TENNUL. *Diſſert. de igne.* Qui præterea cogitat, quo velut œſtro perciti Judæi, omnium gentium ſacra ſummo ſtudio conquiſiverint, is minimè mirabitur, eos vel ex ipſâ Perſiâ cultum ignis accerſiviſſe, quamvis à propinquioribus gentibus, eo jam infectis, id fieri quoque potuerit. Sed quid verbis opus eſt in re clarâ, cùm pateat, eos alium eorundem Perſarum ritum, quo equos Niſæos, ex regione Mediæ نسا *Neſâ*, in honorem Solis alebant, currúsque eidem deſtinabant, imitatos eſſe, ſimiles enim equi & currus erant, quos in inſtitutâ reformatione æquè ac τοῖς כמרים Rex JOSIAS abrogabat. 2 Reg. XXIII. 11.

XVII.

Poſſem hîc pedem figere, ſed quod in limine Diſſertat. hujus monui, talia argumenta non rarò aliis ſcripturæ locis lucem affundere, cùm in hoc quoque deprehenderim, juvat adhuc illorum nonnulla propiùs examinare, quæ & noſtro argumento ulteriorem lucem adſpergunt, & ab illo viciſſim illuſtrantur. Eorum præcipuus eſt Ezechiel. XXIII. 14. &c. Ubi Judæorum inſania, quâ in peregrinos vicinorum populorum cultus ferebantur, his verbis inter alia graphicè deſcribitur: ותוסף אל

אל תזנותיה ותרא אנשי מחקה על הקיר צלמי כשדיים חקקים
בששר : חגורי אזור בכתניהם סרוחי טבולים בראשיהם מראה
שלישים כלם דמות בני בבל כשדים ארץ מולדתם : ותעגב
עליהם למראה עיניה ותשלח מלאכים אליהם כשדימה : ויבאו
אליה בני בבל למשכב דדים ויטמאו אותה בתזנותם ותטמא־בם

& addidit ad fornicationes ſuas, & vidit Viros pictos in pariete, pictos minio. CINCTURÆ CINGULI IN LUMBIS EORUM, ET TIARÆ TINCTÆ IN CAPITIBUS IPSORUM, *adſpectus tribunorum omnibus, ſimilitudo filiorum Babel, Chaldæorum, terræ generationis ipſorum: Et amore accenſa eſt ſuper illis ad conſpectum oculorum ſuorum, & miſit legatos ad ipſos in Chaldæam. Et venerunt ad illam filii Babel ad concubitum amatorium, & conſpurcarunt eam fornicationibus ſuis, & inquinata eſt illis.* Suppono hîc fornicationem non tam propriam quàm ſpiritualem deſcribi, quæ in ſectandis peregrinis ſacris conſiſtit, quod ex vſ. 7. & 30. manifeſtum eſt, & ab omnibus paſſim interpretibus agnoſcitur. Sacra autem, quorum addiſcendorum cauſâ Chaldæos ad ſe accerſiiſſe Judæi dicuntur, non alia quàm Ignicolarum eſſe ex ipſo habitu Perſonarum, quæ hîc depictæ ſunt, manifeſtum eſſe puto. Primò enim illis tanquam ſingulare χειτήειον tribuitur *cinctura Cinguli* in lumbis, quam totius hujus Religionis ſignum, & ſacratiſſimam teſſeram eſſe, in antecedentibus abundè demonſtravimus. Nec ornatus capitis huc minùs quadrat, in cujus explicatione ſe vehementer torquent Interpretes, dum verba סרוחי טבולים בראשיהם reddunt *abundantes coloratis in capitibus ſuis*, vel *propendula coloratorum in capitibus ipſorum*: ſenſu planè nullo. Sed vox סרוחים quam fruſtra hîc ex hebræâ linguâ illuſtrare conantur, ex linguâ arabicâ lucem accipit, سرخ enim in plurali denotat *ſegmenta* ſeu *aſſumenta panni*. Alteram vocem טבולים exiſtimavi aliquando ex Perſico طبلك טבלך *Mitra, pileolus, vitta*, explicari poſſe, non enim inſolens eſt apud Populos Orientales, ut ך ſervile aſſumatur, ut patet in גנז *theſaurus, Gaza*, à quo formatur גנזך 1 Chron. XXVIII. 11. Sed poteſt tamen etiam ſignificatio vocis hebrææ טבל *tingere* retineri, ut adeo סרוחי

Digitized by Google

טבולים ſint *ſegmenta panni tincta*, quæ in capitibus eorum fuiſſe dicuntur, quia ex illis pileoli aut mithræ paratæ, quibus illorum capita tecta. Vel poſſet etiam prior vox סרוחים ex linguâ perſicâ illuſtrari, ubi ſignificationem *coloris ſubrufi*, aut ex *flavo rubeſcentis* ſeu *lutei*, & rerum eo colore imbutarum habet. Sic سرخ *Rufus*, *ruber*, & *equus caudam rubram* vel *rubiâ aut cypero tinctam* habens سرخاب *Equus ſpadiceus* & سرخاني *aqua rubra*, arte facta, سرخارنگ *ad rubedinem vergens color:* سرخنبر *Subrufus*, *fulvus equus* سرخرده *Equus ex flavo rubeſcens* سرخي *Rubedo*, *tinctura rubra* &c. atque hoc ſenſu סרוחי טבולים opercula ſeu velamenta capitis *rubro*, *ſubrufo*, aut *luteo colore tincta.* Quæcunque autem hîc eligantur, omnia Ignicolis apprimè conveniunt, nam ſolent illi caput tegere pileo conico ſeu acuminato, & quidem plerumque ex pilis camelinis confecto, unde & buculæ antiquitus dependebant, quibus os claudebant, ne halitu ſuo ignem inquinarent, quarum loco cum maximè utuntur peculiari quodam panno quadrato. Pileos autem hos colore ſubrufo, puniceo aut luteo, imbuunt, quemadmodum eundem, quia proximè ad colorem ignis accedit, in omnibus Veſtibus amant, Herbertus apud Hydium de *Rel. Perſ.* in argum. cap. XXXIV. *ubi les Naceſſelars Sacerdotes obviam facti PILEIS ET AMICULIS LUTEIS VELATI — accipientes cadaver* &c. vid. quoque eundem p. 93. 344. & 369. & confer Auctores ſupra laudatos §. XII. Similis coloris veſtes gerebant pueri illi, quos Magis jungit Curtius Lib. III. cap. III. *Magos trecenti & ſexaginta quinque juvenes ſequebantur PUNICEIS AMICULIS velati.* Qui non alii erant, quàm ſtudioſi Magorum diſciplinæ dediti, quos vocant مغ بچه انلرك اوغلانلري i. e. *Magorum parvuli*, ſc. *eorum pueri*, de quibus vid. Hyd. cap. XXXI. Rectiſſimè igitur verba illa Prophetæ reddunt LXX. παραβαπτὰ καὶ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν αὐτῶν, vel ut meliùs adhuc, in nonnullis codicibus legitur, καὶ τιάραι βαπταὶ ε. τ. κ. α. Tiara enim propriè Perſarum ſeu Magorum hic pileus appellatur. Ἡ δὲ Τιάρα

ἔσι καὶ κυρβασία Περσικαί. *Tiara autem & Cyrbaſia Perſica*, ait Pollux Lib. IV. Sect. 96. & Strabo Lib. XV. p. 1066. Magis πάρας πιλωτὰς tribuit. v. plura apud Rel. de *Vet. Ling. Perſ.* voc. *Cidaris* & *Tiara*. Cultum autem ignis apud Chaldæos æquè ac Perſas obtinuiſſe, notiùs eſt, quàm ut probatione indigeat, unde Sidon. Apollin. *Carm.* II. vſ. 80. ſeqq.

Quæque Draconigenæ portas non clauſerat hoſti.
Tum demum Babylon nimis eſt ſibi viſa patere.
Partibus at poſtquam ſtatuit nova formula fœdus.
Procopio dictante magis juratur ab illis,
Ignis & unda Deus, nec non rata pacta futura
Hic divos teſtatus avos, Chaldæus in extis
Pontificum de more ſenex, arcana peragit
Murmura.

Quare Jurieu *hiſt. de Cult. & de Dogm.* P. III. Tract. III. cap. II. rectè monet, Chaldæos ejuſdem religionis cum Perſis, quorum vicini erant, fuiſſe, licet tractu temporis degenerarent ad cultum Idolorum. Atque hinc inter Principes Aulæ Regis Babyloniorum רב מג *Archi-Magus* numeratur Jer. XXXIX. 3, 13. Vid. plura apud Schurtzfleisch. & Tennul. *Diſſ. de igne.* Ut adeò non immeritò, & in his Chaldæis apud Ezechielem τὰς Cemarim, vel ſaltem iis ſimillimos, latitare credamus, præcipuè, quia uti Cemarim κατ' ἐξοχὴν *Sacerdotes Ignicolarum* ſ. *Magos* aut *Philoſophos Perſarum* denotant, ita & Chaldæorum nomen, quòd aliàs toti genti commune eſt, de eorum Sacerdotibus & Sapientibus ſigillatim uſurpari ſolet. Strabo Lib. XVI. p. 1074. Ἀφώρισο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ Ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. (*Conſtituta verò in Babylonia habitatio indigenis Philoſophis, qui Chaldæi appellantur, qui præcipuè Aſtronomiæ incumbunt.* Et Philoſophos, qui apud Perſas *Magi* appellabantur, apud Aſſyrios *Chaldæos* dictos, teſtatur Clemens Alexandr. *Stromat.* loc. ſupra adducto, & hoc ſenſu כשדיא apud Danielem cap. II. 5, 10. cap. IV. 7. & ſæpius occurrere, dudum à Viris Doctis monitum eſt, conf. Fuller. *Miſcellan.*

lan. Lib. I. cap. XVI. Ita ut non incommodè per Chaldæos hæc Magorum ſacra ad Judæos pervenire potuerint.

XVIII.

Reſtarent adhuc alia Sacri Codicis loca, quibus ex his Magorum Sacris lux accendi poteſt. Sed quia hæc nos nimis abducerent, alteri diſquiſitioni ea reſervabimus. Cui interim lubet effigiem talis Perſarum magi, cingulo ſuo induti contemplari, adeat ſæpius laudati Hydii eruditiſſimum librum *de Rel. Vett. Perſar.* p. 369. Ceterùm impenſè gaudeo, quòd hanc meam de כמרין diſquiſitionem *Summo in his Viro*, Jo. Christ. Clodio in *Lexico Hebraico Selecto*, multæ frugis libro in voce כמר placuiſſe deprehendi. Quod reliquum eſt, faxit Benigniſſimum Numen, ut quotquot ad λογικὴν λατρείαν vocati ſumus, memores nos præſtemus illius moniti Servatoris Ἔστωσαν ὑμῶν ΑΙ ΟΣΦΥΕΣ ΠΕΡΙΕΖΩΣΜΕΝΑΙ καὶ ΟΙ ΛΥΧΝΟΙ ΚΑΙΟΜΕΝΟΙ. Καὶ ὑμεῖς ὅμοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν Κύριον ἑαυτῶν, πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων, ἵνα ἐλθόντος καὶ κρούσαντος εὐθέως ἀνοίξωσιν αὐτῷ. Μακάριοι οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι, οὓς ἐλθὼν ὁ Κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντας. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι περιζώσεται, καὶ ἀνακλινεῖ αὐτοὺς, καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XIII.

DE

דביר

SEU OCCIDENTALIORI TEMPLI PARTE, UBI SANCTUM SANCTORUM ERAT, MANUUMQUE VERSUS HUNC LOCUM ELATIONE.

AD ILLUSTRATIONEM PSALM. XXVIII. 2. COLLAT. 1 REG. VI. 16. ſeqq.

I.

Licèt innumeræ voces linguæ hebrææ antea minus rectè intellectæ, cùm maximè aliarum inprimis linguarum orientalium, & præcipuè quidem arabicæ ope atque adjumento in clariori luce ſint poſitæ, non paucæ tamen ſuperſunt, quæ aliorum induſtriam effugerunt, hísque, quibus eadem placent, campum, in quo ſe exerceant, fecerunt reliquum. Exemplum nobis ſatis evidens ſuppeditabit vox דְּבִיר non ſolùm aliquoties in *libris Regum* & *Chronicorum*, ſed inprimis in *Pſalm.* XXVIII. 2. occurrens, quando Psaltes exclamat: *Audi vocem ſupplicationum mearum, dum ad te vocifero, dum attollo manus meas* אל דביר קדשך *ad* Debir *ſanctitatis tuæ.*

I I.

Innui hoc vocabulo interius templi conclave, ſeu *Sanctum Sanctorum*, plerique paſſim interpretes agnoſcunt, niſi quòd Polus, commentator ceteroquin ſatis egregius, cum Gussetio exiſtimet, nonnunquam etiam murum, qui ſanctum à ſancto ſancto-

 rum

Digitized by Google

rum ſeparabat, eodem nomine inſigniri, hánceque ſignificationem præferendam cenſeat 1 *Reg.* VI. 19. Quando dicitur de Salomone ודביר בתוך הבית מפנימה הכין & *Debir in medio ædis internè conſtituit.* Quâ in re, quod mirum, præeuntem habuit R. Salomonem Isacidem, ad verba מבית לדביר ſcribentem : לפנים ממחיצת אמה טרקסין המפסקת בין ארבעים לעשרים ואותה מחיצה קרויה דביר: *intra . . . unius cubiti Tarkeſin* (dictum) *quod dividebat inter quadraginta cubitos* (longitudinis Sancti) & *viginti* (Sancti Sanctorum:) *atque hoc ſeptum appellabatur* Debir. Verùm neque Raschio, neque eruditiſſimo Anglo hac in re aſſurgere poſſum, quia uti paſſim aliàs ſemper de ipſo conclavi adhibetur, ita nulla ratio eſt, cur à recepto hoc vocis uſu recedamus, cùm locutio *in medio ædis* minimè exigat, ut de ſpatio in ipſâ mediâ æde cogitemus, ſed בתוך ſæpiſſimè nihil aliud quàm in *aliquâ re*, vel intra *aliquam rem* denotet, v. *Num.* XVIII. 20. *Deut.* XIX. 2. *Jud.* VII. 16. 2 *Reg.* VI. 20. 2 *Chron.* VI. 13. *Ezech.* XXIII. 39. & paſſim, quin imò ſequentia nullum alium ſenſum admittant, dum ſtatim additur, *ut illic conſtituatur arca fœderis Jehovæ*, neque enim arca in pariete, ſed potiùs in ipſo interiori ædis conclavi ſeu adyto conſtituta fuit.

III.

Qui autem voce hac adytum ſeu Sanctum Sanctorum inſigniri agnoſcunt, rationem denominationis à verbo דבר ſignificatione *loquendi* petunt, unde eam reddere ſolent λαλητήριον, χρηστήριον, aut cum vulgatâ verſione *Oraculum*, vel cum aliis *oraculi ſedem*, quia *Deus illic reſponſa dare*, ſeu *loqui ſolitus*, unde non multùm abit *verſio belgica* reddens de *aanſpraeckplaatſe*. Sed ut verum fatear, dudum mihi hæc explicatio ſuſpecta, & non niſi ex propriæ ſignificationis ignoratione, tum verò notiori & communiori thematis דבר uſu nata videtur. Idque has potiſſimùm ob cauſas. 1 Quòd nulli antiquiorum aut inprimis etiam orientalium interpretum, de hac vocis ſignificatione cogitaverint, ſed vel cum *Alexandrinis* ipſum δεβὶρ aut δεβεὶρ ut nomen proprium reti-

retinuerint, aut ut h. l. ναον vel generatim ut *Chaldæus* בית כפורי aut ut *Syrus* ܒܝܬ ܟܦܘܪܐ aut ut *Arabs* البيت الداخل reddiderint, quæ omnes ordinariæ S. S. appellationes ſunt, primíque quantum conſtat, *Aquila* & *Symmachus*, quorum ſanè in talibus non magna eſt auctoritas, de χρηματιστηρίῳ, HIERONYMUS autem de λαλητηρίῳ, idémque cum vulgatâ de *oraculo* cogitaverint. Cui argumento jungi 2 Poteſt, quòd nec ullus Judæorum, quantum mihi quidem animadvertere licuit, in hanc ſententiam iverit, licèt omnibus notio *loquendi* in verbo דבר & derivatis ſatis cognita eſſet. 3 Quia nomina appellativa & ſignificativa locorum à verbis derivata, quibus verbi ſignificatio ad certum locum inde denominandum transfertur, non hujus formæ eſſe, ſed potiùs per מ ſervile ab initio præfixum formari ſolent. 4. Quia ſi hæc vera vocis ſignificatio eſſet, in illis potiſſimùm locis ea ſine dubio adhibita fuiſſet, ubi de oraculis ſeu reſponſis à Deo datis aut expetitis ſermo eſt, cujus rei tamen nullum exemplum occurrit.

I V.

Aptiorem autem longè ſignificationem nobis lingua Arabica iterum ſuppeditat, ubi tam verbum دبر quàm plurima ejus derivata de *poſticâ* aut *poſteriori rei alicujus parte*, cúmque hæc pro conſtanti orientalium loquendi more, cujus & in ſacris plurima veſtigia occurrunt, verſus occidentem, ut anterior verſus auſtrum ſtatuatur, de *plagâ mundi occidentali* uſurpantur. Sic ipſum دَبَرَ in Conj. I. denotat *pone fuit*, & *convertit ſe in occidentem ventus*, aut *ventus occidentalis affecit rem*, & in paſſiv. *vento à ſolis occaſu afflatus fuit*. in Conj. IV. *pone venit*, *retroceſſit*, *ad occaſum inclinavit ſtella*, *commiſit ſe occidentali vento.* دبر *poſtrema pars negotii rei* aut *temporis* دابر *Poſtremus*, *extremum rei* دبرة *plaga occidentalis.* دبور *Occidentalis ventus*, præcipuè circa noctem ſpirans, & ipſe *Zephyrus.* دبري *poſterior.* دبريا *poſtliminio.* دابرة *pars poſterior* ادبار *in fine*, *poſticæ res*, ut alia ex eadem ſignificatione orta prætercam. Tacere hîc autem ne-

nequeo, quòd poſtquam ante plures annos hæc à me obſervata jam erant, animadverti *Clariſſ.* Simonis in *Arcano Formar.* P. I. p. 113. verbo quoque monuiſſe, non incommodè hinc ſignificationem vocis דביר repeti poſſe, dum præmiſſâ alterâ ſententiâ, pergit: „ poſſet tamen quoque deduci ex ſigni„ ficatione radicis Arab. *pone fuit*, unde *dobron*, *poſtica*, ſeu *po„ ſtrema pars rei:* erat enim דביר tabernaculi & templi pars „ poſtrema, verſus occidentem ſcil. poſita, quam *ſitûs occiden„ talis* ſignificationem radix Arab. in ſpecie habet; ſicut hebr. „ אחרון *poſtremus*, de ſitu occidentali uſurpatur. " Atque hæc uti verè ſe ita habent, mihíque gratulor, quòd Virum doctum in his *ὁμόψηφον* habeam, ita tamen hîc minimè ſubſiſtendum, ſed ulterius progrediendum eſt.

V.

Scilicet ante omnia hîc obſervandum, quòd cùm antiquiſſimæ gentes orientem ſolem venerari, ſéque adeò & in precibus ad hanc mundi plagam convertere ſolerent, Deus, ut populum Judaicum tantò magis ab hac idololatriâ arceret, contrà ſacratiorem Sanctuarii locum, ubi ſe in externo præſentiæ ſymbolo manifeſtabat, verſus occidentem parari, húcque populum faciem in precibus dirigere voluerit, quod ipſum Judæi Abrahamum jam antea conſtituiſſe contendunt. Audiamus hac de re Maimonid. *in More Nevochim* Lib. III. c. 45. in init. המצות אשר כלל אותם הכלל העשירי הם אשר ספרנום בהלכות בית הבחירה והלכות כלי המקדש והעובדי׳ בו והלכות ביאת המקדש וכבר הגדנו תועלת זה הכלל על דרך כלל וידוע שעובדי ע״ז היו מכוונים לבנות היכליהן ולהעמיד צלמיהם במקום הגבוה שימצא שם על ההרים הרמים ולזה בחר אברהם אבי׳ ע״ה הר המוריה בהיותו הגבוה שבהרים אשר שם ופרסם שם ביחוד יי׳ ויחד המערב שקודש הקדשים במערב והו׳

Digitized by Google

והו' עניין אמר' שכינה במערב ובארו רבותינו ז"ל בגמר' יומא שאברהם אבינו ייחד המערב ר"ל בית קדש הקדשים וסבת זרה אצלי שמפני שהי' הדעת מפורסם אז בעולם עבודת השמש ושהוא האלוה אין ספק שבני אדם היו כלם פוני' למזרח מפני זה פנה אברהם אבי' למערב בהר המורי' ר"ל במקדש עד שישי' אחורי' לשמש הלא תראה ישראל בעת כופרם ושובם לדעות הקודמות הדעות ההם מה עשו אחוריהם אל היכל השם ופניהם קדמה והם משתחוים קדמה והבן הפליאה : *Præcepta quæ decima claſſis complectitur, ea ſunt, quæ enumeravimus in tractatu de domo electa, & in tractatu de vaſis ſanctuarii & miniſtris ejus, ut & in tractatu de ingreſſu in Sanctuarium, jámque uſum bujus claſſis generatim indicavimus.* Sc. *notum eſt, quòd idololatræ operam dederunt, ut templa ſua exſtruerent & imagines ſuas erigerent in loco alto illic invento ſuper montibus excelſis, atque banc ob cauſam elegit Abrabam Pater noſter piæ memoriæ montem Moriab, quòd is inter montes illos altiſſimus eſſet, illícque profeſſus eſt,* (aut annunciavit) *unitatem Dei, & dedicavit plagam occidentalem* (rectiùs ita vox יחד redditur, quàm à Clar BUXTORFIO factum, qui locum vertit *& quidem ad occidentem*, duo enim MAIMONID. docet, quòd Abrahamus unitatem Dei profeſſus ſit, & plagam occidentalem determinaverit, ut verſus illam nempe adorarent) *quoniam Sanctum Sanctorum in occidente futurum, atque binc dicunt: Scbecbina eſt in Occidente. Et diſertè tradunt Rabbini noſtri in Gemara Joma* (vox hæc in verſ. *Buxtorfii* omiſſa eſt) *Quod Abrabam Pater noſter conſecravit Occidentem i. e. locum Sancti Sanctorum. Cauſa autem bujus rei ex meâ ſententiâ eſt, quòd, quoniam illo tempore publicè receptus in mundo erat cultus ſolis, & quòd is Deus eſſet, nullum dubium ſit, quòd bomines omnes converterint ſe ad orientem; banc autem ob cauſam Abrabam Pater noſter convertit ſe ad occidentem in monte Moriab, id*

 eſt

eſt in Sanctuario, donec poſteriora ſua obverterent ſoli. Annon vides, quid fecerint Iſraëlitæ, eo tempore cùm à fide deficerent, & redirent ad priſcos illos errores? Poſteriora ſua (obverterunt) *templo Dei, & faciem ſuam orientem verſus, incurvarúntque ſe orientem verſus* (Ezech. VIII. 16.) *Tu autem rei miræ attende!* Quicquid autem eâ de re ſit, quòd Abrahamus jam antea locum ad occidentem deſignaverit, id ſaltem indubium & apud omnes in confeſſo eſt, quòd ſanctiſſimus ille templi locus, ad quem preces dirigi debebant, ad occidentem ſitus fuerit. Atque hinc vox דביר κατ' ἐξοχὴν non de quocunque *loco poſteriori* aut *ad occidentem ſito*, ſed de ipſo *adyto* ſeu *Sancto Sanctorum templi* adhibita eſſe cenſeri debet.

V I.

Egregiè hoc illuſtratur ex loquendi more Orientis populis, quorum loquendi formulas æquè ac mores in quàm plurimis cum illis Judæorum convenire, nemo niſi utrorumque ignarus negabit, per plurima jam ſecula in hunc diem uſque uſitato.

Scilicet uti Judæi ad hunc templi locum, ad occidentem ſitum ſe in precibus convertebant, ita Muhammedani illud ad fanum ſeu templum Meccanum كعبة *Caaba* dictum, faciunt: falſum enim eſſe, quòd nonnulli generatim ſcribunt, Mohammedanos *auſtralem cœli plagam* in precibus reſpicere, jam docuit Relandus *de Relig. Mohamm.* Lib. II. p. 127. Cùm igitur hoc templum ad plagam mundi ſanctuario Hieroſolymitano oppoſitam, auſtralem nempe, quæ ut *anterior* pro Orientalium loquendi ratione conſideratur, jaceat, hinc à verbo قَبَلَ oppoſito τῷ دبر & *ex anteriori parte*, ſeu *ab adverſo advenit*, *ab oriente ſpiravit ventus*, denotante, unde قُبُل *pars anterior* & قَبُول *ab ortu flans ventus* &c. tractus ille antrorſum oppoſitus quorſum ſe ad precandum convertunt, & ipſum templum Meccanum κατ' ἐξοχὴν قِبْلَة *Kebla* appellatur. Hinc *converſio faciei ad templum Meccanum*, quæ inter requiſita Mohammedanorum ante preces quintum & ultimum eſt استقبال القبلة dicitur in *compendio Theologia*

giæ Mohammedicæ à RELANDO editæ p. 72. aut تحويل قبلة de quâ regulas & tabulas Mathematicè calculatas habent, ut docet HYDIUS ad BOBOV. *de peregrinat. Meccanâ.* p. 12. quin & vox القبلة *Al-kebla* inter ipſa nomina propria *Caabæ* ſeu templi Meccani numeratur, & Mohammedani omnium ſectarum ſine diſcrimine اهل القبلة *Ahlo'l-kebla* ſeu *populus keblæ*, i. e. qui faciem in precando ad fanum Meccanum convertit, appellatur. v. POCOCK. in not. ad *Spec. hiſt. Arabum* p. 175. & GAGNIER. ad *Abu'l-Fedam de vit. Mohamm.* p. 54. quemadmodum & mortuis acclamare ſolent; *Memento fœderis, cum quo exiviſti ex hoc mundo -- -- -- & te amplexum eſſe -- --*. وبالكعبة قبلة CAABAM PRO KEBLA, ut docet BOBOVIUS *de viſitat. ægrot.* apud HYDIUM p. 21. Imò quemadmodum monuimus, vocem דביר hinc generatim de loco, quorſum in precando facies dirigitur, ſumi, ita & vox قبلة apud Arabes eodem modo uſurpatur: Unde Mohammedani hanc appellationem non ſolùm *templo Meccano*, ſed & *Hieroſolymitano*, licèt ad contrariam mundi plagam ſito, tribuunt. Patet id ex eo quod Mohammedani tradunt, ſcilicet Mohammedem primùm nullam certam *Keblam*, aut locum ad quem ſe in precibus converteret, habuiſſe, ſed mox ſanctitate templi Hieroſolymitani permotum illud pro *Keblâ* ſuâ aſſumpſiſſe, tandem autem Deum ipſum illi *Caabam* ſeu domum Meccanam eum in finem conſtituiſſe, quo non pauci Judæorum offenſi fuerint ejúſque religionem deſeruerint. Hinc in ALKORANO *Sur.* II. 143.

سيقول السفهاء من الناس ما ولاهم عن قبلتهم التي
كانوا عليها قل لله المشرق والمغرب يهدي من يشاء
الي صراط مستقيم 145. وما جعلنا القبلة التي كنت
عليها الا لنعلم من يتبع الرسول ممن ينقلب علي عقبيه
وان كانت لكبيرة الا علي الذين هدي الله — — —
146. قد نري تقلب وجهك في السماء فلنولينك
قبلة ترضيها فول وجهك شطر المسجد الحرام وحيث
ما كنتم فولوا وجوهكم شطره *Dicent fatui inter homines; Quid*

 aver-

avertit illos à Kebla *ipſorum, ſuper quâ orant?* (ad quam ſe convertere ſolebant inter precandum, nempe verſus templum Hieroſolymitanum) *Reſponde, Dei eſt oriens & occidens, ducit quem vult in viam rectam.* 145. *Et non conſtituimus tibi* (ô Mohammed) Keblam, *ſuper qua fuiſti, niſi ut dignoſceremus, qui ſequeretur Legatum ab eo, qui revertitur ad calcaneos ſuos* (qui redit ad priorem ſuam doctrinam, ſeu ad Judaiſmum) *fuit autem hæc* (mutatio) *gravis, præterquam illis quos Deus rectâ duxit.* -- -- 146. *Nunc videmus converſionem faciei tuæ in cœlum, ſed conſtituemus tibi* Keblam *in quâ acquieſces. Verte igitur faciem tuam ad oratorium Haram* (templum Meccanum) *& ubicunque locorum fueritis, eò faciem veſtram* convertite. Vidd. ibidem uſque ad finem hujus Suræ plura, & conferantur quæ ad horum illuſtrationem adfert Gagnierius loco adducto. Denique his addi poteſt, quòd uti vox قبلة *kebla*, ut ex dictis patet, in nomen proprium loci, quo facies in precando dirigitur, abiit, ita ſine dubio idem in voce hebræâ דביר locum habuit, neque enim alia ratio dari poteſt, quare *Interpretes Alexandrini*, ut ſupra jam monitum, eam retinuerint, & plerumque, puta in loco 1 *Reg.* VI. VII. & VIII. nec non 2 *Chron.* III. IV. & V. δαβὶρ aut δαβεὶρ reddiderint, quod & Theodotion in noſtro *Pſalmo* ſecutus eſt.

VII.

Omnia hæc tantò magis ad ſcopum noſtrum faciunt, quò magis ipſe locus *Pſalmi* noſtri, quem præ manibus habemus, nos eò ducit. Uti enim ex adjunctis inter alia, rectiſſimè de vocis alicujus genuinâ ſignificatione judicium ferre licet, ita clariſſimè vox דביר hîc adhibetur in relatione ad preces verſus hunc locum fundendas, dicit enim Psaltes: *Audi vocem ſupplicationum mearum, dum ad te vocifero, dum* attollo manus meas אל דביר קדשך ad Debir sanctitatis tuæ. Nihil enim notius eſt, quàm quòd manus in precibus attolli ſolebant, hincque etiam ipſæ preces *ſublationis manuum* phraſi ſæpius veniunt. *Pſalm.* CXLI. 2. *Thren.* II. 19. III. 41. 1 Tim. II. 8. neque apud Judæos tantùm, ſed & gentes idem obtinebat, unde Æschylum χειροτόνους λιτὰς memorare, i. e. μετὰ χειρῶν τάσεως

γενο-

Digitized by Google

γενομένας, *cum extenſis manibus factas*, docet Illuſtr. SPANHEM. *ad* CALLIM. *hymn. in Delum* vs. 107. ubi vid. plura, ut & apud Auctores quos laudat FABRIC. *Bibliogr. Antiq.* cap. XI. §. XII. & WOLF. in *Cur. Crit. ad* 1 *Tim.* II. 8. verſus *Sanctuarium* autem, ubi Deus ſe ſingulari ratione præſentem teſtabatur, idem factum eſſe, hujúſque cauſâ verſus Hieroſolymam, ex exemplo *Danielis* cap. VI. 10. notius eſt, quàm ut hîc inculcari oporteat.

DISSERTATIO XIV.

DE

PERFORATIONE AURIUM MESSIÆ,

AD PSALM. XL. 7.

Quâ præcipuè verus horum verborum ſenſus eruitur, eadémque cum VERSIONE ALEXANDRINA & HEBR. X. 5. conciliantur.

I.

Cùm multa hodiè adminicula exſtent, quibus difficilium ſcripturæ locorum explicatio mirè promoveri poteſt, tum inter illa minimè poſtremum locum concedendum eſſe exiſtimo *Itinerariis*, quibus hodierni populorum orientalium ritus atque conſuetudines exactiùs recenſentur. Uti enim hi populi morum patriorum ſunt tenaciſſimi, & quæ ante aliquot mille annos apud eos obtinuerunt, etiamnum in conſtanti ſunt uſu, ut rectè & egregiè monuit CHARDIN in *præfat. Itineris perſici*, ita quæ de his ſcriptura ſacra nonnunquam in tranſitu tangit, inde non ſolùm egregiam lucem accipiunt, ſed &, cùm multa tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quàm Civili & Oeconomico, quondam pleriſ-

Digitized by Google

que eorum communia, multa quoque à Judæis, ſapientiæ laude priſcis temporibus maximè inclytis, in alios derivata aut ab illis civitate donata ſint, accidere haud raro poteſt, ut nonnullæ ipſorum Judæorum cerimoniæ, quæ (ſive quòd, quæ ſuperſunt, non ſatis eum in finem excuſſa ſunt, ſive quòd parciùs quoque de talibus loquuntur,) ex domeſticis ſcriptis, aut planè hactenus erutæ, aut ſaltem ſatis illuſtratæ non ſunt, inde quoque lucem fœnerari queant. Quare laudabile omninò eorum inſtitutum eſt, qui datâ operâ ſcripturam ex Itinerariis explicare annifi ſunt, ut ante aliquod tempus *Rever. Diaconus Furthenſis*. FRID. MATTH. LUFT edito linguâ germanicâ peculiari libello anno 1735. in 8. & poſt eum *Celeberrimus Rintbelienſium Profeſſor* BALTH. LUDOV. ESKUCHE in *Illuſtrationibus S. S. ex Itinerar. orientalibus*, ling. itidem vernaculâ: quemadmodum & non pauca egregia ſibi hanc in rem literatus orbis promittere poteſt à *Clariſſ.* SIMONIS *Oratione inaugurali*, DE ITINERARIORUM ORIENTALIUM USU IN PHILOLOGIÂ S. ANTIQUITATIBUS BIBL. ET HISTORIÂ ECCLESIAST. anno 1744. quidem jam habitâ, ſed typis nondum deſcriptâ. Imò optimè ſine dubio cum Republicâ Literariâ actum eſſet, ſi liber hujus generis, quem Cultiſſimus Periegetes CHARDINIUS adornare cœperat, ut ipſe in modo laudatâ præfatione teſtatur, quémque *ſon oeuvre favori* appellat, publici juris factus eſſet. Sed cùm is hactenus, & ita quidem ut nemo, quantum comperi, ſciat, ubi, latitet, nîl reſtat, quàm ut illis quæ ad manus ſunt, mediis utamur, quod non ſine ſummâ utilitate fieri, uti ipſe ſæpius expertus ſum, ita ejus cùm maximè luculentum exemplum dabo.

II.

Quis neſcit? quantam crucem omni tempore Theologis æquè ac Philologis fixerint verba Pſalm. XL. 7. ubi Servator in ſpiritu prophetico Patrem compellans, ait: אזנים כרית לי *aures perforâſti mihi*, inprimis ſi comparentur cum verſione Alexandrinâ ab ipſo Paulo ſervatâ Hebr. X. 5. σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, *corpus autem præparâſti (adaptâſti) mihi*; cùm hæc verſio nihil videatur cum ipſis verbis hebraicis commune habere. Uti autem omnia

omnia quæ hactenus ad locorum horum conciliationem à Viris doctis in medium allata ſunt, ita ſe habent, ut cordatus lector in iis non facilè acquieſcere queat, ſic quam cùm maximè novam penitùs, quantum ſcio, ſententiam in medium proferam, ſi reliquis anteponendam eſſe, aut ſaltem ad veriſimilitudinem propiùs accedere B. L. exiſtimes, ſcias, me Itinerariorum lectione primùm in has cogitationes deductum eſſe, eáſque dein ulteriùs, uti aliud ex alio incidere ſolet, exornâſſe. Antequam autem illas proponam, non quidem omnes hactenus exſtantes ſententias fuſè percenſebo, ſed præcipuis, quarum propiorem notitiam dabunt Pfeifferus *Diffic. Locc.* Cent. III. Loc. LXIV. & Wolfius in *Cur. Critic.* ad Hebr. X. 5. extremo quaſi digito tactis, quare in nullâ earum ſubſiſtere queam, modeſtè indicabo.

III.

Poſſunt illæ omnes ad duas potiſſimùm claſſes redigi, dum nonnulli falce criticâ nodum ſecant, alii eundem aptâ interpretatione ſolvere allaborant. Priores, vel textum hebräicum ſollicitant, & ſive incuriâ amanuenſium, ſive fraude Judæorum pro עצם vocem אונים ſubſtitutam, aut ſaltem in codice quo Alexandrini uſi ſunt, עצם aut נרנה aut גויה lectum eſſe contendunt: vel contrà lectionem græcam, ut erroneam, penitùs explodunt, eámque ob cauſam aut ipſi Auctori Epistolæ ad Hebræos, qui eandem retinuit, cum Judæis & Enjeddino dicam ſcribunt, aut eundem ſaltem illam, licèt minùs congruam, retinuiſſe ſtatuunt, quia diſcrimen hoc non magnopere ad ſcopum Apoſtoli fecerit, aut voeem ὦτα vel ὠτία in textu exſtitiſſe, & pro illo alteram σῶμα irrepſiſſe autumant. Verùm horum omnium ſive impietati, ſive audaciæ criticæ refellendæ, vel id unum ſufficit, quòd omnium codicum, tam Hebraïcorum, quàm Græcorum, unanimis conſenſus (ſi variantes lectiones Curcellæi excipias, quarum tamen cùm nullos codices antiquos laudet, nulla, ut dudum *excellentiſſimus* Mastrigtius monuit, eſt auctoritas) abundè arguat, neque in textu hebraïco, neque græco, ullam hîc mutationem accidiſſe.

Accedit inprimis, quòd Judæos in codice Veteris Inſtrumenti hîc

Digitized by Google

hîc quicquam immutâſſe, neque ſuperſtitioſa ipſorum erga eundem reverentia, neque Servatoris & Apoſtolorum ſilentium, qui hac de re Eccleſiam ſine dubio admonuiſſent, cogitari ſinit; ut taceam, hanc fraudem illis minimè profuiſſe, cùm alia clariora de ἐνωσα κώσει Servatoris loca exſtent. Quòd ſi autem Interpretes Græci verba illa malè reddidiſſent, exſpectandum minimè à Scriptore, divino Numine acto, fuiſſet, ut errorem ſuo calculo confirmaret, inprimis cùm aliàs σφάλματα in verſione illâ admiſſa, in rebus longè minoris momenti, nonnunquam emendata inveniamus. Præterea, ſi quondam in verſione Alexandrinâ exſtitiſſet σῶμα, concipi quidem facilè poſſet, quo pacto id in ὦτα vel ὠτία mutari potuiſſet, ſcilicet, ut hebraicæ veritati verſio conveniret, quâ ratione autem, ſi lectum fuerit ὦτα vel ὠτία, vox ab hebræo textu planè diſcedens σῶμα ſubſtitui, ínque omnes omninò codices recipi potuerit, planè non intelligo. Ne jam de verbo κατηρτίσω quod hebræo כרית quoque non convenit, quicquam addam. Conferat, qui plura hanc in rem deſiderat, WOLF. *Cur. Crit.*

IV.

Poſteriorum, qui receptam lectionem in utroque loco ſervant, nonnulli exiſtimant, verbis Pſalm. XL. 7. alludi ad ſervum hebræum, cui, cùm anno ſeptimo ſervitutis in libertatem egredi nollet, in ſervitutis ultroneæ perpetuáeque ſignum aures perforabantur ex lege Exod. XXI. 5, 6. quémque ut typum ſervatoris conſiderant, ut adeò verbis illis innuatur, quòd Pater Chriſtum ſibi ſervum perpetuum per omnem vitam conſtituerit. Cùm igitur *corporis indutio Chriſtum reddiderit ſervum, hinc Interpretes Alexandrinos, æquè ac Divum Paulum ſenſum feliciſſimè hac verſione reddidiſſe.* Sententiam hanc poſt *Summum* COCCEJUM atque *Eruditiſſimum* ALTINGIUM egregiè doctéque, ut ſolet, ornavit *inſignis mihique amiciſſimus Theologus atque Philologus* JAC. ELSNERUS *in Obſervat. ad Hebr.* loc. adduct. Verùm opponunt alii, convenienter omnibus circumſtantiis, non poſſe Servum hunc commodè ut typum Servatoris conſiderari, eámque ob cauſam nec ad illam aurium perforationem reſpici, ſed potiùs

potiùs phraſi hac ipſam *corporis præparationem* innui, ſive verbum כרה ut vult Gussetius, hîc non tam *perforandi*, quàm *parandi* ſenſu ſumatur, *aurium* autem, ut præcipuorum corporis organorum, pro toto *corpore* mentio injiciatur, ſive *excavandi* aut *perforandi* notio retineatur, & ob admirandam prorſus aurium excavationem, & miros illos, imò ſtupendos ductus, anfractus atque meandros, quibus auris quaſi variis modis perforata eſt, hoc artificioſiſſimum opus, ut emblema præparationis totius ſapientiſſimæ corporis fabricæ adhibeatur. conf. auctores hanc in rem Wolfio laudati in *Cur. Crit.* ad h. l.

Verùm ad nos quod ſpectat, uti ob rationes à *Clariſſimo* P. E. Jablonskio in *Criſi Theol. Philol.* & *Celeb.* Kirchmeiero in *Diſſertatione de perpetuâ hebræorum ex aurium perfoſſione Servitute, ad ſponſorem noſtrum J. C. non referendâ*, allatas, ultrò fatemur, nos quoque in ſervo illo non ſatis commodè typum Servatoris invenire poſſe, ita tamen ad rem ipſam quod attinet, & cum his eruditiſſimis Viris facere minimè poſſumus. Pertineat enim præparatio auris ad præparationem corporis, ſint aures ex nobilioribus corporis membris, prodat ſe in excavatis aut quaſi perforatis aurium ductibus admiranda ſapientia, non tamen, ut alia hujus explicationis incommoda taceam, quantum ſcio hactenus, ob has ſimiléſve rationes unquam, totius corporis præparatio in ullâ linguâ *præparatio*, *excavatio* aut *perfoſſio aurium* appellata eſt, neque perſpicere valeo, cur non eodem jure, non minoris artificii & ſtupendæ ſapientiæ, *præparatio*, *excavatio & perforatio oculorum*, ut deſcriptio *præparationis corporis* uſurpari queat. Ut adeò, ſi quid intelligo, hæc interpretatio non minus coacta ſit, nec minoribus difficultatibus laboret, quàm illa, quæ ex ſuppoſito typo ſervi hebræi, deſumpta eſt.

V.

Ut igitur noſtram tandem ſententiam promamus, Doctorúmque examini ſubjiciamus, obſervandum, apud Orientis populos paſſim moris eſſe, ut hominum Dei cultui ſingulari ratione devotorum aures perforentur, ínque publicum hujus rei ſignum inaures geſtent. Sic Leonclavius in *Pandect. Hiſt. Turc.* P. III.

 cap.

cap. 171. de notiſſimis Turcarum DERVISIIS narrat: AURES PERFORATÆ SUNT, *quibus jaſpidum geſtant* ENOTIDAS, & ANNULOS *ſanè non parvos*. Idem antea de CALENDERIS monuerat, & mox iterum addit: *Ferreos ſatis craſſos* ANNULOS AURIBUS, *collo*, *brachiis geſtant*. Paulò poſt de HUGGIEMALIBUS, alterius ſacri ordinis apud Turcas hominibus? INAURES *argenteæ ſunt*, *vel æreæ*, *vel ex alio quoquis metallo*. Similia de CALENDERIS, HUGGIEMALIBUS & DERVISLARIBUS habet J. COTOVICUS in *Itinerar. Hieroſ. & Syriac.* Lib. IV. cap. IX. Rationem autem hujus aurium perforationis geſtationíſque annulorum, non aliam eſſe, quàm, ut ſe *Deo ejúſque cultui ad omnimodum obſequium conſecratos teſtentur*, diſertis verbis docet SEPTEM-CASTRENSIS MONACHUS *de Turcarum moribus* cap. XIII. *Illi qui inaures portant in auribus*, *ſignificant ſe* OBEDIENTES ESSE *in ſpiritu*, *propter raptuum frequentiam*. Gemina his habet AUCTOR, qui tecto ſub literis R. S. P. nomine, HIERON. DANDINI *Iter montis Libani* obſervationibus illuſtravit, ſcribens ad cap. XI. *Il y en a auſſi* QUI PORTE QUELQUE CHOSE à L'OREILLE, POUR MARQUER LEUR OBEISSANCE ET LEUR SOUMISSION à L'ESPRIT, *qui les transporte dans des raviſſemens*.

VI.

Sed promovendus adhuc ulterius eſt gradus. Scilicet uti ex dictis patet, perforationem aurium ſolemne conſecrationis ad obſequium præſtandum ſignum eſſe, ita hoc ſigno quoque infantes mox poſt nativitatem Deo jam conſecrabantur. De BRACHMANIBUS id narrat ROGERIUS, *in apertâ portâ ad occluſum ethniciſmum*, P. I. cap. VII. *Poſtquam igitur hac ratione infans* (alicujus BRACHMANUM ſacris addicti) *nomen accepit*, *perforant ipſi aures. Ubi tamen ſciendum eſt*, *quòd hæc perfoſſio aurium non ſemper tam exactè fiat*, *quamprimum infanti nomen datur*, *ſed ſæpius in aliud quoque tempus differatur*, *& aliquando diu poſt fiat. Licèt autem aliæ tribus id diu differant*, *Brachmanes tamen id non faciunt; quandoquidem aures liberorum ipſorum*, *neceſſariò* (*ut Brachmanes Padmanaba teſtabatur*) *perforatæ eſſe debent*, *cùm funiculum*, *de quo infra agetur*, *induunt*. Tum poſtquam addidiſſet, per-

perforationem hanc aurium minimè idcircò fieri, ut pretioſos in illis lapides geſtent, licèt illos vulgò gerere ſoleant, pergit: *Non tamen hic ejus rei finis aut ſcopus propriè eſt; ſed illâ potiùs ſingulare quid intendunt: Quando enim infantibus aures perforantur*, EO IPSO SOLEMNIS FIT CONSECRATIO AD SERVITIUM AUT SUBJECTIONEM, QUAM WISNOWO AUT ESWARÆ PRÆSTANT: ET SEMEL PRO SEMPER SE OBSTRINGUNT, QUÒD NUNQUAM ILLUM DESERERE, AUT AB EO DEFICERE, VEL ALIUM QUEMCUNQUE DEUM, AUT SACRA SUSCIPERE VOLUNT. *Poſtquam autem infanti aures perforatæ, id ipſi gratulantur, & proſpera quæque precantur.* Ab hac autem aurium perforatione BRACHMANES appellari DAETSJA aut DASA, quod denotet *ſervum*, hujúſque ſenſum propriè eſſe, *quòd Deo ſerviant, ejúſque peculium ſint*, idem antea docuit Lib. I. cap. III. in not.

Ante omnia verò notari meretur, apud nonnullos quoque *infantes jam ab ipſâ conceptione, aut ab utero, à parentibus eum in finem devoveri, eámque ob cauſam illis, dein poſtquam in lucem editi ſunt, aures quoque perforari.* De *Perſis* id diſertè teſtatur OLEARIUS *Itiner.* Lib. V. cap. 41. in fine, cujus verba latinè reddita ita ſonant: *Perſis in more poſitum eſt, ut* LIBEROS QUOSDAM IN UTERO MATERNO ALICUI SANCTORUM SUORUM DEVOVEANT, *ut ipſi in mancipium ſint, quando autem* (talis) *naſcitur*, PERFORANT IPSI AUREM IN SIGNUM HUJUS SERVITII, *unde quidam accipiunt nomen* MAHUMEDCULI IMAMCULI, AALYCULI (i. e.) MANCIPII MAHUMEDIS, IMAMI aut AALY. *Fit hoc vel quando nullos liberos nanciſcuntur, aut priores demortui ſunt.* Idem de *Tartaris Nagajenſibus* & *Crimenſibus* (qui & ipſi Mohammedani ſunt) adfirmat J. J. STRAUS *in Relat. Itin.* Lib. III. cap. XII. *Primogeniti*, (*etiam filiarum*) *adhuc* IN UTERO MATERNO JACENTES, DEVOVENTUR UNI AUT ALTERI SANCTO, GESTÁNTQUE IN SIGNUM, QUÒD IPSI DEDITI ET MANCIPATI SUNT, ANNULUM ERANIS ET RUBINIS EXORNATUM IN AURE DEXTRÂ, *filiæ verò, in naribus dextris.* Coincidit cum his quòd AUCTOR *noviſſimi Statûs Caſanis, Aſtracanis* &c. Sect. II. cap. II. §. 28. linguâ vernaculâ refert: *Primogenitæ, ut & quædam aliarum filiarum, quæ adhuc* IN UTERO MATRIS à PARENTIBUS IMAMO

Digitized by Google

CUIDAM AUT SANCTO DEVOVENTUR, *in ſignum*, QUÒD EJUS SINT MANCIPIA, GERUNT ANNULOS *eranis*, *rubinis aut corallis exornatos*, *in dextro narium foramine.* PUERI *gerunt ſignum hoc* IN AURIBUS. Cùm igitur hac ratione perforatio aurium conſequens & ſignum ſit, *conſecrationis jam in utero factæ*, ſeu quod eodem recidit, *præparationis corporis in utero ad miniſterium illius*, *cui infans jam ante nativitatem devotus eſt*, quis non fatebitur, hac ratione iſtiuſmodi corporis in hunc finem præparationem, idem planè cum perforatione aurium dicere, poſteriorémque locutionem prioris convenientiſſimam explicationem eſſe?

V I I.

Cogitabis jam B. L. niſi omnia me fallunt, hæc non malè procedere, modo de hac inter Judæos conſuetudine certò conſtet. Et ſanè ſi id eſſet, vix video aliquem hac de re cum ratione amplius dubitare poſſe. Interim ſi etiam nihil certi hîc deprehendere liceret, non tamen idcircò ſtatim ſententia noſtra explodenda foret.

Primò enim 1. Si vel apud ſolas gentes Judæis vicinas ritus hic obtinuiſſet, fieri tamen facilè potuiſſet, ut locutio hæc *aures alicui perforare*, pro, *ab utero matris eum alicui conſecrare*, *eúmque in finem illi corpus quaſi præparare*, in proverbium abiiſſet; ſicque à Judæis quoque recepta, & velut civitate donata, in vulgari ſermone adhibita fuiſſet. Exempla hujus rei certè in ſacris non deſunt. Creberrima ſunt in utriuſque inſtrumenti tabulis proverbia à *porcis* deſumta, quæ recenſet doctéque illuſtrat ὁ πάνυ in *Hieroz.* P. I. Lib. II. cap. LVII. licèt indubium ſit, Judæos nullos porcos aluiſſe, unde hæc ſine dubio à gentibus, inter quas nutriebantur, ad Judæos tranſierunt. Quòd ſi locus Prov. XXVI. 6. *de projectione lapidis in acervum Mercurii*, ageret, ut multi Viri Docti, tam inter Judæos, quàm Chriſtianos, contendunt, manifeſta hæc foret locutio proverbialis, à ritu gentium maximè idololatrico deſumta. Quicquid autem eâ de re ſit, ab *incantatione ſerpentum* certè, quam gentes tantopere jactabant, petitas phraſes proverbiales & ad ſublimiorem Doctrinam tranſlatas eſſe, ex Pſalm. LVIII. 5. Eccleſiaſt. X. 11.

&

Digitized by Google

& Jer. VIII. 17. patet. Et quis dubitabit, τὸ *ſacrificare ſagenæ ſuæ & ſuffitum adolere reti ſuo*, Hab. I. 16. à ſuperſtitione quadam idololatrarum originem habere?

VIII.

Secundò, licèt nondum ſatis clara ritûs hujus veſtigia in Judæorum ſcriptis ſint obſervata, minimè tamen inde ritè colligeretur, eum inter illos non obtinuiſſe. Quis enim cum ratione negare poſſet, verè aliquem non ſolùm σαλπισμὸν *circa eleemoſynas* locum habuiſſe, aut *Phariſæos ſtantes in angulis platearum preces fudiſſe*, aut Judæis in more poſitum fuiſſe, ut *reus in feſto, inprimis in feſto Paſchatis, dimitteretur*, cùm duo priora ipſe Servator Matth. VI. 2, 5. poſterius Pilatus Joh. XVIII. 39. tam disertè teſtetur, ut nihil ſupra, licèt nullus hactenus ex Judæorum ſcriptis locus productus ſit, qui id arguat? Aut quis ambigere queat, *gentes quoque in publicum innocentiæ ſignum, manus abluiſſe*, cùm id Pilati exemplum Matth. XXVII. 24. extra omnem dubitationis aleam ponat, licèt hanc conſuetudinem, non obſtante tantâ librorum multitudine, nemo hactenus ex antiquitatibus profanis demonſtrare potuerit. Quo igitur jure concludere licebit, talem ritum apud Judæos quondam in uſu non fuiſſe, ſi is fortè ex aliis Judæorum ſcriptis clarè ſatis adſtrui nequeat? Quod ipſum majoris adhuc ponderis erit, ſi cogitetur, quot Judæorum ſcripta ad nos non pervenerint, in quibus ejus mentio injici potuerit, tum quoque quàm pauca inprimis hodiè exſtent, quæ ſtante adhuc templo ſunt conſcripta. Præcipuè autem quàm facilè evenire potuerit, ut eorum, quæ adhuc ſuperſunt, auctores opportunam ſatis anſam rem hanc tangendi non habuerint. Denique quis gloriari poterit, ſe eâ inprimis intentione omnia Judæorum ſcripta perlegiſſe, ut utrum quædam hujus rei veſtigia in illis latitent, inquirat? Quàm facilè igitur & horum nonnulla illic ſupereſſe queunt, licèt nondum actu obſervata ſint?

IX.

Tertiò, ipſa res non adeò penitùs inter Judæos eſt incognita, ut

Digitized by Google

ut non cum ratione ex iis quæ ſuperſunt, reliqua colligere liceat. Certè, quod primum omnium fundamentum eſt, perforationem aurium ſolemne ſignum eſſe obedientiæ, quâ quis alteri devinctus eſt, uti res ipſa ſuadet, cùm aures propriè ſint, quibus aliorum mandata percipimus, ita Judæis quoque notiſſimum, quin & rem hanc eodem illos ſigno innuere ſolitos, certiſſimum eſt. Provoco ad legem ſupra jam tactam Exod. XXI. 5, 6. *de aure dextrâ, ſervo egredi nolenti, in perpetuæ ſervitutis ſignum perforandâ.* Licèt enim *Celeberrimis Viris* JABLONSKIO & KIRCHMEIERO largitus ſim, ſervum hunc non ſatis commodè, ut typum Servatoris conſiderari, non tamen cum iisdem, aut cum R. JOCHANAN BEN SACCAI apud R. S. J. aliísque nonnullis Judæorum magiſtris, quos in hac ſententiâ duces habent, exiſtimem, id propriè ſervo huic in pœnam factum eſſe. Nulla enim vel minima ejus rei in ſacris veſtigia occurrunt, ſed nudè tantùm dicitur, illum *adducendum ad Deos* (magiſtratus) *editáque illic confeſſione*, (quo nempe res publicâ auctoritate ageretur) *quòd egredi in libertatem nollet, perforationem auris peragendam fuiſſe, ſicque Domino* לעלם *perpetuò*, (i. e. per omnem vitam, niſi interveniret annus jubilæus, quo egredi tenebatur,) *ſervire debuiſſe.* Adde quòd uti pœna ſupponit delictum, ita nullum quoque delictum in ſervo hoc notatur, ſed potiùs honeſta ſatis rei hujus ratio præmittitur, amor nempe non ſolùm Domini, ſed etiam Uxoris, quam illi Dominus dederat, & liberorum ex eadem ſuſceptorum, quos ceteroquin Domino relinquere debebat: com. 5. *Si verò dicat ſervus. Amo Dominum meum, & uxorem meam & liberos meos, non egrediar liber.* Itáne igitur amor uxoris atque liberorum grande delictum eſt, publicâ notâ dignum?

Verùm ponamus etiam, habuiſſe verè quodammodo pœnæ rationem, vel ſic quoque, quod volumus, certum manebit. Quare enim quæſo pœna hæc in aure ejúsque perforatione ſtatuebatur? niſi ut publicè conſtaret, eum perpetuò alterius, quem ſibi Dominum elegerat, dictis audientem eſſe debere. Sic in hunc diem in Oriente quoque moris eſt inter Mohammedanos, ut ſi quis Sabbatho, qui illis, ut notum, dies veneris eſt, dum

dum alii ſacra frequentant, labori incumbat, aure ad templi fores affigatur, quò legi magis ſollicitè attendere, atque obedientiam præſtare diſcat. Narrat rem GEORG. CHRISTOPH. à NEITZ-SCHITZ *in Itinerar.* Lib. VI. cap. VII. cujus verba ex linguâ Germanicâ latinè reddita, ita ſe habent: *Cultui publico tam ſeverè invigilatur, ut ſi quis Sabbatho prebendatur ullum opus peragens, dum alii in templo ſunt, Deóque ſerviunt, is ante fores templi collocetur, & vel os ipſi fœtentibus inteſtinis boum percutiatur*, VEL AURE AFFIGATUR, *ubi tamdiu ſtare debet, donec totus cultus finitus ſit.* Coincidunt quæ JOHANNES WILD in *Itinerario* à SCHWEIGERO edito refert Lib. IV. Cap IV. narrans: *Baſſam Conſtantinopolitanum juſſiſſe, ut ſi Turcam aliquem offenderent, qui non ad preces fundendas veniret, illum ſine morâ* AURIBUS PROXIMÆ TABERNÆ AUT PARIETI ADFIGERENT, *ſive juvenis ſive ſenex eſſet, ſicque adfixum ſtare ſinerent, donec cultus publicus finitus foret, hócque etiam factum eſſe.*

X.

Uti autem ex dictis patet, apud *Judæos*, æquè ac alios orientis populos *perforationem aurium ſervitii ſignum fuiſſe*, ita & apud illos non minus mos obtinuit, ac de his obſervavimus, ut perſonæ jam inde ab utero conſecratæ haberentur, aut ultrò ante nativitatem conſecrarentur. Patet id non ſolùm in *primogenitis*, qui Deo, *ſanctitate uteri*, ut Judæi loquuntur, vi legis Exod. XIII. 2. *ſacri erant*, ſed & aliis qui ex voto Deo à parentibus conſecrabantur. Scilicet Judæi ipſi non tantùm docent in SOTA cap. III. m. 8. *Patrem poſſe filium antequam majorennis eſt, devovere Nazireatui*, ſed & idem à MATRE SAMUELIS jam ante ejus conceptionem factum eſſe diſertè traditur 1 Sam. I. 11. *Et vovit* (Hanna) *votum & dixit, Jehova Zebaoth, ſi intuitus fueris afflictionem ancillæ tuæ, & memineris mei, neque oblitus fueris ancillæ tuæ, dederisque ancillæ tuæ ſemen virile*, DABO ILLUD JEHOVÆ OMNIBUS DIEBUS VITÆ SUÆ, ET NOVACULA NON ADSCENDET SUPER CAPUT EJUS. Ex quo loco ſimul in tranſitu patet, minùs rectè Judæos in SOTA hanc facultatem matri denegare, cùm tamen id diſertè hîc ab HANNA factum lega-

Digitized by Google

legatur, quæ & ratio forſan fuit, cur Magiſtri hanc difficultatem, cui ſolvendæ ſeſe impares ſentiebant, movere noluerint: conferatur WAGENSEILIUS in SOTA pag. 448. ſeq. quamvis tamen, quod in tranſitu moneo, quando idem ait: *magnúmque mirum eſt, nec Gemaram, nec ullum, quos nobis conſulere licuit Commentatorum, illam de Hannâ objectionem tetigiſſe, vel ſolo verbo*, vel nimis generaliter loquatur, vel non omnes etiam vulgares commentatores eum hac de re conſuluiſſe oporteat, nam diſertè eandem tetigit, & ab aliis intactam manſiſſe, non minùs ac ipſe WAGENSEILIUS, miratur R. D. K. in *Commentario* ad 1 Sam. I. ſcribens: אני תמה איך חל נדרה על בנה שהיה נזיר ועוד שלא היה בעולם ואיך חל הנדר עליו ואפי׳ היה בעולם הרי אמרו האיש מדיר את בנו נזיר ואין האש׳ מדרת את בנה --- ויותר אני תמה איך לא דברו רז״ל בזה הדבר כי לא מצאתי בדבריהם בזה שום דבר לא במדרש ולא בתלמוד: *Miror quo pacto votum ejus ceciderit in filium ejus, ut ſit Naziræus, idque cùm nondum eſſet natus, imò quomodo cadere in eum potuerit, ſi vel maximè natus jam fuiſſet. Ecce* (enim) *dixerunt* (Rabbini in SOTA loco adducto) *Vir filium ſuum Naziræatui devovet, non autem fœmina* — — — PRÆTEREA MAGIS MIROR, QUOMODO NIHIL HAC DE RE MONUERINT RABBINI, NEQUE ENIM ULLO VERBO EAM TACTAM INVENI, SIVE IN COMMENTARIIS ALLEGORICIS, SIVE IN TALMUDE. Nonnunquam Deus ipſe quoque iſtiusmodi infantem ſibi ab utero conſecrabat atque deſtinabat, ut patet ex SIMSONE Jud. XIII. 5. cujus nativitatem annuncians angelus Jehovæ ait: *Ecce concipies pariéſque filium, & novacula non adſcendet ſuper caput ejus* כי נזיר אלהים יהיה הנער מן־הבטן *Nam Naziræus Dei erit puer hic ab utero.* Nec non JOHANNE Luc. I. 13, 14, 15. Et talibus idcircò Rabbini, phraſi ex allegato Judicum loco petitâ, nomen נזיר מבטן אמו *Naziræi ab utero matris*, aut reſpectu durationis voti, per omnem eorum vitam נזיר עולם *Naziræi perpetui*, dare ſolent, quamvis poſterior locutio à priori in eo adhuc differat, quòd aliquis etiam, vel quamdiu minorennis eſt à Patre devoveri, vel poſtquam ſui juris factus, ſemet ipſum devovere queat, ad Naziræatum perpetuum, licèt talis

Digitized by Google

talis ab utero matris non fuerit, cujus voti formulæ plures recenſentur in NAZIR. c. I. m. 2. & à MAIMONID. in *Hilch. Nezirutb.* cap. III.

X I.

Hactenus igitur omnia, quæ etiamnum apud orientis populos ſuperſunt, apud priſcos quoque Judæos locum habuiſſe vidimus. Apud utrosque *perforatio aurium Servitutis ſolemnisque ad eandem deſtinationis ſignum fuit.* Apud utrosque *perſonæ quædam ab utero*, ſive *vi ipſius primogenituræ*, *ſive ex voto nonnunquam conſecratæ fuerunt.* Nil ſupereſt quàm ut, quemadmodum etiamnum in Oriente talibus, ab utero conſecratis, in ejus rei ſignum, dein aures perforari ſolent, ita idem quoque apud Judæos in uſu fuiſſe, evincamus. Hujus autem rei veſtigia non obſcura quoque ſupereſſe hodierna experientia ſatis docet. Solent ſanè in hunc diem usque, tum aliis in locis, tum maximè in Poloniâ Primogenitis aures perforari, ínque illis inaures ab iisdem portari. Cujus rei licèt in ſcriptis Judæorum teſtimonia hactenus non invenerim, tamen non ſolùm per plures Judæos certior redditus ſum, ſed & oculatus auritúsque teſtis exſtiti, dum talem, aliquando videns, & cur inaures portaret, interrogans, reſponſum tuli, *ſe eſſe primogenitum.* Cùm igitur non ſolùm in innumeris aliis conſuetudines priſcorum Judæorum cum illis hodiernorum orientis incolarum, ſed & in reliquis omnibus, rei de quá agimus, circumſtantiis conveniant, imò & in primogenitis ob ſanctitatem uteri perforatio aurium obtineat, quis dubitare cum ratione ampliùs poteſt, idem ob eandem cauſam, in *Naziræis ab utero matris*, quoque locum obtinuiſſe. Quod tantò firmiùs concludere licet, quò exactiùs illis ſacris Mohammedanorum ordinibus, aliísque, quos Orientis populi pro ſanctis habent, de quibus ſupra evicimus, quòd aures perforatas gerant, ſive capillorum nutritionem, ſive negligentiorem habitum, ſive quam præ ſe ferunt, abſtinentiam ſpectes, cum Hebræorum NAZIRÆIS convenit. Interim nemini mirum videri debet, ſi etiam clariora rei hujus veſtigia in Judæorum ſcriptis non deprehendantur, quia poſt deſtructum templum votum Naziræa-

tûs penitùs ceſſat, ut diſertè traditur in Nazir cap. V. m. 4. ומשחרב בית המקדש· אינו נזיר *Ex quo autem templum deſtructum eſt, non eſt ampliùs Naziræus.*

XII.

Ceterùm hunc diſertorum teſtimoniorum defectum abundè penſare poterit, quòd eadem omnia quæ ſub hac *perforatione aurium* ſignificata eſſe contendimus, aliis in locis de Messia clariſſimè prædicentur. Talem ſanè præparationem corporis ſui in utero matris ad id à Patre factam, ut dein in lucem editus illi ſe ſervum per omnem vitam ſiſteret, diſertis verbis Messias ipſe deſcribit Jeſ. XLIX. com. 1. יהוה מבטן אמי קראני ממעי אמי הזכיר שמי *Jehova ab utero matris meæ vocavit me, ex viſceribus matris meæ commemoravit nomen meum.* & com. 5. ועתה אמר יהוה יצרי מבטן לעבד לו לשובב יעקב אליו וישראל לא יאסף׃ *Et nunc dixit Jehova*, qui formavit me ab utero sibi in servum, *ad reducendum Jacobum & ut Iſraël non conſumatur*, vel ſecundùm lectionem Maſorethicam, *ipſi colligatur.* En tibi formationem Meſſiæ à Patre jam ad id ab utero factam, ut ſit ſibi in ſervum, quáeque adeò nihil aliud dicit, quàm quòd Paulus præeuntibus Interpretibus Alexandrinis græcè reddit, *σῶμα κατηρτίσω μοι!* Quàm eleganter igitur id, ex more, ut vidimus, in Oriente & ſine dubio quoque inter Judæos quondam, ut etiamnum adhuc in primogenitis, uſitato, per metonymiam conſequentis pro antecedente Pſaltes figuratâ dictione proponit כרית לי אזנים *aures perforâſti mihi?* Cui non malè reſpondet altera phraſis, quâ mox apud eundem Prophetam Jesaiam idem Messias ſermonem continuans eandem rem depingit cap. L. comm. 4. & 5. dicens: יעיר בבקר בבקר יעיר לי אזן לשמע כלמודים׃ אדני יהוה פתח־לי אזן ואנכי לא מריתי אחור לא נסוגתי׃ *excitat omni mane, excitat mihi aurem ad audiendum inſtar diſcipulorum. Dominus Jehova* aperuit mihi aurem, et ego non fui rebellis, nec retrogressus sum. Dicere quidem nolo, *aperire aures* & *perforare*, unum idémque ſecundùm literam dicere, ne hypotheſi ſervire videar,

videar, quamvis tamen illud fortè non penitùs inſulſum foret, cùm פתח de quacunque etiam *aperturâ* & *inciſurâ* uſurpetur, quin pro *ſculpere* adhibeatur, 2 Chron. II. 13. unde פתוחי חותם *cælaturæ* aut *ſculpturæ ſigilli* Exod. XXVIII. 11. celebrantur, imò Chaldæis פותח *apertura* & *foramen* ſit, verùm id tamen indubium eſt, quòd ſi rem ipſam ſpectes, hæc egregiè conveniant, cùm ut rectè monet *Celeb.* VITRINGA, *aperta auris ſit mens prompta & prona, tum ad recipiendas, intelligendas ac diſcernendas doctrinas, quæ cui inſtillantur: tum ad obſequium mandati, quod per aures ad animum fertur.* Atque hinc licèt ipſe paulò aliter verba Pſalmi XL. 7. explicet, ac à nobis factum eſt, ipſe tamen monet, illa hujus loci Jeſaiæ exegeſin præſtare.

XIII.

Vides B. L. methodum, quâ ſine ullâ vi aut coactione & ipſa phraſis Pſaltis commodè explicari & verſio vetuſtiſſima, ab ipſo D. PAULO approbata, cum illâ conciliari queat. Nec dubito, quin quæ hanc in rem attulimus, dein novis facilè obſervationibus, ídque ex ipſis fortè Judæorum ſcriptis, augeri, illuſtrari, ulteriúſque confirmari queant. Sive autem id mihi ipſi concedatur, ſive alteri tam felici eſſe liceat, perinde mihi erit, gaudebóque ſi vel primam tantùm viam oſtendere mihi licuerit, ad inſignem hunc nodum feliciùs, quàm hactenus factum eſt, ſolvendum.

DISSERTATIO XV.

DE

BAAL-HAMON ET BAAL-GAD.

AD CANT. VIII. 11. coll. JOS. XI. 17. & XII. 7.

I.

Licèt inter ſtudia, quæ poſt renatas litteras ad S. Codicis illuſtrationem excoli cœperunt, ſuum quoque locum obtinuerit *Geographia Sacra*, cui in clariori luce ponendæ Bocharti, Fulleri, Spanhemii, Cellarii, Relandi, aliíque Summi in litteris Viri, certatim, non ſine inſigni fructu, operam impenderunt, vix tamen ullum aliud ſupereſt, denſioribus adhuc tenebris circumſeptum, quibus diſcutiendis penitúsque tollendis vix una forſan ætas ſufficiet.

Habentur ſæpe loca diverſiſſima pro iisdem, & contrà eadem, ſed aliis nominibus inſignita, pro diverſis. Multorum nuda tantùm nomina exſtant, quibus dum temerè certam ſedem quidam adſignare conati ſunt, rem magis perturbârunt, quàm illuſtrârunt, quod in Adrichomio dudum Viri Docti notârunt. Exemplo ſit urbs, in quam præſenti Diſſertatione inquirere conſtituimus, quæ cùm unica tantùm ſit, à ſcriptoribus tamen pleriſque omnibus, ob nominis diverſitatem, pro duplici habetur, & cùm Scriptura de ejus ſitu non ſatis clarè loquatur, nullo fundamento intra ipſos Duodecim tribuum fines conſtringitur, quos nunquam tamen attigit. Atque hoc ipſo non exigua urbi huic injuria facta eſt, cùm enim nullam hujus nominis inter alia Terræ Sanctæ loca memorari viderent, pro non magni momenti oppidulo habuerunt, quæ inter celebriores orientis urbes meritò numeranda fuiſſet.

Quod

Digitized by Google

Quod ut manifeſtum fiat, agedum B. L. rem ipſam aggrediamur, receptáſque prius ſententias examinaturi antequam noſtram ſubjungamus à BAAL-GAD initium faciamus.

I I.

SANSONIUS celeberrimus quondam Regis Galliarum Geographus, eam in extremis finibus tribûs Aſer, ad radicem montis Libani collocat, Longitudinem illi ſtatuens 67° 14′ Latitudinem autem in *indice geographico* 33° 32′ at in *mappâ* 29°. CELLARIUS *Geograph. Vet.* Lib. III. c. 13. p. 484. illi locum adſignat in *Auranitide*, ſed pag. 619. in *Trachonitide*. RELANDUS *Palæſt.* Tom. II. Lib. III. p. 611. in generalioribus ſubſiſtit, aſſerítque BAAL-GAD *urbem eſſe in regione cis Jordanem.* Verùm quod pace horum eruditiſſimorum Virorum dictum ſit, totâ omnes aberrant viâ, neque in ullâ regione XII. tribuum, multò minùs cis-Jordanem ſita fuit, ſed in ipſâ *Syriâ*, & quidem in illâ ejus parte, quæ Græcis Συρία κοίλη, Latinis *Cœle-Syria* eſt. Quod patet

1. Quia nullibi in Catalogo urbium inter tribus diſtributarum ejus nomen exſtat, quod ſanè Scriptor libri Joſuæ, dum reliquas omnes recenſet, minimè neglexiſſet.

2. Contrà diſertè dicitur, ſitam fuiſſe *in valle Libani* Joſ. XI. 17. מן ההר החלק העולה שעיר ועד בעל גד בבקעת הלבנון: *à monte calvo, qui adſcendit verſus Sëir, usque ad* BAAL-GAD IN VALLE LIBANI & XII. 7. מן בעל גד בבקעת הלבנון ועד ההר החלק העולה שעירה: *à* BAAL-GAD IN VALLE LIBANI *usque ad montem calvum, qui adſcendit Sëiram.* Quæ verba *in valle Libani*, rectè EUSEBIUS in *Onomaſtico* præeuntibus INTERPRETIBUS ALEXANDRINIS reddit ἐν τῷ πεδίῳ τοῦ Λιβάνου, ut mirum ſit *Celeb.* RELANDUM, adducto hoc EUSEBII loco, ſcribere, illum hæc addidiſſe, cùm tamen verba hæc apud ipſum Scriptorem Sacrum exſtent, & ab EUSEBIO inde pro more in *Onomaſticon* tranſcripta fuérint. VALLIS autem LIBANI appellatur *vallis inter Libanum & Antilibanum* interjacens, quam propriè & κατ᾽ ἐξοχὴν Veteres κοίλην Συρίαν *Syriam cavam* vocant, ut ex

STRABONE Lib. XVI. docet RELANDUS Lib. I. cap. XLVIII. vid. quoque LA ROCQUE *Voyage de Syrie* Tom. I. pag. 28.

3. Sed quid opus eſt rem pluribus argumentis adſtruere, quam ipſa hodierna experientia, & remotiſſimæ antiquitatis veſtigia atque monumenta ſatis evincunt?

III.

Quod ut mecum intelligas B. L. dico urbem hanc non aliam eſſe, quam quæ Græcis in Syriâ imperium obtinentibus, HELIOPOLEOS, & quidem HELIOPOLEOS SYRIÆ aut ad LIBANUM, &c. ad diſtinctionem aliarum ejusdem nominis, & inprimis celeberrimæ illius in Ægypto, appellatione inclyta fuit, in hunc autem diem usque, Orientis populis بعلبك BAAL-BEK, aut BALBEK dicitur. Quod dum adfirmo, minimè ignoro BELLONIUM *Obſervat.* Lib. II. cap. XCV. exiſtimare *Balbek* eſſe *Cæſaream Philippi*, alios *Tadmor* ſeu *Palmyram*, hodiernos Græcos *Nicomediam*, VAILLANTIUM autem eandem cum *Hierapoli* commutare. Verùm omnes hos maximo opere falli, nec BALBEK aliam quàm HELIOPOLIN eſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Arguit hoc

1. Ipſa nominis convenientia, quia, uti HELIOPOLIS *Solis urbem* dicit, cui ſacra fuit, ita & Syris idem, ut notum, BAAL dictus eſt, ut rectè monuit *Celeb.* SCHULTENS in *indice Geograph.* ſubjuncto *Hiſt. Saladin.* in voce *Balbec.*

2. Urbis hujus ſitus idem confirmat, ut dudum RENAUDOTIUS aliíque oſtenderunt, laudati ZORNIO in Diſſertat. de *Heliopoli Libaniſiâ* quæ inſerta eſt *Muſeo Bremenſ.* Vol. II. p. 288.

3. Accedit, quòd inſcriptiones in urbe *Balbek* inventæ, aut propè eam effoſſæ, id extra omnem dubitationis aleam ponant, utpote quæ diſertè nomen *Heliopoleos* præ ſe ferunt. Sic in baſi columnæ cujusdam in præcipuâ Caſtelli urbis parte exſtantis, inſcriptio elegantiſſimis litteris, ſed ex parte temporis injuriâ exeſis, legitur

M. V. M. DIIS HELIOPOL. PROSUL.

. . . .

. . . . . EX VOTO.

ut

ut præter MONCONISIUM docet LA ROCQUE pag. 100. & 134.

4. Eodem faciunt nummi, in quibus templum, cujus ſuperbiſſima rudera in urbe *Balbek* ſuperſunt, repræſentatur, additis verbis COL. HEL. i. e. COLONIA HELIOPOLITANA, quorum nonnullos vide apud eundem LA ROCQUE pag. 142.

5. Idem Vir doctus p. 134. addit, rem ipſis populis Orientis minimè ignorari, inter quos ISA BAR ALI *in Lex. Syriac.* diſertè teſtetur *Balbeck* aliàs *Heliopolin* appellari.

I V.

Cùm autem nomen *Heliopoleos* græcum ſit, neque adeò urbi huic ante illa tempora dari potuerit, quibus Græci ſub Alexandro ejúsque Succeſſoribus Aſiâ potiti ſunt, urbs verò ipſa jam canam, ut in ſeqq. videbimus, antiquitatem præ ſe ferat, neceſſe eſt, ut antea aliud geſſerit, ídque ſine dubio quod vel ſono ipſo, vel ſignificatione cum hodierno convenerit: Dudum enim obſervârunt Viri docti, locis Orientis, quibus à Græcis aut Romanis, cùm rerum potirentur, nomina græca aut latina impoſita ſunt, dein cùm Saraceni Turcáeque regiones illas occuparent, plerumque priſtina reſtituta eſſe, ídque vel eadem planè, vel convenienter ipſorum linguæ aut dialecto pronunciata. Atque hac ratione quoque cenſeo urbem antiquioribus temporibus בעל גד BAAL-GAD, à Græcis autem HELIOPOLIN appellatam, abrogato poſteriori nomine, & convenienter priori بعلبك BAAL-BEK dictam eſſe, quòd hæc appellatio non ſolùm ſono ad antiquiorem illam accedat, ſed & ſignificatione planè eadem ſit. Uti enim vox בעל aut بعل *Baal* in utraque planè eadem eſt, ita hebræum גד *Gad*, communiter *turmam*, *multitudinem* denotat, & גדד *turmatim confluxit:* atque his Arabica بكك & بك planè reſpondent. Quòd enim *Doctiſſimus* BARATIERIUS, qui inter præcoces eruditos ſummo ſuo merito non infimum locum occupat, in *Obſervat.* ad verſionem gallicam *Itiner. Benjaminis* p. 121. ſeqq. nomen urbis hujus ex *Baal* & *Bekaab*, quod *vallem* ſignificat, compoſitum cenſet, atque adeò *val-*

vallem Baalis denotare, exiſtimat, quod etymon quoque placuit *Clariſſ.* HASIO in *Deſcript. Regn. Dav. & Salomon.* col. 260. ſeqq. imò quod mireris, ipſi *Celeb.* VITRINGÆ ad Jeſ. LVII. 5. fundamento omni caret, quia *Baalbek* arab. per ك & ſine ع بعل بكّ ſcribitur, بقعة autem ſeu *vallis* ق & ع habet, præterquam quòd tum non بعل بقعة ſed potiùs بقعة بعل dici debuiſſet. Longè autem ſimplicior certiórque quam damus, etymologia. Scilicet بكك ſeu بكّ ſignificat *compreſſus fuit, uti in denſâ hominum turbâ, confluxit, tumultuatus fuit* & بكّ vel بكّة *hominum multitudinem ſeſe prementem*, unde Arabum nonnulli volunt, urbem MECCAM, ubi MOHAMMEDIS ſepulchrum eſt, ſeu ejus interiorem partem, appellari بكّة BECCAH, *ab ingenti hominum illic ſemet invicem prementium copiâ.* Sic ABULFEDA in *deſcript. Arabiæ* Vol. III. *Geogr. Vet.* HUDSON. pag. 40. ويقال البطن مكة بكة قال في صحاح الجوهري وسمي بطن مكة بكه لازدحام الناس فيه لانه من بكه اي زحمه i. e. ut Cel. SCHULTENS in *indice geograph.* reddit, *Interior Mecca & Becca appellatur. Gjaubarius in ſuo Sehah* (*Lexico* illo ſcil. quod Cl. *Gol.* edidit, non *commentario Alcorani*) *auctor eſt, interiorem partem banc*, ſive *mediam Meccam, Becca vocari, quòd homines ibi ſeſe invicem premant : quia deſcendit à Beccabo, quod eſt preſſit & eliſit eum.* vid. quoque POCOCK. in *not.* ad ABUL FARAJ. *Spec. hiſtor. Arab.* p. 112. ſeq. & HOTTING. *hiſt. Orient.* Lib. I. c. 5. p. 214.

V.

Idem confirmat urbis hujus ſitus: qui per omnia convenit illis quæ ſcriptura S. de ſitu urbis BAAL-GAD teſtatur. Quod ut pateat, obſervandum.

1. Quod ſupra verbo jam tetigi §. II. BAAL-GAD collocari IN VALLE LIBANI, per quam monuimus innui ipſam vallem quæ *Libanum* & *Antilibanum* interjacet, & in quâ Veterum *Cœle-Syria* eſt. Addo hîc, eâ de re tantò minùs dubitari poſſe, quò magis eadem

eadem vox בקעה quâ locis adductis vallis hæc in ſacris inſignitur, in hunc diem, ut propria, eidem inter Libanum & Antilibanum, adhæret. Dicitur enim illa adhuc hodiè conſtanter Arabibus بقاع & بقعة quod Periegetæ pronunciare ſolent *Beka*, *Bequa* aut præfixo articulo *Al-beka*, & *Bocat*, imò iidem voci huic appellationem *vallis* adhuc præmittere conſueverunt, *vallis Beka*, aut *Bocat*, eadem ratione, uti Europæi quoque *Ætnam*, qui جبل id eſt *mons*, *κατ' ἐξοχὴν* dicitur, *monte Gibello* appellant. Sic DE LA ROQUE Tom. I. p. 94. ſcribit: *Cette plaine -- -- -- porte le nom de* ALBKAA, *que nous exprimons par le* BEKA ou BQAA. MAUNDRELL pag. 152. verſ. belg. A. 1705. *Des morgens vervolgden wy al wederom onzen tocht ſchuyns over de valeye van* BOCAT. conf. pag. præced. ubi & ipſe vocem hanc eandem cum hebræâ בקעה vel בקעת imò cum בקעת און *Bikeath Aven* apud Amoſum eſſe cenſet, ſcribens: *Een uur boven Mesgarach geraakten wy van den berg en traden in de valeye genaamd* BOCAT. *Dit* BOCAT *ſchynt het zelfde* BIKEATH AVEN *te wezen, dat wy aangehaald vinden Amoſ.* I. 5. In eadem autem valle ſita eſt urbs BAAL-BEK aut BALBEK, ut idem ibidem & loco mox adducendo docet. Confirmat id DE LA ROQUE p. 97. *La ville de Balbec eſt ſituée dans la Syrie du Liban, au bout d'une longue plaine, qui eſt preſque toute environnée de hautes montagnes.* & HERBELOT. in *Lex. Orient. Balbek ou Baal-Bek Ville de la Syrie ou Cœle Syrie.* Sic & FRANC. FERDINANDUS DE TROILO in *Itiner. Orientali* edit. *Francof.* & *Lipſiæ* recuſæ pag. 71. teſtatur, *ſitam eſſe urbem Balbeck non in monte Libano, ſed potiùs in Syriâ aut* COELE SYRIA.

V I.

2. Alter Character eſt, quòd BAAL-GAD ſtructa fuit ad *latus orientale vallis hujus*, ſeu quod eodem redit, *propè Libanum ad orientem ſolis*. ut diſertè dicitur Joſuæ XIII. 5. והארץ הגבלי וכל הלבנון מזרח השמש מבעל גד תחת הר חרמון עד לבא חמת *& terra Giblitarum & univerſus Libanus ad ortum Solis, à Baal-Gad, ſub montem* (vel ad radicem montis) *Chermon, uſque dum itur Cha-*

matam. Eſt autem orientalis tractus montis Libani, ſeu *Libanus ad ortum ſolis*, ille quem Auctores profani *Antilibanum* appellant, cùm Libanus propriè iiſdem dicatur, qui ex adverſo ad occaſum non longè à littore maris à Sidone Simyram uſque protenditur; ut dudum monuit Eusebius in *Onomaſt.* ad vocem Ἀντιλίβανος, dicens: τὰ ὑπὲρ τὸν Λίβανον πρὸς ἀνατολὰς πρὸς Δαμασκηνῶν χώραν i. e. interprete Hieronymo *Antilibanus. Ea quæ ſunt ſupra Libanum* AD ORIENTALEM PLAGAM RESPICIENTIA ANTILIBANUS APPELLANTUR *circa regionem Damaſci.* Idem fuſiùs oſtendit eruditiſſimus Maundrellus pag. 150. ſeqq. quem idcircò quoque jam cum Eusebio contulit *Cel.* Relandus *Palæſt.* Lib. I. cap. XLVIII. Quòd ſi igitur adjaceat *Baal-Gad* Libano ad orientem ſolis ſeu Antilibano, qui ad Orientem, ut Libanus ad occidentem, Cœle Syriam, ſeu vallem de quâ egimus, claudebat, patet *Baal-Gad* quoque ad orientem vallis hujus ſitam eſſe debuiſſe. Atque hic ipſe ſitus quoque eſt urbis *Baal-Bek.* Ita diſertè iterum Maundrellus teſtatur p. 170. *De Stad legt in een zeer vermaaklyke en welgelegene Landsdouwe*, AAN DE OOSTZYDE DER VALEY BOCAT. & de la Roque p. 77. *& enfin la ville de Balbec ſituée dans la même plaine du côté oppoſé au Nord.* confer. & *tab. geogr.* Maundrelli apud Reland. loc. add.

V I I.

3. Tertius character eſt, quòd Baal-Gad, ut ex verbis Joſuæ modo allegatis manifeſtum eſt, fuit תחת הר חרמון *ſub monte Chermon*, ubi obſerva, quòd plerique dudum agnoverunt, montem Chermon aut Hermonem *Libano*, & quidem illi ejus tractui orientali, qui *Antilibanus* propriè audit, adſitum fuiſſe, idque in illâ inprimis regione, quæ fontibus Jordanis & terræ trans Jordanicæ obverſa eſt, atque urbi Paneadi imminet, húncque & κατ' ἐξοχὴν aliquando בעל חרמון *Baal Hermon* appellari. v. Reland. cap. XLIX. Verùm idem *Vir Celeb.* mox rectè monet, *Chermonem plus uno verticem habuiſſe*, quod ipſum vel hoc ſolùm evincit, quòd non ſolùm *totius montis Hermon* mentio fit Joſ. XIII. 11. ſed & diſertè *Baal Hermon* & *mons Her-*

mon

mon diſtinguuntur 1 Chron. V. 23. Addo ego nunc, quòd quemadmodum nonnulli tractus Libani peculiares denominationes acceperunt, ut RELANDUS ibid. docet, ita & nominis HERMON eadem ſit ratio, eóque non niſi quædam pars *Antilibani* inſigniatur, conf. & P. Rev. Epiſcopus PATRICIUS ad Num. XXXIV. 8. aſſerens, *Hermon certiſſimè erat pars Libani.* Atque hæc ratio eſt, quare exteri Scriptores nunquam *Hermonis* meminerint, ſed illum potiùs communi *Libani* aut propiùs *Antilibani* appellatione comprehendant. Deinde quod inprimis illa *Antilibani pars*, quæ ab urbe Paneade ulterius ad latus *dimidiæ tribus Manaſſis*, ſeu, uti dein appellabatur, *Trachonitidis*, verſus Damaſcum protenditur, hoc nomine inſigniatur. Patet id א quia diſertè dicuntur, *filii dimidiæ tribus Manaſſis habitaſſe in terrâ à Baſan uſque ad Baal-Hermon & Senir & montem Hermon* 1 Chron. VI. 23. ב quia loco Joſuæ adducto, diſertè mentio fit, *univerſi Libani ad orientem ſolis* (i. e. Antilibani) *à Baal-Gad ſub monte Hermon*, i. e. *ad radices montis Hermon*, quemadmodum eadem ratione R. BENJAMIN *Itin.* p. 58. urbem Hamath תחת הר הלבנון *ſub monte Libano* collocat, & JOSEPHUS *Antiq.* Lib. XIV. cap. XIII. urbi *Chalcidi* tribuit ſitum ὑπὸ τῷ λιβάνῳ ὄρει. Aſt quâ ratione quæſo non ſolùm longitudo Antilibani ſupputari poterit, ab urbe ad radices montis Hermon ſitâ, ſed & ipſa hæc urbs trans Antilibanum in Cœle Syriâ ſtructa, dici ad radices montis Hermon ſita eſſe, niſi eo in loco *Antilibanus*, HERMON dictus fuerit? Ut autem omnia hæc nunc ad ſcopum noſtrum referamus, patet hinc urbem BAAL-GAD non ſolùm in orientali parte Cœle Syriæ, ſed & ad radices Antilibani ſitam fuiſſe. Hoc quoque exactè ſatis in urbem BALBEK quadrat. Uti enim modo oſtendimus, illam ad orientem *vallis Bocat* ſeu Cœle-Syriæ ſitam eſſe, ita illic proximè ad Antilibanum appropinquat, quo à regione Damaſcenâ ſeparatur. DE LA ROQUE pag. 97. *La Ville de Balbec eſt ſituée dans la Syrie du Liban au bout d'une longue plaine, qui eſt preſque toute environnée de hautes montagnes. La plaine a ſon etenduë du côté du Damas, &* ELLE EST ENCORE SEPARÉE DU TERRITOIRE DE CETTE DERNIERE VILLE PAR D'AUTRES MONTAGNES, QUI FONT UNE SUITE *du Liban, ou de* L'ANTI-LIBAN.

Hh 2 &

& adhuc clariùs BELLONIUS *Obſerv.* Lib. II. cap. XCV. AB ITINERE DEFLEXIMUS, UT IN BALBEC VENIREMUS, *vetuſtam & celebrem Phœniciæ urbem*, AD MONTIS LIBANI (ita loquitur cum àliis ſcriptoribus quàm plurimis licèt is propriè loquendo ſit ANTILIBANUS) RADICES SITAM; nec non ROGERIUS in *deſcriptione terræ Sanctæ* Lib. II. Cap. VIII. *Elle eſt ſituée dans une riche plaine* AU PIED DU MONT LIBAN, VERS L'ORIENT. Atque hoc ipſum egregiè convenit verbis EDRISII *Clim.* III. *Part.* V. ومنها الي مدينة بعل بك في جهة الشمال مرحلتان وهي مدينة خصبة علي سفح جبل *atque hinc* (à Damaſco) *ad urbem Baal-Bek ad latus ſeptentrionale ſunt duæ ſtationes*, *haécque urbs* SITA EST AD RADICES MONTIS. Idem ex deſcriptione itineris MAUNDRELLI, quod *Balbeco Damaſcum* inſtituit, non ſolùm, ſed & ad oculum ex tabula ejuſdem apud RELANDUM patet. Non parum quoque id confirmatur ex ſitu *Heliopoleos*, quam ſupra vidimus eandem cum *Baalbek* fuiſſe. Hanc enim *appropinquare ad montem Libanum* (i. e. Antilibanum) eámque ob cauſam *Fœminas Heliopolitanas* Λιβανωτιδέας dictas, quin & ipſam *Heliopolin* Veteribus Ἡλιόπολιν πρὸς λίβανον & ἐν λιβάνῳ appellatam eſſe, ex antiquis geographis & nummis jam docuit DE LA ROQUE p. 137. & p. 140.

VIII.

Denique 4 ultimus eodem in loco character, unde ſitus urbis *Baal-Gad* colligi poteſt, invenitur, quòd *Libanus* ſeu *Antilibanus* ſe extendat, à *Baal-Gad* ſub monte Chermon USQUE QUO ITUR CHAMATAM. Nolo hîc operoſè inquirere, quonam græco nomine urbs hæc CHAMAT vel HAMATH aliquando inſignita fuerit, nihil enim hoc ad præſens noſtrum inſtitutum facit, cùm urbs hæc etiamnum apud orientis populos eodem illo antiquo nomine HAMATH celeberrima notiſſimáque ſit, ſed obſervo tantùm in relatione ad illam *Baal-Gad* auſtraliorem fuiſſe, quia *Antilibanus inde ulterius Chamatam uſque extendebatur.* Eandem autem & *Balbek* ad illam relationem habet. Hujus enim *Latitudo* eſt, ſecundùm NASSIR ETUSÆUM 33°. 40′ vel ſecundùm ULUG-

Ulug-Begum 33°. 15′ illius autem ſecundùm Etusæum 34°. 40′ ſecundùm Abulfedam, qui in eadem principatum obtinuit 34°. 65′ ut adeò *Balbek* urbe *Hamat* uno circiter gradu auſtralior ſit. Atque hæc egregiè ſtabiliuntur, ſi utriuſque *longitudo* conferatur. Hæc enim ferè eadem eſt, Balbek enim ſecundùm Nassik Etusæum habet *longitudinem* 70°. 45′ Hamath autem 70° 40′ à quâ & calculus Abulfedæ non longè abit, qui Hamatæ dat 60° 45′ ut docet Grabius in *præfat. Chowaraſm.*, *& Mawaralnab.* præfixâ pag. 5. Diſcrimen enim decem graduum, inde eſt, quod alter longitudinem ab inſulis fortunatis, alter ab ultimo promontorio, quod mari Atlantico alluitur, ſupputat, ut idem Grabius monuit p. 8.

I X.

Quod ſi omnibus his rationibus ritè perpenſis meritò hanc cogitationum noſtrarum ſummam fecimus, antiquiſſimam urbem בעל גד eandem cum hodiernâ Balbek eſſe, eodem negotio facilè conficimus בעל המון Baal-Hamon quoque, cujus ſemel tantùm, ſcilicet Cantic. VIII. 11. ſit mentio, ab eadem minimè eſſe diverſam. Non morabor hîc aliorum ſententias, quorum plurimi locum hunc, procul dubio, quoniam nihil certi de eò dicere poterant, planè omittunt, alii autem ſine omni fundamento illum propè Hieroſolymam quærunt, ut Grotius ad *Cantic.* loc. adductum, ſed certiſſimum eſt, illum nullibi niſi in ipſâ urbe Baal-Gad aut Balbeck inveniri poſſe. Id enim primò ipſum nomen non obſcurè arguit, nam המון idem omninò cum hebræâ voce גד aut Arabicâ بك nempe *multitudinem*, *turbam*, *copiam*, ſignificare, notiſſimum, & à nobis quoque in Diſſertatione *de mutat. nom. Abrab. & Saræ*, monitum eſt. Atque hinc pro בבעל המון quoque loc. laud. Cant. Scholia Græca habent ἐν ἔχοντι πλῆθος & alia Scholia ἐν συνοχῇ ὄχλου. Ut autem res tantò magis eluceſcat, obſervandum, quòd cùm apud Hebræos nomina propria tam perſonarum quàm locorum plerumque ſint appellativa, atque adeò non raròcontingat, ut pro uno aliud idem ſignificans ſubſtituatur, minimè mirum

Digitized by Google

cenſeri queat, ſi eadem urbs, literarum quidem ſono duplex, ſed ſignificatione tamen idem nomen, præcipuè diverſis temporibus, geſſerit. Neque tamen etiam neceſſe eſſet, ut revera urbem binominem fuiſſe ſtatuamus, cùm Auctori hujus Cantici, ut Poëtæ ſatis integrum fuerit, loco unius vocabuli, alterum ejuſdem ſignificationis, ſed metro procul dubio magis conveniens, adhibere. Quam, ut verum fatear, proximam diverſæ hujus appellationis rationem crederem: præcipuè quia idem aliàs in ligatâ quoque Oratione non infrequens eſt.

X.

Quicquid autem hujus ſit, nemo ſaltim æquus rerum arbiter inficias ibit, nos non ſine cauſâ duo hæc loca, nominum ſignificatione tam exactè convenientia, pro iiſdem habere. Maximè cùm nullibi aliàs in univerſo ſacro Codice Baal-Hamon memoratur, atque adeò vel ſtatuendum ſit, locum hunc in recenſione urbium, toties atque tot occaſionibus factâ, ſemper neglectum eſſe, quod non admodum probabile, vel eundem ſub alio nomine latere.

Verùm quod maximè hanc hypotheſin corroborat, eſt, quòd quæ Auctor Cantici de Baal-Hamon affirmat, in noſtram urbem Balbek egregiè quadrant. Celebrat eam à præſtantiſſimis maximéque frugiferis vineis כרם היה לשלמה בבעל המון נתן את הכרם לנטרים איש יביא בפריו אלף כסף: כרמי שלי לפני האלף לך שלמה ומאתים לנטרים את פריו *Vinea fuit Salomoni in Baal-Hamon: dedit vineam cuſtodibus, quiſque adducet pro fructu ejus mille ſiclos. Vinea quæ mibi, coram facie meâ eſt, mille tibi ſunt ô Salomon, & ducenti cuſtodientibus fructum ejus.* Quæ ſi in ullum alium locum, certè in ſolum urbis Balbek egregiè quadrant. Ut enim multæ Syriæ regiones, & maximè circa montem Libanum vineis vinóque præſtantiſſimo abundabant, unde & Hoſ. XIV. 8. dicitur, *& odor ejus eſt ut* vinum Libani, conf. Gabriel Sionitæ & Joh. Hesronit. tractatus de *nonnullis Oriental. urbibus*, ſubjunctus verſ. *Geograpb.* Edrisii p. 15. nec non Cotovici *Itiner.* p. 380. ita omnium celebratiſſimum

mum circa urbem *Balbek* & in valle, ubi hæc ſita, naſcebatur. Sæpius id teſtatur plus ſemel laudatus *Celeberrimus Periegetes* DE LA ROQUE in *Itiner.* ut Tom. I. p. 79. & 80. *ſur la fin on apporta de grenades d'une groſſeur prodigieuſe, &* DES RAISINS INCOMPARABLES EN BEAUTÉ ET EN BONTÉ; *enfin je n'ay jamais mangé de pain de meilleur goût, ni bû* DE VIN PLUS AGREABLE, *& plus leger, que danc ce repas* & p. 83. *Je ne dis rien* DU VIN, QUI ÉTOIT DES PLUS ESTIMEZ DU LIBAN. Idem p. 95. *Cette plaine, ou pour mieux dire, tout le long territoire de Balbec juſqu' aux montagnes porte le nom de Albkaa -- -- -- c'eſt un Pays delicieux & pour ainſi dire enchanté, & qui ne cede rien au territoire de Damas ſi renommé chez les Orientaux. Le Beka produit, entre autre choſes,* CES BEAUX ET EXCELLENS RAISINS, *que l'on envoye de tous côtés, ſous le nom de raiſins de Damas.* Præivit ipſi jam hac in parte ROGERIUS Lib. I. c XX. *Les raiſins de Damas y eſtans fort communs : quoyque* LES MEILLEURS SE RECUEILLENT AU TERRITOIR DE BALBEC.

X I.

Neque eſt ut quis dubitet, an SALOMON ad *loca Syriæ* alludere in hoc Cantico voluerit, vel an ibi quoque ullas regiones poſſederit, ubi *vineas* colere, & *cuſtodibus* elocare potuerit. Quod ad prius enim attinet, ſæpiſſimè in eodem hoc Cantico illud fieri videmus, ut cap IV. 8. אתי מלבון כלה אתי מלבנון תבואי *Mecum à Libano, amica, mecum à Libano veni.* & vſ. 11. ריח שלמתיך כריח לבנון *odor veſtium tuarum ut odor Libani.* & vſ. 15. מעין גנים באר מים חיים הנוזלים מלבנון *Fons hortorum, puteus aquarum viventium fluentium ex Libano.* & V. 15. מראהו כלבנון בחור כארזים *Adſpectus ejus eſt ut Libanus, electus ut Cedri.* & præcipuè VII. 4. אפך כמגדרי הלבנון ציפה פני דמשק *Facies tua ut turris Libani, reſpiciens Damaſcum.* Qui locus nobis adhuc paulò propiùs mox excutiendus erit. Quod ad alterum ſpectat, dubio omni caret, Salomonem plurimas urbes regionéſque Syriæ poſſediſſe. Non enim tantùm DAVID pater ejus

fuſo

fuſo ingenti prælio HADAD EZARE Rege Syriæ Zoba, victricibúſque armis ad *Euphratem* uſque prolatis, *Damaſcum* occupaverat, illíque præſidium impoſuerat 2 Sam. VIII. 3. ſeqq. & 1 Chron. XVIII. 3. ſeqq. ſed & Rex HIRAM SALOMONI plurimas *Syriæ* urbes dediſſe & SALOMON in ipſo Libano urbes tributarias ædificaſſe legitur. 2 Chron. VIII. 2. ſeqq.

X I I.

Non leve huic ſententiæ pondus accedit ex ſtupendorum operum, quæ BALBECI inveniuntur, propiori contemplatione, eorúmque quæ Orientis populi de illis ex antiquâ traditione narrant, collatione. Scilicet ſunt illic *ſubſtructiones admirabiles, & veſtigia antiquitatis magnifica; Palatiáque columnis ſuffulta marmoreis, quibus nihil in orbe viſitur par aut ſimile*, ut ex *Lexic. Geograph.* Arab. MSC. docet *Celeb.* SCHULTENS in *Ind. Geogr.* Sunt enim illic non ſolùm inſignes reliquiæ auguſtiſſimi ſuperbiſſimíque templi, cujus jam §. III. mentionem injecimus, ſed & inprimis muri & caſtellum, tam ingentibus lapidibus ſtructum, ut planè concipi nequeat, quo pacto illi hominum manibus tractari, in hunc locum deferri, aut ad eam quam occupant, altitudinem elevari potuerint. Audiamus hac de re fide digniſſimum periegeten MAUNDRELLUM p. 173. ſeq. *Hier ter plaatze is nog iets opmerklycks: maar iemand dient noodzaakelyk, eer hy het oppert, verzekerd te zyn, van geloofd te zullen worden, opdat men hem niet verdagt houde, als of hy de vryheid der Reizigers misbruykte. Dat ik meen is een groot gedeelte van den ouden muur of* περίβολος, *daar al deze boven gemelde gebouwen in beſlooten leggen: een muur die uyt zulke onmanierlyke groote ſteenen beſtaat, dat de nabuurige volkeren meenen (gelykze van alle vreemde dingen van die natuur gewoon zyn te denken) dat het een werk is door den Duyvel zelf gemaakt. Wy namen de moeite drie van de grootſte ſteenen te meten, en bevonden datze t'zamen 183 voeten lang waren, te weten de eene 83. en d'andere twee, elk 80 voeten. In de dikte haddenze yder 12 en in de breedte even zo veel voeten. Deze drie ſteenen lagen end aan end in eene ry; voorts was de geheele muur van diergelyke ſteenen opgemaakt, maar ik heb*

heb 'er geene zo groot gezien als deze. Dog het grootſte wonder hier ontrent is, dat die ſteenen meer dan twintig voeten boven gronds in den muur leggen. Addimus alterum ſæpius jam à nobis laudatum huíque ὁμόψηφον, ſi circumſtantias quaſdam magnitudinis lapidum excipias, quæ tamen ad noſtrum inſtitutum minimè faciunt, DE LA ROCQUE: qui pag. 98. ita ſcribit: *Quoique la ville en ſoit preſque toute remplie, on s'attache principalement, à la viſite d'un grand Palais, communement appellé lé Château, & à celle d'un Temple encore plus entier & plus magnifique que le Palais. Ce Chateau, ſitué à l'extrémité Occidentale de la Ville repreſente à ſon exterieur un plan imparfaitement quarré, par la diſpoſition de quatre grands murs qui l'enferment de tous côtez. Ces murs ſont tous entourez d'un large foſſé revêtu de grandes pierres: Il étoit autrefois tres-profond d'eau vive. La premiere choſe qui frappe & qui ſurprend d'admiration, avant même que d'entrer dans cette vaſte enceinte, c'eſt la qualité des pierres dont les hautes murailles, qui la forment, ſe trouvent conſtruites.* Ces pierres *ſont exceſſives en toutes leurs dimenſions; on en a meſuré pluſieurs qui ont plus de ſoixante deux pieds de longueur, & jusqu' à ſeize pieds de hauteur ou de large. Celles qui merite le plus d'attention, ſont employées au mur de derriere, ou du fonds, ou l'on trouve que trois ſeules pierres d'environ ſoixante pieds chacune forment enſemble une longueur de plus de cent quatre-vingt pieds, encore les pierres ſont elles élevées à plus de dix-huit pieds de terre dans la muraille; ce qui eſt une eſpece de prodige qu'on ne trouvera nulle autre part.*

Stupenda hæc aliáque urbis hujus opera, Orientis populi quidem, ut modo MAUNDRELLUM quoque monuiſſe vidimus, diabolum ipſum condidiſſe aſſerunt, conf. & DE LA ROCQUE p. 128. Verùm non tam ſtupidos credere oportet hos eſſe populos, ut verè omnes ita ſentiant, ſed vel de rudiore plebe id accipiendum eſt, vel fortè inde natum, quòd Judæi quoque aſſerere ſolent, Diabolum SALOMONI in ſtupendis operibus ſuis inſervire debuiſſe. Ceteroquin enim non *Judæi* tantùm, ut cenſet DE LA ROCQUE, ſed & ipſi *Mohammedant* SALOMONI hanc gloriam tribuunt. De *Judæis* id conſtat ex R. BENJAMINE, qui in *Itinerario* edit. L'EMPER. p. 57. ſcribit ומשם לבעל ב"ק חצי

יום -- -- -- אשר בנה שלמה לבת פרעה: *inde autem* (veni) *dimidii diei ſpatio Baalbek* -- -- -- QUAM ÆDIFICAVIT SALOMON *filiæ Pharaonis.* De *Mohammedanis* tantùm adfero CHEREFEDDIN ALI in *hiſtoriâ Timuri*, verſ. gallicæ, quam Doctiſſimus PETIS DE LA CRIX adornavit Tom. III. Lib. V. cap. XXIII. *l'on tient qu'elle a eté bâtie par* L'ORDRE DE SALOMON, *par les mains de Demons & des Genies, auſquels il commendoit ſouverainement.* Idem paſſim ex incolarum ore adnotârunt Periegetæ quàm plurimi. Unde *Clar.* JOH. MATTH. HASIUS in *Deſcript. Regni Davidici & Salomonæi* col. 260. ait: *Suffragatur huic opinioni perſuaſio incolarum, qui eam à Salomone ſtructam prædicant.*

XIII.

Et ſanè ad me quod attinet, diffiteri non poſſum, me quoque in eâ eſſe hæreſi, ut præcipuam priſtini urbis hujus ſplendoris & magnificorum ejus operum gloriam Salomoni vindicandam cenſeam; idque.

1. Ob ipſam hanc incolarum aliorúmque Orientis populorum traditionem, quam ſanè de nihilo eſſe, mihi non facilè perſuadere poſſum. Inprimis cum teſtimonium hoc in re domeſticâ, quam ſcire ex traditione Majorum potuerunt, præbeatur, neque ulla ſat gravis illud rejiciendi cauſa adferri queat.

2. Quia opera Auctorem aliquem magnificentiſſimum reíque architectonicæ peritiſſimum non ſolùm arguunt, ſed & vix credi poteſt, Syriæ quondam Reges Seleucidas, aut Romanos illa ſtrui curâſſe, nam uti id Romanorum moribus minùs erat conveniens, Syriæ autem illi Reges, nihil hiſce ſimile vel in ipſis illis urbibus quas fundârunt, aut ubi ſedem regni poſuerunt, unquam tentârunt, ita vix cogitari poteſt, ne verbulo quidem rei tam memorandæ mentionem ab ullo hiſtorico injectam fuiſſe.

3. Ex ſacris litteris clariſſimè conſtat SALOMONEM non ſolùm Hieroſolymis, & in ipſâ terrâ XII. tribuum, ſed etiam in *Libano* urbes & ædificia erexiſſe, 1 Reg. IX. 19. coll. 2 Chron. VIII. 6. neque dubitari poteſt, id in locis Libani amœniſſimis terráeque Canaanis maximè vicinis, factum eſſe.

4. Denique idem præcipuè confirmat DOMUS SYLVÆ LIBANI, quam

Digitized by Google

quam diſertè dicitur *Salomon ſtruxiſſe*, & quidem *ex ingentibus lapidibus ſerrâ diſſectis*, quáeque fuſe deſcribitur 1 Reg. VII. 2. ſeqq. Non ignoro quidem multos per hanc domum intelligere Palatium aliquod Hieroſolymis aut in hujus urbis confiniis erectum, ſed & novi eos nullum idoneum ejus rei fundamentum habere, tum quoque neminem tam inſignis palatii veſtigia apud ſacros profanóſque Scriptores in illâ regione oſtendere poſſe, qui tamen ejus ſine dubio ſæpius meminiſſent. Inprimis autem nemo dubitare poteſt, appellationem ipſam propriè domum aliquam in regione quadam ipſius Libani multis arboribus obſitâ innuere, cui propriæ verborum ſignificationi tanto majori jure inhæremus, quò magis illa locis modo num. 3. adductis de urbibus & ædificiis à Salomone in Libano ſtructis, confirmatur, neque ulla idonea ratio dari poteſt, quare inde recedamus. Quod enim S. Rever. Epiſcopus Patricius objicit ad h. l. eum *thronum* ſuum ſine dubio non tam longè ab urbe Hieroſolymâ erexiſſe, quod tamen illic factum legitur com. 7. neque *ſcuta aurea* quæ parari curaverat, illic depoſiturum fuiſſe cap. X. com. 17. exigui admodum momenti eſt. Nam quod ad primum attinet, ſi quis omninò *thronum regium Hieroſolymitanum* intelligere vellet, non neceſſariò verba com. 7, & 8. referrentur *ad domum ſaltûs Libani*, ſed pro novâ deſcriptione aliorum magnificorum Regis hujus operum haberi poſſent: at nec illud neceſſarium eſt, *thronus* enim ſplendidiſſimus *Hieroſolymitanus* demum cap. X. deſcribitur, unde hic rectiſſimè de alio quodam in propriè dictâ domo ſaltûs Libani accipitur, eum in finem parato, ut Salomon illic, ubi vellet, aut circumſtantiæ id flagitarent, devictis in Libano, & fortè etiam vicinis populis regnorum aut regionum imperio judaico adjectarum, jus diceret, aut etiam per alios dici curaret. Ad alterum autem quod ſpectat, quid quæſo in eo eſt difficultatis, quod Salomon, qui ubique magnificentiæ ſuæ auguſtiſſima ſigna edebat, omniáque Hieroſolymis aurea fecerat, etiam *ſcuta aurea* in domo ſaltûs Libani deponi curaret, ut quoties eò excurreret, inter ſubjugatos populos tantò majori ſplendore compareret, & vicinis quoque Syriæ regibus incredibilem opulentiam oſtenderet? Ut adeò nihil ſimplicius, verborúmque

Digitized by Google

ſignificationi convenientius ſit, quàm in hac urbe domum illam Libani quærere, quemadmodum & à Syriæ incolis multíſque qui ipſa hæc loca luſtrarunt, non immeritò dudum factum eſt. Certè Gabriel Sionita & Joh. Hesronita ſine ullâ hæſitatione tractatu ſupra memorato cap. VI. pronunciant. *Hic erat illa domus ſuperbiſſima, ſeu Libani turris centum longitudinis cubitorum porrecta, quinquaginta latitudinis, cujus rudera adhuc in ipſo Libani ſaltu viſuntur.* conf. & *Princeps* Radzivilius in *Peregr. Jeroſol.* Epiſt. II. aliíque.

X I V.

Hæc dum aſſero, non metuo judicium Virorum eruditiſſimorum in Angliâ, qui illud cedro digniſſimum opus *Hiſtoriæ mundi univerſalis* incredibili Doctrinæ adparatu adornârunt, quod uti dudum in alias linguas tranſlatum eſt, ita nuperrimè quoque ſupremis auſpiciis *Celeberrimi* Baumgartenii germanico idiomate prodire cœpit, qui Part. II. vſ. 176. in not. aſſerunt, *ſemet ſibi blandiri ſecundùm illam quam ex Maundrello & de la Rocque dederunt deſcriptionem Balbeci, nullum Antiquitatis peritum conceſſurum, quòd Salomoni quicquam, cum eo, quod illic cernitur, commune fuerit.* Verùm ignoſcant mihi Viri quorum inſignem eruditionem maximi facio, quòd eorum judicio hac de re ſubſcribere minimè poſſum; quoniam omnia quæ ab ipſis allata ſunt, rem minimè conficiunt. Redeunt illa huc potiſſimùm, quòd paſſim ſculptæ *Deorum Dearúmque*, *Arionis*, *Tritonum*, aliorúmque monſtrorum marinorum, *Famæ* & *Cupidinum* imagines, non ſolùm, ſed & inſcriptiones quædam latinæ cernantur, quæ omnia Salomonem Auctorem habere non poſſe videntur. Verùm ad imagines quod attinet, generatim præmittimus, illas ex hiſtoriâ fabuloſâ petitas, cum monſtris marinis ſimilibúſque ad ornatum in parietibus aut ſuperliminaribus portarum ſculptas, minimè nos cogere ad opus hoc Salomoni abjudicandum, cùm hiſtoria fabuloſa præcipuè ex oriente originem habeat, & Salomon inprimis architectis Syris uſus ſit, quin & monſtra marina in ipſo lychnucho ſacro in arcu Titi Vespasiani effigiata cernantur. Quod autem ad majores ſtatuas Deorum Dearúmque ſpe-

Digitized by Google

ſpectat, non ſolùm hactenus ne ſatis quidem conſtat, utrum verè iſtiuſmodi ſimulacra, an verò potiùs *Virorum* & *Fœminarum celebrium*, *Regum* & *Principum* effigies, aut fortè etiam figuræ hieroglyphicæ ſint. Deinde ſi vel maximè pro ſimulacris falſorum Numinum haberi debeant, ita comparata atque poſita ſunt, ut non neceſſariò ſtatim cum ipſâ ædificiorum erectione ſimul illic collocata eſſe ſtatui debeant, ſed ſequentibus demum temporibus addita eſſe queant. Poſterius hoc inprimis quoque circa inſcriptiones obſervandum eſt. Uti enim nihil obſtat, quò minus illæ ſeriùs incidi potuerint, ita omnes circumſtantiæ id ſatis clarè arguunt. Nemo ſanè facilè erit qui credat, ſplendida hæc opera à Romanis primùm eſſe ſtructa, ex quo ipſi Syriam imperio ſuo adjecerunt, præter rationes enim §. XIII. num. 2. jam adductas vel id ſolùm contrarium evincit, quòd LUCIANUS de *Deâ Syriâ* Cap. V. *templum urbis hujus* ſuo jam tempore ut *antiquum* deſcripſerit, *quod Ægyptium ſit & Heliopoli in Phœnicem venerit.* Quod ſi antequam Romani rerum in Syriâ potirentur, à Regibus Syris aut Græcis ſtructum fuiſſet, ſine dubio hi non Romanas, ſed Syriacas aut Græcas inſcriptiones lapidibus incidi curâſſent. Unde ſi quid video, luce meridianâ clariùs conſtat, illas non cum primâ ædificiorum horum erectione natas, ſed ſerioribus temporibus additas eſſe. Denique quando SALOMONEM auguſtiſſimorum illorum operum Auctorem ſtatuo, non id volo, quòd quicquid illic unquam ſplendidum & magnificum fuit, ab ipſo ſolo profectum ſit. Quemadmodum enim ſupra evici, urbem jam Joſuæ tempore exſtitiſſe, atque adeò jam tum illic inſignia ædificia eſſe potuerunt, quæ SALOMO novis augere, aut adhuc ad majus decus extollere potuit, ita etiam nihil impedit, imò ex aliarum urbium fatis non ſine ratione colligitur, ſequentes quoque Reges aut Principes Syriæ, nonnulla temporum injuriâ collapſa, reparaſſe, ſecundùm ſuos mores & inprimis Sacrorum rationem immutâſſe, quin & iiſdem nova quædam ædificia addidiſſe, quibus omnibus non obſtantibus, non pauca magnificentiæ Salomonis monumenta reliqua manere potuerunt. Omnia hæc non parum confirmabuntur, ſi quis perpendat, urbem PALMYRAM ipſâ ſcripturâ teſte à SALOMONE eſſe ſtructam 1 Reg. IX. 11. & 2

Digitized by Google

Chron. VIII. 4. ſive jam eam primùm condiderit, ſive magis ampliaverit, atque auxerit, at nihilominus in monumentis ejus non pauca ſupereſſe, inprimis verò *inſcriptiones Palmyrenas* & *Græcas* quàm plurimas inveniri, quæ certiſſimè Salomonis ævo longè ſunt poſteriores. Quid quod? in ipſâ urbe Balbek reperiuntur *inſcriptiones græcæ recentioris ævi*, ut illa quam Maundrellus exhibet p. 175. in quâ ΘΕΟΔΟΤΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ mentio fit, at quis non videt hanc ſimiléſque nullum canæ urbis hujus aut ſtupendorum ejus operum antiquitati præjudicium adferre?

X V.

Alias minores difficultates quas alii movent, non moramur, ut quod F. F. à Troilo ſententiam de Salomone ſplendidorum illorum operum Auctore ridet, quia Salomon nullum unquam in montem Libanum jus aut imperium habuerit. Apertè enim fallitur bonus ille Vir, cùm omninò *montem Libanum* & *Cœle Syriam* usque ad urbem *Chamat* ditioni ſuæ ſubjecerit, ut præeunte hiſtorico ſacro 2 Chron. VIII. 2. ſeqq. teſtatur Josephus *Antiq. Jud.* Lib. VIII. cap. VI. Ceterùm quicquid etiam de monumentorum illorum Auctore ſit, ſufficit, quòd Urbs Balbek Salomonis imperio paruerit, atque adeò &, aliis argumentis idem ſuadentibus, rectè ſtatui queat, eandem cum Baal-Hamon fuiſſe, ubi is *vineam* habuerit.

X V I.

Novum his accederet pondus, ſi ſatis certò ſtare liceret auctoritate R. Benjaminis aſſerentis, hanc urbem eandem eſſe cum Baalath, quam Salomon ſtruxiſſe dicitur 1 Reg. IX. 18. ita enim ſcribit loco ſupra adducto ובשם לבעל בי״ק חצי יום והיא בעלת בבקעת הלבנון אשר בנה שלמה וגו׳ *atque inde* (veni) *Baal-Bekum*, hæc est Baalath in valle Libani, quam struxit Salomo &c. Ubi verba *in valle Libani* videtur addidiſſe, quia com. 19. ſubjungitur Salomonem ædificaſſe *Hie-*

Hieroſolymis & *in Libano* & in totâ terrâ. Cùm enim nulla enumerata eſſet urbs in Libano ſita, hinc BAALATH pro tali accepit, & cum BAAL-BEK eandem eſſe ſtatuit. Et ſanè uti hoc ipſum omni probabilitate non deſtituitur, ita & inter ipſa nomina non exigua eſt convenientia, cùm eadem urbs non inconcinnè fœminino genere בעלה *Baalath* aut addito epitheto בעל גד *Baal-Gad*, & ut nunc ejus loco dicitur بعل بك *Baal-Bek* appellari potuerit, unde & *Celeb.* HASIUS ſupra jam laudatus ſcribit, *Babalath, quin urbi quæ Babal Beg, Babalbec, Balbec hodienum ab Arabibus dicitur — — comparari poſſit, nemo admodum refragetur.* Ut autem candidè agam, fateor me huic ſententiæ nondum ſubſcribere audere, ídque hanc potiſſimùm ob cauſam, quòd in eodem libro *Joſuæ*, in quo ter urbs *Baal-Gad* memoratur, locis ſupra adductis, etiam τῆς *Baalath* mentio injicitur, quando tribui *Dan* cum aliis urbibus ſorte adſignata dicitur. Deinde regio tribûs *Dan* quoque nimis longè à monte *Libano* remota erat, quàm ut illi urbs in ipſâ *Cœle-Syriâ* cogitari poſſit adſignata eſſe. Nec obſtat quòd Danitæ urbem antea *Leſchem* dictam in finibus borealibus terræ cis Jordanicæ ceperint, & de nomine Patris ſui *Dan* appellaverint Joſ. XIX. 47. quia ſi ſimile quid in ipſâ Cœle-Syriâ unquam feciſſent, id ſine dubio quoque annotatum fuiſſet, cúmque tale quid nullibi legatur, nimis temerarium eſſet, id ſine omni fundamento aſſerere.

XVII.

Subſtituo igitur huic loco potiùs alium, qui & ſententiam noſtram confirmat, & ex eadem ſecundùm litteram inſignem lucem accipit. Exſtat in Cant. VII. 5. ubi Sponſus Sponſæ laudes enarrans, eámque ſecundùm omnes ſuas partes graphicè deſcribens, ait: אפך כמגדל הלבנון צופה פני דמשק *Naſus tuus eſt ut turris Libani reſpiciens Damaſcum.* Scilicet nullus dubito quin his verbis ad ipſum illud Caſtellum in urbe *Balbek*, antiquitùs *Baal-Gad*, aut Salomonis ævo, vel ſaltem ſecundùm ejus ſtilum *Baal-Hamon* dictâ, alludatur. Deprehendi

di quidem hîc jam alios ſive ex antiquâ etiam traditione incolarum orientis, ſive ex conjecturâ aliquid vidiſſe, ut inprimis ex Rogerii *Deſcript. Terræ Sanctæ* patet, qui Lib. I. c. 20. de urbe *Balbec* loquens ait: *qui eſt une fortereſſe imprenable que Salomon appelle* Tour du Liban proche de Damas. & Lib. II. Cap. VIII. *On tient que c'eſt cette place nommée en Eſcriture* Turris Libani contra Damascum. Ubi tamen monendum habeo, quòd ipſe & quos ſequitur ad totam *urbem* hîc alludi cenſeant, quod tamen de *caſtello* potiùs intelligi debet. Ad hoc *caſtellum* Salomonem hic alludere, ut pateat, obſervandum:

1. Vocem מגדל quæ ordinariò *turrem* denotat ab altitudine ita dictam, etiam ſæpiſſimè de *caſtello* adhiberi, ſine dubio quia *caſtella* ſeu *fortalitia* antiquiſſimis temporibus præcipuè turribus conſtabant, quin & dein pluribus turribus inſtructa fuerunt. Sic apud Arabes مجدل non ſolùm *turrim*, ſed & *arcem* inprimis *firmiorem* denotat, ut *Cel.* Golius jam ex Giuhari & Camuso monuit. Atque hoc ſenſu occurrit in *vitâ Saladini* pag. 187. مجدل يافا *Turris Joppes*, aut quemadmodum una quoque voce ſcribitur مجدليا ut in *Lex. Mſc. Geograph.* ubi deſcribitur قرية قرب الرملة فيها حصن محكم *Vicus propè Ramlam in quo prævalidum propugnaculum*, ut docet *Celeb.* Schultens in *Ind. Geogr.* voc. Masideljaba, qui & rectè addit, *apud Hebræos quoque* מגדל *ſimilem intrare compoſitionem.* Neque dubitari poteſt, vocem hanc hebræam eodem ſenſu occurrere Prov. XVIII. 9. *Turris* (Arx) *fortiſſima eſt nomen Domini.* Tale itaque Caſtellum hoc quoque Balbecanum eſt, magnis turribus inſtructum, ut & profundâ foſſâ aquâ quondam vivâ repletâ, ut fuſiùs de la Rocque docet: unde & ſine dubio Rogerius locutus eſt, *d'une fortereſſe imprenable*, licèt hodiè talis dici amplius nequeat. Atque ita hîc loci quoque vocem מגדל ſeu *turris* acceperunt, & ſine dubio ad verba Cantici alludentes, ea de hoc caſtello interpretati ſunt Gabr. Sionita & Joh. Hesronita ſcribentes loco ſupra adducto. *Hic erat illa domus ſuperbiſſima, ſeu Libani turris -- -- cujus rudera adhuc in ipſo Libani ſaltu viſuntur.*

2. Quod

2. Quod additur *reſpiciens Damaſcum*, egregiè quoque in idem hoc *Caſtellum* quadrat, neque enim BALBEK tantùm DAMASCO admodum vicina eſt, & *in planitie ſita*, *quæ à latere Damaſci extenditur*, *& à territorio urbis hujus proceſſu montis Antilibani ſeparatur*, ſed inprimis tota facies cum introitu in hanc arcem orienti, atque adeò & Damaſco ad Orientem ſitæ obverſa eſt. Sic rem deſcribit oculatus teſtis DE LA ROQUE poſtquam enim p. 97. dixiſſet: *Enfin Balbec n'eſt éloigné que de quinte ou ſeize lieuës Françoiſes de Damas*, *qui eſt preſque à ſon Orient*. p. 99. de hoc Caſtello disertè ſcribit: LA FACE EXTERIEURE DE TOUT CE PALAIS EST TOURNÉE VERS L'ORIENT: *elle eſt extrêmement longue à cauſe de deux grandes Tours quarrées qui l'accompagnent de chaque côté*, *& qui ne font qu'une même ligne d'environs quarante toiſes de longueur avec toute* LA FAÇADE DU BÂTIMENT. LA PRINCIPALE PORTE EST OUVERTE SUR LE MILIEU DE CETTE FACE, ET CELLES DES TOURS LE SONT AUSSI DE MÊME CÔTÉ, CE QUI FORME TROIS GRANDES ENTRÉES DE FRONT, *qui conduiſent dans les batimens interieurs:* Vides igitur quàm clariſſimè Turrim hanc ſeu Caſtellum *reſpicere Damaſcum*, ſeu eſſe *coram facie Damaſci*. Quòd ſi quis ad unam harum propriè dictarum turrium in fronte arcis poſitarum κατ' ἐξοχὴν alludi cenſeat, per me quidem id quoque liceret, res enim eodem planè rediret. Ad meum enim ſcopum ſufficit, eviciſſe, quòd Salomon non ſolùm ad ſplendidiora illa opera architectonica Balbecana reſpexerit, atque adeò ad illa peculiarem relationem habuerit, ſed & quòd inde non parum quoque confirmetur, ea tantæ antiquitatis eſſe, ut omninò SALOMONEM Auctorem habere queant, ipſéque adeò illic cultiorem quoque vineam habere potuerit, tum verò & reliquis circumſtantiis idem flagitantibus, non immeritò BAAL-HAMON, ubi talis ejus vinea celebratur, pro eodem cum BAAL-GAD aut BAAL-BEC loco habeatur.

XVII.

Antequam autem hoc argumentum planè deſeram, unicum opportunâ hac occaſione adhuc monendum habeo. Scilicet *Clar.* ZORNIUS Diſſertat. ſupra laudatâ de *Heliopoli Libaniſiâ* evincere

conatur, eandem de quâ hactenus egimus, urbem *Balbek* apud Amoſum I. 5. per בקעת און *Bikath Aven* intelligi. Verùm ignoſcat nobis Vir Doctus, quòd illi pollicem premere nequeamus. Uti enim ſupra §. IV. oſtendimus falſiſſimum eſſe, quòd vox *Baal-Bek* cum *Bik'at Baal* conveniat, aut quòd vocis בקעה *Bik'ah* quæ Hebræis *vallem* denotat, ullum veſtigium in nomine *Balbek* ſit, ita & Urbs hæc nunquam *vallis* appellatur, ſed ab omnibus potiùs ſcriptoribus à valle ipſa, ad cujus orientalem plagam ſita erat, ſollicitè diſtinguitur. Unde longe majori probabilitate ſe eorum ſententia commendat, licèt eam hactenus tamen nondum per omnia ſatis demonſtratam eſſe cenſeamus, qui ad vallem ipſam potiùs reſpici exiſtimant, ut poſt Maundrellum, inprimis Cel. Vitringa loco ſupra adducto & S. Rever. Harenbergius *Muſæi Bremenſ.* Tom. II. p. 58. fecerunt.

DISSERTATIO XVI.

DE

עיר הרם

ET ALTARI JEHOVÆ IN MEDIA ÆGYPTO.

AD JES. XIX. 18.

I.

Memorabile admodum vaticinium eſt, quo Deus per Prophetam Jeſaiam teſtatur, ſe habiturum non ſolùm altare in mediâ

mediâ Ægypto, ſed & quinque urbes locuturas eſſe linguam Canaanis, harúmque unam עיר הרס appellandam eſſe, Jeſ. XIX. vſ. 18.

II.

Plerique antiquiores Judæorum Interpretes, nec pauci Chriſtianorum verba ſecundùm literam accipientes, hîc de TEMPLO HELIOPOLITANO, ſub Ptolemæo Philometore ab ONIA *Oniæ* III. *filio*, condito cogitârunt, ipſámque adeò urbem HELIOPOLIM, unam illam, ex quinque, עיר הרס nomine inſignitam eſſe, contenderunt. At nonnulli ex recentioribus Chriſtianorum commentatoribus, exiſtimantes, implementum literale prophetiæ non ſatis oſtendi poſſe, tum verò inprimis templum Heliopolitanum in veram & à Deo ipſo præſcriptam religionem maximè injurium fuiſſe, quin nec appellationem עיר חרס Heliopoli ſatis convenire, omnia potiùs myſticè intelligenda & ad Eccleſiam Novi Fœderis referenda eſſe cenſuerunt. Verùm Summus verbi prophetici Interpres CAMPEGIUS VITRINGA, in quo id ſemper feci maximi, quòd quantum fieri poteſt, literali ſenſui inhæreat, nec ad myſticum niſi ſummâ, ut æquum eſt, neceſſitate cogente, confugiat, tam liquidò oſtendit, totum hoc caput ad literam, de fatis Ægypti, intelligendum eſſe, ut nihil reliquum ſit, quod cum ratione ejus ſententiæ opponi queat. Cujus veſtigiis inſiſtens, hanc inprimis pericopen de עיר הרס conditóque ibidem templo illuſtrare, & quomodo illud huic vaticinio reſpondeat, propius oſtendere conabor. Quod eo minus ingratum æquis rerum arbitris futurum ſpero, quò magis admodum obſcurum hactenus argumentum novâ adhuc luce indigere videtur.

III.

Qui hæc Prophetæ verba, cum illis quæ JOSEPHUS *Antiq.* Lib XII. cap. X. Lib. XIII. cap. III. de *templo Heliopolitano* refert, conferunt, licèt etiam ea illuc applicanda non eſſe exiſtiment, fatentur tamen ferè omnes, qui hîc de illo cogitant, non exiguam veri ſpeciem præ ſe habere, cùm primo intuitu

Digitized by Google

narratio Josephi mirè huic Jesaiæ vaticinio convenire videatur. At poſt exactius examen tamen exiſtimant, tantas obſtare difficultates, quæ & ipſos ſententiæ illius patronos malè habent, ut meritò ab illis divortium faciant. Huc referunt ſtatim ipſam appellationem עיר הרס *Ir heres*, quam in urbem Heliopolin planè non quadrare aſſerunt, cùm הרס in nullâ omnium linguarum orientalium Solem denotet. Ad hoc telum hebetandum quidem, nonnulli exiguâ mutatione τῷ ה in ח pro הרס legunt חרס quæ vox Jud. VIII. 13. Judic. XIV. 18. & Job. IX. 7. verè de Sole uſurpatur. Præiverunt jam hac in re Judæorum Doctores in Menachot f. 110. a. ad hæc verba ita commentantes מאי עיר הרס יאמר לאחת כדמתרגם רב יוסף קרתא דבית שמש דעתיד למחרב אי תאמר דהיא חדא מנהון ומאי דעיר חרס לישנ׳ דשמש׳ היא דכתיב האומר לחרס ולא יזרח: *Quid hoc ſibi vult Ir Cheres appellabitur una?* (Scilicet) *quemadmodum id interpretatur R. Joſeph, Urbs domûs Solis quæ vaſtanda eſt. Quòd ſi dicas eſſe unam ex illis, & quare igitur dicitur* Ir cheres? *ſignificatio* (vocis cheres) *eſt* Sol, *quemadmodum ſcriptum* eſt (Job. IX. 7.) *qui dicit Soli & non orietur.* Atque hinc etiam portam cujus Jer. XIX. 2. mentio fit שער החרסית *portam ſolarem* dictam volunt, per quam alii cum R. D. K. *orientalem* intelligunt, alii cum Coccejo, *meridionalem.* Nec parum hæc vocis ſignificatio lucis accipit ex *linguâ Ægyptiacâ*, quia Sol Ægyptiis quondam ΧΕΡΗΣ dictus ſit, ut ex Eratosthene his verbis docet Mullerus in *Gloſſar. Sacr.* p. 32. ſcribens „ Sed hæc facilè ex Eratosthene dijudicantur.
„ Is enim ubi Thebaicorum Regum nomina ex Ægyptiacâ in Græcam linguam transfundit, diſertè ἡλιόδοτον vocat, qui domi
„ ΜΟΙΧΕΡΗΣ dicebatur, hoc eſt *Solis donum.* Itaque ΧΕΡΗΣ
„ *Sol* eſt, uti ΜΟΙ *Donum.* Eadem ratione, " Salmasius in
„ *Epiſt.* 78. obſervante Gussetio in *Commentar. L.Ebraicæ* in
„ voce חרס monſtrat nomen חרס in voce Copticâ χενχέρης
„ exp. φυτὸν ἡλίου. χεν *plantam* ait: Reſtat χέρης *Sol.* Atque hæc lectio placuit quoque hîc loci Hieronymo & aliis. Verùm in hanc ſententiam pedibus ire nullo modo poſſum, quia omnes codi-

codices non ſolùm conſtanter legunt הרס per ה ſed & nulla hîc varians lectio à Maſorethis annotata eſt, certiſſimo indicio nullam illorum ætate diſcrepantem lectionem inventam eſſe. Quòd enim CAPELLUS aſſerit quoſdam habere חרס, ad MUNSTERUM provocans, eo nomine jam rectè notatus eſt *Clariſſ.* VITRINGA, quia, ut Vir eruditiſſimus optimè monet, MUNSTERUS nullam codicum mentionem injicit, ſed tantùm monet, quoſdam hic הרס pro חרס legere. Neque magis cum *Doctiſſimo* HUMPHRID. PRIDEAUX in *Connex. Hiſtor. Vet. Teſt.* P. II. Lib. IV. pag. verſ. germ. 328. facere poſſum, qui ex *paraphraſi chaldaicâ* UZIELIDIS verba reddentis קרתא בית שמש דעתיד לםחרב *Urbs domus ſolis quæ vaſtanda erit*, ſatis confidenter colligit, certum eſſe, cjus ætate dubitatum fuiſſe, utrum CHERES an HERES legi debeat, aut cum modo laudato *Summo* VITRINGA, qui exiſtimat utriuſque lectionis Codices tum temporis exſtitiſſe. Uti enim ſi poſterius locum habuiſſet, id ſine dubio à MASORETHIS monitum fuiſſet, ita utraque ſententia non tantùm ex verbis PARAPHRASTIS plus infert, quàm inde ſequitur, ſed vel ex ſolâ voce לםחרב *quæ vaſtanda erit*, clarè ſatis patet eum הרס legiſſe, cùm hæc ordinaria verbi הרס ſignificatio apud Hebræos ſit. Quod autem Paraphraſtes præmiſit קרתא בית שמש *Urbs domûs Solis*, id ſine dubio factum eſt, quia novit urbem in *tractu heliopolitano* ſitam fuiſſe, cúmque ad illam reſpici exiſtimaret, eam ulterioris explicationis cauſâ, ob quam & aliàs nonnulla adjecit, propiùs nominare voluit. Accedit quòd *verſio Syriaca*, quam ſatis antiquam & ad Virorum Apoſtolicorum minimùm tempora referendam eſſe, plerique omnes Viri Docti agnoſcunt, v. CARPZOVII *Critic.* P. II. Cap. V. §. 11. diſertè vocem הרס ſervat, ܘܚܕܐ ܡܢܗܘܢ ܗܪܣ ܬܬܩܪܐ: *& una ex illis* HERES *vocabitur;* nec ipſa antiquior *verſio Alexandrina*, cujus auctores ſanè rem optimè ſcire potuerunt, mutationi in CHERES, ut mox videbimus, favet; & denique JUDÆI quoque receptam lectionem retinent, imò ABARBANEL ſibi temperare nequit, quin exclamet עיר ההרס שם העיר והתמה מהמחליף ה"א בחי"ת IR HAHERES *eſt nomen urbis, mirum*

 au-

autem accidit, quòd quidam He *in* Chet *mutare auſi ſunt.*

I V.

Alii itaque receptam lectionem retinendam eſſe agnoſcentes, ſignificationem *Solis*, quam vox חרס habet, etiam הרס עִיר tribui poſſe exiſtimant, ídque tantò magis, quia literæ ה & ח non ſolùm ipſo ductu ſibi admodum affines ſint, ſed & literæ ejuſdem organi, quin nec exempla deſint vocum, quæ utroque modo ſcriptæ, ſignificatione conveniant. Verùm licèt minimè negemus id aliquando locum habere, nullo modo tamen inde colligere licet, id ubique obtinere, multò minus, pro lubitu idcircò vocibus, per ה & per ח ſcriptis, eandem ſemper ſignificationem arrogare. Conſtat enim innumeris exemplis has reverà diverſas literas, diverſiſſimas etiam ſæpe ſignificationes inferre. Sic הרה eſt *concepit*, חרה autem *ferbuit*: היה *fuit*, חיה *vixit*: הלם *contudit*, חלם *ſomniavit*: הבל *halitus*, *vanitas*, חבל *funis*. Quid igitur ineptius foret, quàm harum vocum ſignificationes ob literarum affinitatem inter ſe permutare? Rectiùs ſanè Judæi non ſolùm duas has literas ſollicitè diſtinguunt, ſed & illis annumerant, quæ non niſi exiguis ductibus atque apicibus quidem differunt, ſed quarum qui unam cum alterâ permutaret, is totum, ut loquuntur, mundum concuteret. Huc facit locus in Rabboth f. 186. a. שמע ישראל ה' אלהינו ה' אחד· אם את עושה דל"ת ר"ש אתה מחריב ארת כל העולם כולו· כי לא תשתחו' לאל אחר אם אתה עושה ר"ש דל"ת נמצא אתה כחריב את כל העולם כולו· ולא יחללו ארת שם קדשו· אם אתה עושה חי"רת ה"א נמצא מחריב כל העולם כולו· כל הנשמ' תהלל יה הללויה· אם אתה עושה ה"א ח"ת את מחריב אר העוים וגו' i. e. (in loco Deut. VI. 4.) *Audi Iſraël Jehova Deus noſter, Jehova unus eſt, ſi ex* Daleth *facias* Resch, (nempe in voce אחר) *totum mundum vaſtabis* (quia nempe tum ſenſus emergeret, *Jehova alienus* aut *peregrinus eſt*:) In verbis (Exod. XXXIV. 14.) *nam non incurvabis te Deo alieno, ſi facias ex* Resch (in voce אחר) Daleth, *deprehenderis vaſtans totum mun-*

mundum (quoniam ſenſus tum foret, *non incurvabis te Deo uni:*) *In verbis* (Lev. XXII. 2.) *& non profanabunt nomen ejus ſanctum*, *ſi ex* CHET *facias* HE, (in voce יחללו) *invenieris vaſtans univerſum mundum* (quoniam tum mens verborum eſſet, *non laudabunt nomen ejus ſanctum:*) *In verbis* (Pſalm CL. 6.) *Omnis anima laudet Jah*, *Halleluja*, *ſi ex* HE (in vocibus יהלל & הללויה) *facias* CHET, *vaſtabis mundum*, &c. (quoniam tum idem eſſet, ac ſi diceres, *omnis anima profanet Jah*, *profanate Jah.*) Videantur, ſi volupe eſt, de literis ב & ך ibidem plura, tum quoque conferatur locus ex JALKUT SCHIM. SCHIR HASSCHIRIM, à nobis adductus in *Diſſert. de uno Jota & uno apice legis*, §. XIV. Cùm igitur ex his ad oculum pateat, quàm ſæpe ex literarum figurâ ſimilium & inprimis quoque ex ה & ח de quibus hîc ſigillatim agimus, permutatione, non ſolùm incommodus, ſed planè contrarius ſenſus emergat, ultrò liquet, illas minimè confundi debere, præcipuè ubi voces unam aut alteram earum habentes, peculiarem ſuam, ab alterâ planè diverſam ſignificationem habent, quod in hoc exemplo inprimis locum habet, cùm הרס ſignificatione *vaſtationis*, חרס autem *ſolis*, polleat.

V.

Ingenioſior igitur longè eſt ſententia HILLERI in *Onomaſtico ſacro* & *Celeb.* MICHAËLIS in *Diſſertat. de Paronomaſiâ S.* qui עיר הרס IR HERES *urbs deſtructionis*, *nomen paronomaſticum Heliopoleos Ægypti eſſe* volunt, pro עיר חרס *urbs ſolis.* vid. Clar. SIMONIS *Onomaſt. V. T.* pag. 144. Verùm nec id nobis placet, præterquam enim, quòd nudè & ſine ullo argumento ſupponatur; falſum inſuper eſt, quod tamen omnes, qui in hac appellatione urbem Ægypti HELIOPOLIN quærunt, ſupponunt, templum ONIÆ in hac urbe, aut ad eandem eſſe conditum, quemadmodum ſtatim §. VIII. ex profeſſo oſtendemus; denique nec ipſam appellationem *urbis deſtructionis* huc quadrare, ex ſtatim dicendis elucefcet.

VI.

V I.

Scilicet multi rectiùs in tantùm ſentientes, quod receptam non ſolùm lectionem הרס ſervant, ſed & vocem hanc à הרס penitùs diſtinguunt, eam idcircò appellativè ſumunt, & ordinariæ ejus apud Hebræos ſignificationi inhærentes, phraſin per *Urbem deſtructionis* reddunt, cenſentes hac locutione, *una earum urbs deſtructionis appellabitur*, innui *illam deſtruendam eſſe*, quo & Uzielidis paraphraſis, ut ſupra viſum eſt, tendit. Verùm hæc ejusmodi ſunt, ut & in illis mens ſobria, & à præjudiciis libera, non facilè acquieſcere queat. Quia

1. Quisquis ritè ad Prophetæ verba attendit, facilè deprehendet, eum voluiſſe certam quandam urbem nomine ſuo indicare, quo à reliquis diſtingui queat, & in quâ aliquid etiam ſingulare præ reliquis locum habiturum ſit. Inprimis cum tota locutio, licèt fortè etiam eo, quo illius ſententiæ Patroni eam ſumunt, accipi queat, ſecundùm ſimpliciſſimum tamen quem verba fundunt, ſenſum, id potiùs dicat, quòd hoc futurum ſit *nomen illius urbis proprium*.

2. Totus nexus orationis explicationem illam minimè admittit. Licèt enim prior capitis hujus & vaticinii pars, ſeptendecim prioribus commatibus, exhibuiſſet triſtia judicia & calamitates Ægypto obventuras, poſterior tamen pars, quæ à com. 18. incipit, ut rectè monuit *Solidiſſimus* Vitringa, & omnes locutiones ultrò evincunt, complectitur *Beneficia ſalutaria, tam temporalia, quàm ſpiritualia, quæ Deus Ægypto poſt calamitatem tanti temporis deſtinaverat:* Quàm inconveniens autem foret, mediis hiſce promiſſionibus mox iterum immiſcere denuntiationem graviſſimæ devaſtationis, uni illarum quinque urbium, quibus ſalutaria quæque prædicebantur, eventuram?

3. Denique quænam eſt illa urbs deſtructionis? aut ubi hoc judicium illi immiſſum legitur? Certè ſi illa ſit urbs, in quâ aut apud quam templum illud ab Oniâ conditum, ea longo tempore incolumis perſtitit, templúmque ipſum ultra duo ſecula, ut inſequentibus videbimus, permanſit.

V I I.

Digitized by Google

VII.

Verùm quid opus eſt ulterioribus verborum ambagibus? cùm omnia plana ſint, modo ad veram quam vox הרס hîc loci habet, ſignificationem ritè attendatur, ſic enim neque neceſſe erit textum ſollicitare, neque verba in alienum omnibúsque circumſtantiis nullo modo convenientem ſenſum detorquere. Nullus igitur dubito הרס hîc nec *ſolem*, nec *deſtructionem* denotare, ſed LEONEM, integrámque adeò locutionem עיר הרס nec *Heliopolin* ſeu *Urbem ſolis*, nec *urbem deſtructionis*, ſed LEONTOPOLIN ſeu LEONUM URBEM denotare. Quod utrum rectè à me aſſeratur, ut ritè dijudicare queas, ad ſequentia quæ me in hanc ſententiam deduxerunt argumenta, ut propiùs B. L. attendas, te obnixè rogo.

1. Servavit hanc ſignificationem *Matri Hebrææ* toties obſtetricans *filia Arabica.* In hac enim eadem vox ipſiſſimis literis ſcripta هرس HARES aut HERES & هراس HURÂS, LEONEM denotat. Eodem egregiè quadrat ipſa *verbi hebræi* הרס æque ac *Arabici* ſignificatio. Arabicum enim هرس innuit *Contudit*, pecul. *vehementiùs* & mediâ Kesratâ, *vehementer edit*, *vorax fuit.* Hebræum autem הרס non ſolùm *deſtruxit*, ſed & *vehementer contudit* aut *contundendo fregit*, ſignificat, ut Pſalm LVIII. 7. אלהים הרס שנימו בפימו *Deus contunde* (contundendo confringe) *dentes ipſorum in eorundem ore.* coll. Exod. XV. 7. וברוב גאונך תהרוס קמיך: & in *magnitudine elationis tuæ confregiſti* (contudiſti) *qui contra te inſurgebant.* Unde KIMCHI *in Radd.* poſtquam præcipua loca, in quibus verbum hoc occurrit, enarraſſet, ſubjungit וענין כלם שבר והפלה *& ſignificatio omnium eſt* CONFRACTIO *& dejectio.* Quæ omnia quo pacto in *Leonem* quadrent, ultrò patet. Hoc enim animal præ aliis robore ſuo ea in quæ irruit, *contundere* atque *confringere* ſolet, unde Jeſ. XXXVIII. 13. *Ut leo ſic* ישבר CONFRINGET *omnia oſſa mea.* conf. 1 Reg. XIII. 26. & Dan. VI. 24. Nec minus huc quadrat *voracitatis* notio, quæ & ipſa *Leoni* convenit, unde Judic. XIV. 14 האוכל *comedens ὁ βιβρώσκων* dicitur, quin & idcirco *in Leone* (ſeu ſub leonis ſigno) *catapbagæ naſci*

Digitized by Google

dicuntur apud PETRON. cap. XXXIX. Addi adhuc ſuperioribus ad illuſtrationem poteſt, quod uti ab هرس *fregit*, LEO هرس appellatur, ita ab هس idem ſignificante unde الهس *fractio* هساس ab هصر *fregit*, *impulit*, الهصور & الهصر dicitur; quemadmodum & apud Græcos & Latinos item *frangendi* aut *confringendi* actus illi ſæpius tribuitur, v. *incomparabilis* BOCHARTI *Hieroz.* P. I. Lib. III. cap. II.

VIII.

At forſan dices, ſit hoc, quòd vox הרס *Leonem* denotare potuerit, unde autem patet ſignificationem illam hîc loci obtinere debere, & quid faciet LEONTOPOLIS ad vaticinium Jeſaiæ, aut urbem ubi templum conditum fuit? Id ut mecum perſpicias.

2. Obſerva B. L. Celeberrimum illud templum Ægyptiacum, non, ut vulgò ab omnibus ſupponitur, in urbe *Heliopoli*, ſed in *nomo* quidem *Heliopolitano*, verùm in urbe vel ad urbem LEONTOPOLIN eſſe conditum. Docet id plus ſemel adeò diſertis verbis JOSEPHUS, ut mirum ſit Viros doctos huic rei non citiùs attendiſſe. Sic *Antiq.* lib. XIII. Cap. III. §. 1. ipſas Literas ONIÆ ad PTOLEMÆUM & CLEOPATRAM, quibus permiſſionem exſtruendi hujus templi expetit, his verbis perſcriptas exhibet: Πολλὰς καὶ μεγάλας ὑμῖν χρείας τετελεκὼς ἐν τοῖς κατὰ πόλεμον ἔργοις μετὰ τῆς τοῦ θεοῦ βοηθείας καὶ γενόμενος ἐν τῇ κοιλῇ Συρίᾳ καὶ Φοινίκῃ, καὶ εἰς ΛΕΌΝΤΩΝ ΔῈ ΠΌΛΙΝ ΤῊΝ ΗΛΙΟΠΟΛΊΤΟΥ σὺν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ εἰς ἄλλους τόπους ἀφικόμενος τοῦ ἔθνους καὶ πλείσους εὑρὼν παρὰ τὸ καθῆκον ἔχοντας ἱερὰ, καὶ διὰ τοῦτο δύσνους ἀλλήλοις, ὃ καὶ Αἰγυπτίοις συμβέβηκε διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἱερῶν, καὶ τὸ περὶ τῆς θρησκείας οὐχ᾽ ὁμοδοξεῖν, ἐπιτηδειότατον τόπον εὑρὼν ἐν τῷ προσαγορευομένῳ τῆς ἀγρίας Βουβάστεως ὀχυρώματι, βρύοντα ποικίλης ὕλης καὶ τῶν ἀγίων ζώων μεσὸν δέομαι συγχωρῆσαί μοι, τὸ ἀδέσποτον ἀνακαθάραντι ἱερὸν καὶ συμπεπτωκὸς, οἰκοδομῆσαι ναὸν τῷ μεγίσῳ Θεῷ καθ᾽ ὁμοίωσιν τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις κ. τ. λ. *Cùm multas & magnas vobis utilitates in rebus ad bellum ſpectantibus, Dei auxilio perfecerim, & poſtquam in Cœleſyriâ & Phœnice fuiſſem, ad* LEONUM *quoque* URBEM *in*

(præ-

(præfecturâ) HELIOPOLITANÂ *cum Judæis aliáque bujus gentis loca pervenerim, & multos invenerim templa, præter quàm convenit, babentes, atque idcircò ſibi invicem infenſos, quòd Ægyptiis quoque contigit propter templorum multitudinem, & quòd circa cultum idem non ſentirent, maximè autem opportunum locum invenerim in munimento Bubaſtidis agreſtis dicto, variâ materiâ abundante, & ſacris animalibus pleno, rogo ut mibi concedatur, poſtquam fanum Domino carens & collapſum repurgavero, templum ædificare Deo maximo, ad ſimilitudinem ejus quod Hieroſolymis eſt, &c.* Idem confirmant reſponſoriæ PTOLEMÆI & CLEOPATRÆ, quibus venia hæc ONIÆ conceſſa eſt, quáſque JOSEPHUS ſtatim §. 2. ſubjungit: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΟΝΙΑι ΧΑΙΡΕΙΝ. Ἀνέγνωμέν σου τὴν παράκλησιν, ἀξιοῦντος ἐπιτραπῆναί σοι τὸ ἘΝ ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΕΙ ΤΟΥ ἩΛΙΟΠΟΛΙΤΟΥ ἱερὸν συμπεπτωκὸς ἀνακαθάραι προσαγορευόμενον δὲ τῆς ἀγρίας Βουβάστεως. διὸ καὶ θαυμάζομεν εἰ ἔσται τῷ Θεῷ κεχαρισμένον τὸ καθιδρυσόμενον ἱερὸν ἐν ἀσελγεῖ τόπῳ καὶ πλήρει ζώων ἱερῶν. ἐπεὶ δὲ σὺ φὴς Ἡσαΐαν τὸν προφήτην ἐκ πολλοῦ χρόνου τοῦτο προειρηκέναι, συγχωροῦμέν σοι, εἰ μέλλει τοῦτο ἔσεσθαι κατὰ τὸν νόμον, ὥστε μηδὲν ἡμᾶς δοκεῖν εἰς τὸν Θεὸν ἐξημαρτηκέναι. REX PTOLEMÆUS ET REGINA CLEOPATRA ONIÆ SALUTEM! *Legimus tuam petitionem, quâ rogas, ut concedatur tibi, templum collapſum,* IN LEONTOPOLI (præfecturæ) HELIOPOLITANÆ, *quod appellatur Bubaſtidis agreſtis, repurgare. Miramur autem an Deo gratum ſit templum exſtruendum in loco impuro, ſacrorúmque animalium pleno. Quoniam autem tu dicis Jeſaiam Prophetam à longo tempore boc prædixiſſe, concedimus* (id) *tibi, ſiquidem ſecundùm Legem fieri queat, ne quid in Deum peccaſſe videamur.* Atque hoc quoque Oniam illic loci feciſſe JOSEPHUS porrò narrat. conf. *Lib.* XII. c. x. *Lib.* XIII. c. X. & *Lib.* XX. c. X. Vides igitur, Lector, templum noſtrum non in urbe HELIOPOLI, ſed in vel ad LEONTOPOLIN *præfecturæ Heliopolitanæ* eſſe conditum, neque aliis in locis ubi JOSEPHUS de templo hoc agit, unquam urbis HELIOPOLIS, ſed ſemper tantùm præfecturæ aut nomi hujus nominis mentionem injicit. Atque hinc patet, ſi hoc JESAIÆ loco,

Digitized by Google

co, de urbe, ubi templum illud conditum eſt, agatur, locutionem non *Heliopolin*, ſeu *ſolis urbem*, ſed LEONTOPOLIN, ſeu URBEM LEONUM, reddi debere.

I X.

3. Novum noſtra hæc ſententia pondus ex *verſione Alexandrinâ* accipit, quæ & antiquiſſima eſt, & cujus Auctores in Ægypto eam adornantes, optimè ſine dubio ſcire potuerunt, quænam Ægypti Urbs hac phraſi intelligatur. Hæc autem verba reddit ΠΟ'ΛΙΣ Α'ΣΕΔΕ'Κ κληθήσεται ἡ μία πόλις. Non ignoro quidem, editionem Complutenſem legere ἀχερὲς, verùm de hujus lectionis integritate ex Codd. Mſc. minimè conſtat, unde illa fortè ex eorum ſententiâ orta eſſe potuit, qui ח loco ה in voce הרס ſubſtituere conati ſunt. At dices fortè, quid igitur τὸ ἀσεδὲκ ſignificat. MULLERUS, Vir πολυγλωττότατος, teſtatur quidem, ſe in *Gloſſario Copto* inveniſſe expoſitum per ΘΒΑΚΙ'Μ ΠΙΡΗ *Civitas Solis*: ſed cùm nemo hactenus oſtenderit, aut fortè etiam oſtendere poſſit, vocem ἀσεδὲκ hanc ſignificationem, ſive in Veteri ſive recentiori linguâ coptâ, ſive etiam ullâ utrique affini habuiſſe, nîl aliud inde colligi poterit, quàm quòd *Gloſſarii illius Auctor* in eâ quoque hæreſi fuerit, quòd JESAIÆ loco adducto, ad urbem HELIOPOLIN reſpiciatur, eâmque ob cauſam, vocem ignotam verterit, aut pro illâ ſubſtituerit Θβακιμ πιρη, non quod illam idem ſignificare ſciret, ſed quod urbem quam Alexandrini ἀσεδὲκ reddiderant, eandem cum *Heliopoli* eſſe cenſeret. Unde ejus hac in parte non major Auctoritas eſſe poterit, quàm omnium aliorum, qui idem ſine ullo fundamento aſſeruerunt. Alii itaque illos volunt hac voce referre hebræam הצדק, imò eruditiſſimus LE MOYNE in *Diſſertat. ad Jerem.* XXIII. 6. Cap. IV. inde, collato Mal. IV. 2, elicit, *Solem* gentibus צדק *juſtitiam* appellatum eſſe, quem tamen ſolidè jam refutavit *Celeb.* VITRINGA *in Commentar. in Jeſaiam.* *Doctiſſimus* HUMPHR. PRIDEAUX in *connex. Hiſt. V.* T. P. II. p. 329. Auctores hujus verſionis adulterationis textûs inſimulat, qui, ut tantò magis honorifica templi Oniæ mentio hîc loci fieret, verba reddiderint, acſi ſcriptum eſſet עיר צדק יאמר לאחת URBS JUSTITIÆ *appellabitur una*.

Ve-

Verùm uti hoc crimen ſine ullo argumento illis objicitur, ita æquè facilè & eodem, imò adhuc potiori jure, donec probatio accedat, ab eodem abſolvuntur. Mitiùs atque ingenioſiùs ipſe VITRINGA, præeunte CAPPELLO, cenſet, illos ad imitationem Jeſ. I. 26. ubi de *Hieroſolymâ* dicitur, *vocaberis* עיר הצדק URBS JUSTITIÆ, hanc phraſin, voce hebræâ, græcis literis exaratâ, ad hanc *urbem ſolis* adplicuiſſe. Verùm & hoc gratis aſſeritur, & quis cogitet, ſi Interpretes hi vocem הצדק voluiſſent græcis literis Ἀσεδὲκ exprimere, id non potius eos facturos fuiſſe, ubi verba illa verè exſtant, quàm ubi ne eorum quidem umbra in textu occurrit? At Jeſ. I. 26. nullum vocis ἀσεδὲκ veſtigium occurrit, ſed illic phraſin עיר הצדק reddunt πόλις δικαιοσύνης, quo pacto igitur in noſtro loco, ubi ne quidem vox הצדק invenitur, eandem græcis literis ἀσεδὲκ pingere in animum induxiſſent? Verùm nec ad talia ingenioſa commenta confugere opus eſt, inprimis cùm longè veriora certioráque ad manus ſint.

X.

Scilicet communiſſimum maximéque obvium apud Arabes *Leonis* nomen eſt أَسَدٌ *Aſadon*, ſeu ut vulgò pronunciari ſolet, *Aſed*. Ita ſtatim *Fab*. I. *Locmanni* inſcriptio eſt اسد وثوران *Leo & duo Tauri*, & *fabula* ipſa mox incipit اسد مرة خرج علي ثورين *Leo aliquando egreſſus eſt contra duos tauros*. Mox iterum inſcriptio Fab. III. eſt اسد وثعلب *Leo & vulpes*. Hinc igitur addito à fine κ, quæcunque etiam ejus rei cauſa ſit, facillimè ex *Aſed* formari potuit Ἀσεδὲκ, inprimis quia non inſolens eſt, ut in linguis orientalibus literis radicalibus à fine K ſeu ךְ formativum addatur, ut in ipſo ſacro codice ex nominibus tam propriis quàm appellativis, quàm plurimis, ex. gr. גַּנְזַךְ שַׁרְבִךְ אַרְיוֹךְ נִמְרֹךְ &c. patet, v. SIMONIS *Onomaſt. V. T.* p. 567. 573. 575. coll. ejuſdem *Arcan. Formar.* p. 646. ubi in not. monet *Ven.* LÖSCHERUM de *cauſis Ling. Ebr.* p. 42. & 44. obſervaſſe, tale ךְ aut k apud *Chaldæos*, & in plurimis linguis celticis, *copiam* & *abundantiam* notare, apud *Perſas* & *Græcos* formare *di-*

Digitized by Google

minutiva, apud *Arabes* quoque vim *blandiendi* habere. Quòd ſi id non ſatis placeat, poſſet quoque vox ἀσιδὲκ formata eſſe ex أَشْدَغ, quæ pronunciari ſolet *Aſchdeg* aut *Asjdeg*, atque ipſa quoque *Leonem* ſignificat. Neque quenquam morari debet, quod in græco eſt σ & κ in Arabico autem ش & غ vix enim quicquam frequentius quàm ut ش & س inter ſe, inprimis in migratione vocum in alias linguas, permutentur, imò longè frequentior eſt hæc permutatio, quàm ut eadem ſervetur, nec minus ſibi ג & ך ſeu ج & ك ut literæ ejusdem organi ſubſtituuntur. conf. *Cel.* Schultens in *Clavi Dialect.* p. 201. & p. 299. 302.

X I.

4. Favent quoque ſententiæ noſtræ Aquila & Symmachus, dum phraſin reddunt πόλις ἈΡΕΣ, eſt enim ultima vox ipſa hebræa noſtra הרם ut rectè jam contra Eusebium, qui eam ineptè cum hebr. ארץ confudit, locúmque tranſtulit πόλις τῆς γῆς, monuit *Cel.* Vitringa. Quòd ſi autem illam *deſtructionis* aut *devaſtationis* ſenſu adhibitam cenſuiſſent Interpretes illi, ſine dubio eandem hoc quoque ſenſu appellativè reddidiſſent, unde colligo eosdem ipſam quoque vocem הרם ſeu Arab. هرس *Leonem* ſignificantem, hoc ſenſu ſervare voluiſſe. Atque hæc ipſa interpretatio mihi viam pandit, ad aliam verſionis Alexandrinæ lectionem illuſtrandam. Scilicet pro ἀσιδὲκ optimæ notæ *Codex Alexandrinus* legit Θάρες, in quâ voce fateor me diu dubium hæſiſſe, cùm neque græca ſit, neque ejus primo intuitu natales, aut ſignificationem, in linguâ Ægyptiâ, aut ullâ vicinâ invenirem. Nihil autem nunc difficultatis amplius ſupereſt, cùm eadem vox ἄρες quam modo habuimus, cum articulo foeminino Θ efficiat vocem Θάρες. Neque quenquam movebit, quod Θ ſit articulus foemininus, quia uti nonnullorum animalium nomina in linguis orientalibus ſunt foeminina, ut ex. gr. Hebr. אתון & ſimil. ita etiam ipſa animalium nomina ſæpiſſimè urbibus, ab iisdem denominatis, nudè tribuuntur, ut λεοντῶ, λυκῶ, κυνῶ pro λεοντόπολις, λυκόπολις, κυνόπολις, cúmque nomina

mina urbium ſint fœminini generis, hinc talibus rectè articulus fœminini generis præmittitur. Ut rem exemplo huic ſimillimo illuſtrem, provoco ad urbem Θμȣ̃ις *Thmuis* dictam, de quâ HIERONYMUS in *Jeſ.* XLVI. 1. ait: *Pleraque oppida eorum ex beſtiis & jumentis habent nomina.* Κυνῶν *à cane*, λέων *à Leone*, ΘΜΟΥΙΣ LINGUÂ ÆGYPTIACÂ AB HIRCO. & Lib. II. *adv. Jovinian.* cap. VI. *Urbes quoque apud eos ex animalium vocabulis nuncupantur, Leonto, Cyno, Lyco, Buſiris*, THMUIS, QUOD INTERPRETATUR HIRCUS. Eſt autem vox compoſita ex Θ *articulo fœminino copto* & μȣ̃ις *hircus*, quod hodiè Coptos dicere μυι ſcribit *Cel.* RELANDUS in *Epiſt.* ad *Clariſſ.* WILKINS, quam hic *Diſſert.* ſuæ *de Linguâ Copticâ* inſeruit pag. 111. quòd ſi ipſam priſcam terminationem in *is* ſervare velis, non incommodè, me quidem judice, conferetur arabicum ماعز Mäis *caper* & معيز Müeis *pecus unum generis caprini* à Rad. معز Maäsa *diſcrevit caprum ab ovibus, abundavit capris.* Atque ita & hîc loci cum de urbe agatur, rectè voci Ἄρεις Θ præmittitur & Θάρεις ſcribitur. Utrum etiam inde ipſum *Martis* apud Græcos nomen ἄρης originem ſuam habeat, determinare non audeo. Certè uti inter alias derivationes maximam partem longè petitas, quas collegit *Celeb.* MARTINIUS noſter in *Lex. Philol.* J. SCALIGER id ab Hebræo ארי vel אריה *Leo* deduxit, ipſe autem MARTINIUS cum quibusdam aliis conjecturis etiam illam adfert, quâ ab הרם *deſtruxit* unde Pihel analogicè eſſet מהרם *deſtruens*, deſcendere queat: ita utraque ſententia aptius conjungi poſſet in noſtro הרס ſeu هرس *Leo.* Nam & *Viri fortes* & *bellicoſi* orientalibus ordinariò *Leonibus* comparantur eorúmque nomine inſigniuntur, ut docet *Celeb.* SCHULTENS in *not. ad Excerpta ex Iſpahenſi* p. 4. & ab eodem themate deſcendens vox مهراس *Validum* & inprimis *Virum nihil extimeſcentem*, præcipuè *nec de nocte*, denotat. Sed, ut dixi, nolo hîc quicquam determinare.

XII.

Adepta itaque עיר הרס *Leontopolis* nomen eſt à *Leonibus* ſuperſtitioſè illic cultis, eúmque in finem ſtudioſè quoque ali ſolitis, ut docet ÆLIANUS *Hiſtor. Animal.* Lib. XII. cap. 7. quare

& urbs hæc *Leonis* inſigne gerebat, ut ex nummo Antonini Pii patet, in cujus averſâ parte cernitur figura virilis ſeminuda ſtans cum pallio, & dextrâ haſtam, ſiniſtrâ *Leonem* ſuſtinens, apud Vaillant. in *Hiſtor. Ptolemæor.* pag. 207. & rictibus Leoninis ibidem templorum januæ ornatæ ſunt, ſive id jam factum ſit, quia ipſe *Sol* ſub *Leonis* Symbolo cultus, ut teſtatur Horus Apollo Lib. I. cap. 17. & Pignor. *Menſ. Iſiac.* p. 64. & 68. conf. & quæ *Cl.* Simonis *Onomaſt.* S. p. 568. in not. monuit, ſive inprimis quia Nilus exundet

Titanis primum curru tangente Leonem.

ut exiſtimat Vaillant. loc. adducto. Unde & Nili inundationem Hieroglyphicè ſignificantes *Leonem* pingebant, quòd cùm Sol Leonem ſubit, ampliorem facit Nili exundationem. Quamdiu enim Sol in hoc ſigno perſiſtit, ſæpenumero in duplum ipſius Nili aqua excreſcit, ut docet Horus Apollo Lib. I. cap. 21. Imò forſan idcircò contigit, ut quò ſol in præfecturâ Heliopolitanâ ſub diverſorum animalium figuris eò magis coleretur, in hac urbe id ſub imagine *Leonis* fieret. Neque cum eo, ut id in tranſitu moneamus, quod de ſitu urbis hujus in *præfecturâ* ſeu *Nomo Heliopolitano* præeunte Josepho dictum eſt, pugnat, quòd apud *Veteres* quoque *Nomi Leontopolitani* diſtincti ab *Heliopolitano* mentio occurrat, frequens enim in urbibus Ægypti eſt, ut nonnunquam pro temporum diſcrimine varióque diviſionis modo generalioribus præfecturis annumerentur, nonnunquam autem ab iisdem peculiares minorésque Nomi denominentur.

XIII.

Uti autem quæ hactenus de ſignificatione vocis הרס & templo Oniæ *Leontopoli* vindicato diſputavimus, fortè non omni fundamento deſtitui cordatioribus & extra partes poſitis lectoribus videbuntur, ita duo mihi præcipuè objici poſſe video, ad quæ, ne quod dubium remaneat, mihi adhuc reſpondendum erit. *Primum* eſt, quòd quæ de vocibus הרס Ἄρες & Ἀστδὲκ evicta ſunt, omnia ex linguâ Arabicâ deſumpta, cùm tamen ex

ipſâ

ipſâ potiùs linguâ hebræâ aut copticâ petenda fuiſſe videri queant. Verùm uti hodiè inter Viros linguarum orientis peritos, nullum amplius dubium ſupereſt ob intîmam linguæ hebrææ & arabicæ, quæ non niſi dialecto differunt, affinitatem, librorúmque linguâ purè hebræâ conſcriptorum penuriam, utpote quorum præter Sacrum codicem Veteris inſtrumenti nullus planè ſupereſt, hanc ex arabicâ feliciſſimè illuſtrari, imò ejus defectum ex eadem neceſſariò ſuppleri debere, ita verbo tantùm moneo, lacinias veteris linguæ copticæ, quoque non facilè aliundè majorem lucem accipere. Oſtendit id jam in non paucis *Cel.* RELANDUS in *Epiſtolâ* ſupra laudatâ ad *Clar.* WILKINSIUM, multíſque idem exemplis augere poſſem. Addam tantum præter id quod de Θμῦις ſupra monui, unum atque alterum exſtantius. Σὼς MANETHONE teſte, apud JOSEPHUM *Lib.* I. *contra Appion.* Ægyptiorum linguâ *Paſtor* eſt, ut ad illuſtrationem decantatæ vocis ὑκσὼς adfertur. Certiſſima hujus rei veſtigia lingua Arabica ſuppeditat, ubi سوس eſt *rexit pro arbitrio gregem*, & سايس *Rector, adminiſtrator qui regendis jumentis præeſt.* Πιϐωβ Coptis eſt *Servus*, cujus vocis prior Syllaba eſt ordinarius articulus maſculinus, Ϭωβ autem illuſtratur ex arabico باب pro بوب *Janitor alicui fuit.* بواب *Janitor* بوابة *Oſtiarii munus.* Ἀμϐρὴς *appellatur* LIBER SACER *à ſacris ſcribis* ut HORUS APOLLO docet, edit. *Clar.* PAU p. 53. confirmatur id ex linguâ arabicâ ubi مبرز & مبروز eſt *editus in lucem & evulgatus liber.* Ϭαιὴϑ ſecundùm HORUM Lib. I. cap. 7. eſt *accipiter*, quia Βαι *animam* Ἡϑ autem *cor* ſignificet. Ineptè! ex gloſſâ fortè PHILIPPI Græci Interpretis. Certiora ſuggerit lingua arabica, ubi بوهة etiamnum *accipiter* eſt. Plura opportuniori occaſioni reſervabo. Sive igitur voces, hebræa æquè ac græcæ, quas attulimus, ex linguâ Arabicâ illuſtrentur, ſive ſtatuantur Coptis quoque in uſu fuiſſe, etſi fortè inter pauciſſimas linguæ hujus reliquias earum veſtigia hodiè non deprehenduntur, præferente nobis lucem arabicâ dialecto, nulla difficultas erit, illis hoc adminiculo verum ſuum ſenſum dare.

Mm XIV.

Digitized by Google

X. I V.

Majoris autem momenti eſt *alterum*, quod à nonnullis objicitur: ſcilicet, non poſſe locum hunc de templo Oniæ in Ægypto intelligi, quoniam Deus ipſe ſeverè vetuerit, ullo in loco ſacrificia offerri, ſibíque externum illum cerimonialem cultum præſtari, præterquam *Hieroſolymis*, loco quem ipſe ſibi eum in finem elegerat, *Deut.* XII. 5. ſeqq. neque adeò ſine peccato & apertâ præcepti divini violatione, alibi templum exſtrui potuerit; longéque idcircò abeſſe, ut Deus ipſe tales conatus approbare atque antea prædicere voluerit, ſed Oniam tantùm, nefariis his auſis prætextum atque colorem quæſiviſſe, quod etiam ipſe Ptolemæus & Cleopatra intellexerint, eámque ob cauſam illi difficultatem, ut ſupra in ipſorum literis viſum eſt, moverint. Quæ omnia Viros illos Doctos permoverunt, ut neglecto planè, in totius hujus vaticinii explicatione, literali ſenſu, ad myſticum confugerent, cujus implementum ſub N. T. ſive *Conſtantini M. tempore*, ſive in *Eccleſiâ in medio Papatu*, Spiritualis Ægypti jugo ſubtractâ, & *majoribus quinque regnis Europæis*, obſequio Antichriſti ſemet ſubducentibus, & ad ſcripturam S. tanquam canonem fidei ſuæ provocantibus, ſe invenire cenſent. Verùm uti ingenuè fateor, mihi illum vaticinia Veteris Inſtrumenti explicandi morem, quo omnia ad tempora Novi Fœderis referuntur, acſi nullus quondam populus Dei in orbe fuiſſet, aut ejus fata minus digna, quæ prædicerentur, quàm noſtra, quin imò perpetuò ferè mille aut bis mille annorum ſaltus committuntur, magis magíſque diſplicere, ita certiſſimè perſuaſus ſum, totam illam inſignem mutationem, quæ poſt graviſſimas calamitates Ægyptiorum comm. 1——17. deſcriptas, mox com. 18. & ſeqq. prædicitur, inde ab Alexandri M. ejúſque in regno Ægypti ſucceſſoris Ptolemæi Lagi tempore, in liberatione Ægyptiorum à Perſarum jugo, lætioribúſque fatis quibus ſub ſequentibus regibus gaviſi ſunt, impletam eſſe, atque adeò & hanc inprimis vaticinii hujus partem in quâ verſamur, ſecundùm literam quoque in templo *Leontopolitano*

ao complementum ſuum habuiſſe: Provoco eum in finem ad argumenta, quibus jam *Celeb.* Vitringa tam ſolidè aliter ſentientes in eruditiſſimo Commentario refutavit, ſententiámque de prædictis hîc propriè dictorum Ægyptiorum fatis adſtruxit, ut nihil quod cum ratione opponi queat, fecerit reliquum. Exhibebo tantùm verbo præcipua eorum momenta, additis quæ ipſe ad ulteriorem confirmationem meditatus ſum. Suppono autem eum in finem, calamitates, quæ Ægyptiis eorúmque terræ denunciantur com. 1--17. non poſſe niſi de propriè dictâ Ægypto intelligi, quod vel ex ſolâ æquiſſimâ regulâ hermeneuticâ, quam eum in finem *Celeb.* Vitringa rectè jam attulit, conſtat, quòd *verba tamdiu propriè ſumenda ſint, donec nos ſumma neceſſitas cogat, ut inde recedamus.* Quæ regula quanto jure huc applicetur, ut pateat, obſervari velim, illo tempore quo Jeſaias vaticinabatur, Ægyptum non ſolùm unum ex præcipuis mundi regnis conſtituiſſe, ſed & tam ob vicinitatem, quàm diverſa fata, ſua æquè ac Iſraëlitarum, peculiarem ad Judæos relationem habuiſſe, quin *imò* hæc fata utriusque populi, tam illo, quàm ſequentibus temporibus ſæpe arctiſſimè illigata, nec non Ægyptum mox Judæis propitiam, mox gravem fuiſſe, tum quoque graviſſimas maximéque memorabiles rerum converſiones, verè inde ab illo tempore in Ægypto contigiſſe. Tandem omnia verba Prophetæ ita eſſe comparata, ut ſi de propriè dictis Ægyptiis loqui voluiſſet, aliis uti non potuiſſet. Quis igitur his omnibus ſuppoſitis, cum ratione jam cogitare poteſt, Prophetam, & quidem nihil tale monentem, verba ſua tamen non de propriè dictis Ægyptiis, eorúmque futuris fatis, ſed de hoſtibus Eccleſiæ Chriſtianæ in aliâ orbis parte, poſt mille & amplius annos exſtituris, intelligi voluiſſe? Inprimis cùm, ut idem Vitringa ſolidiſſimè oſtendit, non tantùm omnia ſecundùm literam propriè dictis Ægyptiis applicari queant, atque adeò nulla neceſſitas ſit à ſenſu proprio recedendi, ſed contrà, multa ne obtorto quidem collo ad hoſtes Eccleſiæ Chriſtianæ trahi, aut in iis impleta eſſe oſtendi poſſint. Quod ſi

id jam tutò ſupponere liceat, idem de lætioribus illis fatis com. 18. ſeqq. affirmandum eſſe,

1. Patet ex ipſo charactere temporis ביום ההוא, quem Propheta non solùm præmittit com. 18. ſed & aliquoties repetit comm. 19, 21, 23, 24. Licèt enim cum *Celeb.* VITRINGA concedam, eum non ſemper præciſè *illo tempore*, ſed etiam *poſt illud tempus* denotare, neque negem, Prophetas nonnunquam hac phraſi manifeſtationem Meſſiæ ejúſque regni cum reſtitutione ex captivitate Babylonicâ conjungere, quia ad bona ab hac reſtitutione & cum illâ exſpectanda præcipuè hæc manifeſtatio pertinebat, nego tamen atque pernego, cum ſignificatione atque uſu phraſeos hujus unquam conciliari, & vel minimo exemplo comprobari poſſe, quòd hac locutione conjungantur res ſeptem aut octodecim ſeculis à ſe invicem diſtantes, & quod magis eſt, nullam ad ſe invicem relationem habentes, cujus certè indolis ſunt calamitates priſcorum Ægyptiorum ſub Perſis ante Alexandrum, & liberatio Eccleſiæ Chriſtianæ tempore Conſtantini M. aut ſeculo reformationis. Hæc ſanè qui cum prioribus ita combinare poterit, ut eodem tempore aut poſt illud tempus eventura illa fuiſſe atque eveniſſe dicat, illi perinde erit, addendo adhuc aliquot Annorum centenarios, nexum usque ad finem ſeculorum extendere.

2. Quæ com. 20. de *Salvatore* & quidem *magno*, Ægyptiis ad liberationem mittendo, promittuntur, uti ſine ullo fundamento ad MAGNUM SERVATOREM JESUM applicantur, cujus rei hîc nulla vel minima veſtigia adſunt, ita quàm clariſſimè contra in ALEXANDRO MAGNO, de quo disertè CURTIUS *Lib.* IV. *cap.* VII. *in init.* ait: *Ægyptii olim Perſarum opibus infenſi, quippe avarè & ſuperbè imperitatum ſibi eſſe credebant; ad ſpem adventus ejus erexerant animos:* &c. Quin & in ejus in Ægypto Succeſſore PTOLEMÆO LAGI FILIO impleta eſſe oſtendit ſæpius laudatus VITRINGA; quis igitur dubitet, quæ cum his conjunguntur, conjuncta quoque propriè dictorum Ægyptiorum & Iſraëlitarum fata concernere?

3. Ipſa denique verba noſtra quæque cum illis cohærent, id

id extra omnem dubitationis aleam ponunt. Quid enim magis manifeſtum eſſe poteſt, quàm non ſolùm in Ægyptum veri Dei cultum eſſe introducendum, & inprimis *in quinque urbibus ejus* publicam confeſſionem, quæ vera *linguæ Canaänis loquela* eſt, edendam, ſed & *altare* illic erigendum, & ſacrificia atque feſta Deo ab Ægyptiis offerenda, votáque ſolvenda eſſe comm. 19, 21. Hæc igitur nos ultrò ducunt, ad locum aliquem publici iſtiusmodi cultûs, ſeu *templum*, ſaltem hunc maximè ſimplicem & proprium verborum ſenſum eſſe, nemo facilè negabit. Quare cùm jam ex hiſtoriâ conſtet, tale quid in Ægypto illo tempore, quod reliquis enucleatis characteribus exactè convenit, verè & ſecundùm litteram contigiſſe, quid pronius eſt, quàm niſi quid obſtet, agnoſcere, Prophetam eò digitum intendiſſe? Deinde cùm ex quinque illis urbibus, una κατ' ἐξοχὴν memoretur, & peculiari appellatione עיר הרס inſigniatur, neque tamen vel minimùm addatur aut oſtendi queat, quod illa præ reliquis privum & ſingulare habuerit, tum verò ejus appellatio tam egregiè in illam quadret, ubi templum conditum, & per conſequens altare offerendis ſacrificiis erectum fuit, quid proclivius iterum eſt cogitare, quàm in eo ipſo, illius prærogativam collocari, cujus mox uberior mentio injicitur, quòd ſcilicet *altare* illud ſeu *templum* in ipſâ hac urbe ſeu ad ipſam erigendum ſit.

X V.

Neque contra hæc tam evidentia argumenta magni momenti eſt, quòd Deus non niſi Hieroſolymis cultum cerimonialem peragi, altare erigi & ſacrificia offerri voluit, horúmque omnium cauſâ, ſanctuarium erigi curavit: quin

1. Ex toto ſermonis Jeſaiæ nexu non patet, rem hanc à Deo aut Prophetâ laudari atque approbari, unde, res tantùm conſiderari poteſt, ut nudè prædicta, quod ipſe jam *Celeb.* VITRINGA P. I. p. 574. a. agnovit, ſcribens: *& poterat tamen Jeſaias hîc magis prædicere quid futurum eſſet, quàm ut id ſuâ prædictione ut*

rectè & ex lege factum probaret. Nec obſtat quòd reliqua tamen, ut *locutio linguæ Canaanis*, *cognitio Jehovæ*, *converſio eorum ad Dominum* &c. maximè laudabilia Deóque grata ſint, & ut talia quibus Deus ſe Ægyptiis exorabilem præbere, eóſque ſanare velit, enumerentur atque laudentur. Nam.

2. Indubium eſt, quòd Deus, inprimis ſub veteri œconomiâ, multa toleraverit, quæ tamen non approbaret, qualia, ut notum eſt, erant *polygamia* atque *divortium* v. *Matth.* V. 31. & XIX. 7.

3. Quantò autem faciliùs Deus tale quid ferre illæſâ ſanctitate & reliquis perfectionibus ſuis potuit, quod propriè ad ipſam cultus eſſentiam non facit? Eſſentia cultûs conſiſtit in rectâ veri Dei cognitione, agnitione, reverentiâ, indefeſſóque ſtudio ipſi in fide operoſâ per charitatem placendi. Hæc ubi Deus inveniebat, in illis ſanctè acquieſcere poterat. Locus autem cultûs publici pertinebat ad præcepta in placitis, circa quæ Deus ſine perfectionum abnegatione diſpenſare poteſt: unde & multæ gentes repudiato cultu idololatrico & receptis præceptis, ut vocantur, Noachicis, ſine univerſo reliquo levitici cultûs choragio, Deum & piè coluerunt & eidem placuerunt, ut Judæi ipſi teſtantur, vid. SELDEN. *de Jur. Nat. & Gent. Lib.* VII. *cap.* X. Quid mirum itaque ſi & hujus aliquid, ubi reliquus cultus piâ caſtáque mente obſervaretur, quod ad locum attinet, in terrâ Ægypti toleraverit, præcipuè cùm terra hæc tam longè Hieroſolymis abeſſet, ut non facilè, ſaltem non crebro, omnes judaicam religionem amplexi, eò adſcendere poſſent.

4. Accedit inprimis quòd Deus ipſe ſæpius erecto jam Sanctuario, de lege illâ diſpenſavit, & in aliis locis, imò quod magis eſt, ipſis tam ſeverè vetitis celſis, rem ſacram facere juſſit aut permiſit. v. *Judic.* VI 26. 1 *Sam.* VII. 7, 9. 17. XVI. 2. 1 *Reg.* III. 2. & 1 *Chron.* XXII. 18. ídque quod probè notandum, non tantùm ſtante tabernaculo, ſed & ipſo templo, v. 1 *Reg.* XVIII. 30. ſeqq. confer quæ adhuc commate ſequenti dicentur.

5. Denique nec illud planè negligendum, quòd res hæc contigerit ſub templo II. Hujus enim in multis alia quàm prioris

erat

erat ratio. Carebat illud ipſis Judæis fatentibus, ut notum eſt, 5 rebus maximi momenti, & inter illas præcipuè *arcâ fæderis*, & שכינה ſeu *externo præſentiæ divinæ Symbolo*, quo Deus illam quondam inhabitabat, qui defectus non obſcurè appropinquantem externæ illius ædis totiúſque cultûs levitici abolitionem arguebat, conf. *Jer.* III. 16, 17. tum quoque via indies ad magnam illam gentium converſionem ſternebatur, dum non ſolùm innumeri ex omnibus gentibus proſelyti, ſed & integri populi, ut in *Idumæis* patet, ſucceſſivè Judæorum ſacris initiabantur, ut paſſim *Celeb.* VITRINGA in *comment. in Jeſaiam* inprimis ad h. l. XXIII. 18. & XXV. 6. docet. Ut adeò non magnopere mirum ſit, ſi Deus hoc tempore aliquid amplius quàm ſub templo I. toleraverit, licèt id non planè approbaret.

X V I.

Atque hinc ſimul corruit, quod nonnulli objiciunt, non ſolùm ipſum PTOLEMÆUM & CLEOPATRAM difficultatem hac de re ONIÆ moviſſe, ſed & ONIAM exſtruendo hoc templum malè egiſſe, & ut propoſito ſuo colorem aliquem quæreret, hoc loco JESAIÆ abuſum eſſe. Uti enim non magnopere mirum foret, ſi hîc ſcrupulus Regi atque Reginæ obortus eſſet, cùm non ignorarent, Deum templum Hieroſolymitanum publico cultui deſtinaſſe, ita tamen nihil hac de re JOSEPHUS tradit, ſed potiùs ſcrupulum eorum in eo collocat, *an Deo gratum ſit, templum exſtruere in loco impuro ſacrorúmque animalium pleno?* vid. ſupra com. VIII. Deinde egerit hac in re ONIAS non per omnia rectè, non obſtare tamen hoc vidimus, quò minùs Deus id ut plura alia tolerare potuerit, neque propriè dici poteſt eum JESAIÆ verbis abuſum eſſe, quia ne ipſe quidem ait, Deum id per JESAIAM juſſiſſe, ſed tantùm Ἡσαΐαν τὸν προφήτην ἐκ πολλοῦ χρόνου τοῦτο προειρηκέναι *Jeſaiam prophetam id à longo tempore* PRÆDIXISSE. Quòd ſi hunc abuſum loci appelles, quòd nihilominus horum verborum allegatione tam Regem atque Reginam permovere quæſiverit, quàm populum inducere, ut in hoc templo cultum perageret, per nos id licèt, neque tamen id magis cauſæ quam agimus, officiet, quàm quòd Deus non ſolùm aliorum quoque hominum

minum lapſus paſſim per prophetas prædici curavit, ſed & multorum infirmitates toleravit. Inprimis huc facit, quòd in regibus à ſingulari pietate & ſinceritate celebratis tulit, ídque etiam ſtante adhuc templo I. quòd, cùm reliquum cultum ab idololatriâ gentium repurgarent, celſa tamen in ipſâ terrâ Canaan relinquerent, in quibus populus ſacrificia offerret, & ſuffitum adoleret. Non loquar nunc de Salomone, quia ut additur, templum nondum erectum erat 1 *Reg.* III. 2. ſeqq. Sed de Asa diſertè dicitur 1 *Reg.* XV. 11. *&* Asa *faciebat rectum in oculis Jehovæ, ut David pater ejus.* -- -- -- 14. Sed celsa non removebantur: *at cor* Asæ *erat integrum cum Jehovâ omnibus diebus ejus.* de Josaphato 1 *Reg.* XX. 43, 44. *Et ambulabat in viâ* Asæ *patris ſui, non recedebat ab illâ, ut faceret rectum in oculis Jehovæ. Tantùm* celsa non removebantur, (ſed) populus adhuc sacrificabat et adolebat in celsis. Idem de Joaso vivente adhuc Jojada, quamdiu faciebat quod rectum in oculis Jehovæ, nec non de filio ejus Amazia, de nepote Azariâ aut Uzia, ut & hujus quoque filio Jothamo traditur 2 *Reg.* XII. 3. XIV. 4. XV. 4, 35. Neque prius abolita ſunt celſa quàm à Rege Hiskia 2 *Reg.* XVIII. 4, 22. Ratio autem quare ab illis tolerata ſint, fuit, ut rectè judicat Polus *ad* 1 *Reg.* XV. 14. *primò*, quod non magnum in eo malum ſitum eſſe exiſtimarent, quia David, Salomon aliíque ſapientes & pii reges id fecerint, & verus Deus tamen in illis coleretur, licèt non eo loco & more, ut Deus ſtatuerat; *ſecundò*, quòd totam abrogationem celſorum judicarent plus damni illaturam, quàm eorum tolerationem, omnimodum nempe neglectum cultûs divini in multis, qui defectu fidei & zeli non vellent aut non poſſent Hieroſolymam adſcendere; *Denique*, quia populus tam pertinaciter cultui in celſis adhærebat, ut ἀδύνατον eſſet aut ſaltem videretur, eum abolere abſque ſummo damno talibúſque turbis, quæ eccleſiam & rempublicam in maximum diſcrimen adducere poſſent. Quòd ſi igitur reges illi illæſâ, quæ in ipſis ab ipſo ſpiritu S. tantopere celebratur, pietate, ſinceróque in Deum adfectu, talia ferre non ſolùm potuerunt, ſed & Deus ſimul id in ipſis tolerare, quid quæſo tantopere in Oniâ culpandum, aut

Digitized by Google

aut cur Deus etiam id in eo tolerare non potuit? quòd ne quidem in ipſâ terrâ Canaan, ſed longè diſſito Ægypti regno templum condi curavit, quo numeroſiſſimum populum tantò faciliùs à fœdiſſimâ maximéque inſanâ idololatriâ, quæ unquam in toto terrarum orbe viguit, ad veri Dei agnitionem cultúmque pertraheret. Aut quis quæſo bonæ mentis, cenſebit rectiùs facturum fuiſſe Oniam, ſi, dum res fortè aliâ ratione perfici non potuiſſet, populum Ægyptium potiùs ridiculos Deos ſuos cum æterno ſalutis diſpendio colere ulteriùs permiſiſſet, quàm in circumſtantiis externi cultûs à rigore Legis umbratilis aliquid remiſiſſet. Longè ſanè rectiùs Judæorum magiſtri judicant, qui licèt ædificationem templi hujus non approbent, quin & Sacerdotes in eo miniſterium obeuntes, eodem in templo Hieroſolymitano defungi potuiſſe negent, cultum tamen illic peractum minimè pro cultu idololatrico aut peregrino habent, quin & ut nonnulli addunt, etiam ſi tales fortè in templo Hieroſolymitano miniſterio functi ſint, non tamen actum illum illegitimum eſſe. Audiamus hac de re Maimonidem in *bilcb. Biat bammikd.* cap. IX. §. 14. מי שעבר ועשה בית חוץ למקדש להקריב בו קרבנו לשם אינו כבית ע״ז ואף על פי כן כל כהן ששימש בבית כזה לא ישמש במקדש לעולם· וכן כלים שנשתמשו בהן שם לא ישתמשו בהן במקדש אלא יגנזו· ויראה לי שאם עבד כהן ששימש שם במקדש לא פסל: *Qui Legem transgreſſus eſt*, (NB. in *editione* Maimonid. *Amſtelod.* A. 462. pro·שעבר malè & ſine ullo ſenſu legi שעבר) *& templum ſtruxit præter Sanctuarium* (Hieroſolymitanum) *ut in eo ſacrificium Deo offerat, non quidem id baberi poteſt pro fano idololatrico, at nibilominus, omnis Sacerdos qui in tali templo miniſterio functus eſt, non poterit eodem unquam fungi in Sanctuario. Eadem ratione vaſa illic ad miniſterium adhibita, nunquam adhiberi debent in Sanctuario, ſed potiùs abſcondi.* (NB. Summum in hoc ſtudio Virum Joh. Seldenum in hoc loco, quem adducit Lib. II. de *ſucceſſione in Pontificat.* cap. VI. aliquid humani paſſum eſſe, dum ultima hæc verba reddit, *ſed in gazopbylacio reponenda ſunt*, cùm verbum גנז potiùs apud Judæos adhiberi ſoleat, de rebus ad ulteriorem uſum

ille-

illegitimis, quáeque eam ob cauſam abſcondenda, ſeu ſub terram defodienda ſunt) *Mihi autem videtur, quòd, ſi ſacerdos qui illic miniſterio functus eſt, fortè quoque in Sanctuario miniſtraverit, miniſterium tamen illegitimum non ſit.*

XVII.

Ceterùm licèt ob allatas rationes nullus dubitem, vaticinium hoc in *templo heliopolitano* ſecundùm literam, non ſine ſingulari Dei providentiâ impletum eſſe; minimè tamen in eo ſubſiſtendum eſſe cenſeo, ſed lubens ſimul largior, quod pluribus *Celeb.* VITRINGA adſtruxit, idem multò adhuc latius patere, atque uti *altare* totius cultûs emblema eſt, ita hanc quoque promiſſionem involvere, *Ægyptios magno numero ad Deum Iſraëlis convertendos, veríque cultûs profeſſionem publicè edituros eſſe*, quod ipſum cum noſtrâ ſententiâ minimè pugnat, ſed illi potiùs commodè ſubordinari poteſt.

DISSERTATIO XVII.

DE

PRÆVARICATIONE JACOBI, HÁNCQUE SECUTO FIDEI CERTAMINE.

AD HOS. XII. 4. ſeqq.

I.

Uti HOSEÆ vaticinia inter difficiliora Prophetarum oracula reputari debent, ſive res ipſas, quas tradit, ſive verba & phraſes, quibus utitur, ſive denique orationis nexum ſpectes, ita id præcipuè in illâ quam hîc breviter excutiendam ſumi-

ſumimus pericopâ ad oculum patet. *Interpretibus*, ait *eruditiſſimus* SCHMIDIUS, *cohærentia bujus cum præc. verſ. valdè ſit difficilis*. In verbis ipſis quanta difficultas lateat, quámque inprimis obſcurum ſit, quid in toto orationis ſchemate intendat Propheta, ex diverſiſſimis Virorum doctorum ſententiis cuivis manifeſtum eſſe poteſt. Neque ingratum igitur, neque fortè planè inutile erit, in hæc omnia paulò propiùs inquirere. Fiet id à nobis eâ ratione, ut à poſterioribus initium faciamus, his enim in clariori luce poſitis, facilius erit de ſermonis cohærentia judicium ferre.

II.

Interpretes plerique omnes, qui concedunt, quod verba ipſa ſatis clarè arguunt, hîc propriè de ipſo Patriarchâ Jacobo agi, nihil in verbis inveniunt, niſi quod laudabile, & ad ejus gloriam & honorem vergat. Ego verò longè aliter ſentio, & primò quidem nævum pientiſſimi Viri tangi, huſcque dein laudabilia ejus facta opponi, exiſtimo, ad quod cùm non ſatis attenderent Interpretes, factum eſt, ut mentem Prophetæ non ritè aſſequerentur, ejúsque etiam verba in alienum ſenſum, licèt præter intentionem ſuam, detorquerent. Ita ut ſentiam, non paucas, nec exigui momenti rationes, habeo.

III.

Primò enim id ipſa Prophetæ verba בבטן עקב את אחיו non obſcurè flagitant. Non ignoro quidem, quòd Viri docti verbum עקב hîc in bonam partem interpretandum cenſeant, atque adeò reddi nolint per *ſupplantavit*, quod ſit *decipere*, ſed potiùs per *apprehendit calcem*, aut, quod adhuc grandius ſonat apud *Clar.* SCHMIDIUM, non *dolum* & *deceptionem*, ſed *victoriam laudabilem* denotare exiſtiment. Verùm hæc mihi quidem minùs placent. Nam uti 1. neutra ſignificatio ex linguâ hebræâ facilè adſtruetur, ita 2. contrà illa *ſupplantandi* & *decipiendi* tam in hac, quàm reliquis orientalibus ordinaria maximéque obvia eſt, & per innumera inde deſcendentia derivata confirmatur. 3. Inprimis verò in hoc argumento eandem

 obti-

obtinere, indéque Jacobo nomen impoſitum eſſe, ex Eſavi verbis manifeſtum eſt Gen. XXVII. 36. הכי קרא שמו יעקב ויעקבני זה פעמים *Annon* (rectè) *nomen ejus appellatum eſt Jacob? quoniam me jam bis decepit.* Eſavum autem 4. hac in re non ex invidiâ & odio egiſſe, noménque fratris minùs rectè in pejorem partem interpretatum eſſe, ex Jerem. IX. com. 3. patet, ubi clariſſimâ ad Jacobi factum atque nomen alluſione dicitur איש כרעהו השמרו ועל כל אח אל תבטחו כי כל אח עקוב יעקוב וכל רע רכיל ידלך: *Caveat ſibi unusquisque ab amico ſuo, & fratri nemo fidat, nam* OMNIS FRATER SUPPLANTANDO SUPPLANTABIT, *& omnis amicus obtrectabit.* Hinc quoque ſimul corruit explicatio eruditiſſimi RIVETI *in Hoſeam*, „ quòd cùm infantis manus ſecundùm conſuetum naturæ ordinem in naſcendo præire neque ſoleant, neque poſſint, „ ídque adeò ſingulari Dei miraculo factum ſit, Deus apprehenſione illâ plantæ fratris ſui portendere voluerit fortitudinem Jacobi & primogenituræ gloriam. Quare hoc ita à „ Deo diſpenſatum fuerit, ut teſtaretur, natu minorem viribus „ ſuperiorem fore, & gratiam primogenituræ & adoptionis „ fratri natu majori prærepturum eſſe, non quidem naturæ „ viribus, ſed ordinatione & gratiâ divinâ. Præter ea autem quæ attulimus, his inſuper repugnat, quòd his Hoſeæ verbis utique non ad aliquid factum Dei, in gratiam Jacobi, ſed ad factum Jacobi alludatur, quia immediatè præcedentibus verbis dictum eſt: *ad viſitandum ſuper Jacobo* כדרכיו כמעלליו ישיב לו SECUNDÙM VIAS EJUS, SECUNDÙM OPERA EJUS IPSI RETRIBUET.

I V.

At forſan mihi objicies, quomodo infans in utero jam potuerit fratrem ſuum ſupplantare, eúmve decipere? Verùm difficultas hæc exigui admodum momenti eſt. Non excipiam, nos neſcire quousque in certis circumſtantiis etiam infantum in utero actiones ſe extendere queant, ſed id tantùm obſervari volo, divinam providentiam ſæpius rem ita diſpenſaſſe, ut quæ ante vel circa nativitatem acciderent, ſigna atque documenta eſſent

eſſent eorum, quæ poſtmodum eventura, eámque ob cauſam talia nonnunquam nomina infantibus imponi curaſſe, quibus eadem ſignificarentur, quaéque ipſo dein eventu confirmarentur. Prioris manifeſtiſſimum exemplum habemus in ipſis his Iſaaci filiis, Jacobo & Eſavo Gen. XXV. comm. 22, 23. Cùm enim Rebecca gemellos utero geſtaret, hi ſemet mutuo validè percutiebant, ita ut Rebecca acerbiſſimum inde dolorem ſentiens exclamaret: *ſi ſic* (mihi eventurum eſſet) *quare ego id* (experta ſum?) Deum autem hac de re conſulens, reſponſum accipiebat: *Duo populi ſunt in utero tuo, & duæ gentes ex viſceribus tuis ſeparabuntur, & una gens alteri prævalebit, majórque ſerviet minori.* Ubi clariſſimè ex pugnâ infantum in utero Deus diſcordiam inter hos gemellos non tantùm, ſed & eorum poſteros orituram deducit, hócque inſolito caſu ſignificatam eſſe innuit. coll. Malach. I. 2. & Rom. IX. 10. ſeqq. Poſterioris ſpecimen habemus in PERETZ uno gemellorum Thamaris, cùm enim frater ejus manum priùs protendens, primùm proditurus videbatur, obſtetríxque eam ob cauſam filum rubrum illi circumdediſſet, hic eodem manum retrahente inexſpectatò magnâ vi prorumpens, primus prodiit, ſicque jus primogenituræ fratri quaſi præripuit, unde mater ingentem quoque dolorem ſentiens exclamabat, *quid* RUPISTI *tibi talem* RUPTURAM, *ipſéque nomen* PERETZ *tulit*, Gen. XXXVIII. 28, 29. Quo ſanè non abſimile quid, ac illâ Jacobi in utero prævaricatione, ſignificatum, & inprimis, ut JUNIUS, monente HEIDEGGERO *Hiſt. Patriarch.* T. II. Exercit. XVIII. ſcitè loquitur, *Deus ſanctum ſemen & jus primogenituræ, contra quam naturæ ordo videbatur ferre, demonſtravit.* Huc quoque non immeritò refertur, quòd de præcurſore Servatoris legimus, eum appropinquante Chriſtigerulâ matre, præ gaudio in utero exſultâſſe, ſicque jam ante ſignum edidiſſe illius gratiæ & donorum Spir. S. quibus repletus ſummo gaudio atque alacritate munere ſuo ad parandam huic Domino ſuo viam defuncturus erat, & unde ipſum nomen Johannis, coelitùs ſibi impoſitum, tulit. v. Luc. I. 41, 44. coll. com. 13. ſeqq. & 60, 63. Eadem igitur ratione & hoc Jaco-

Digitized by Google

bi in utero factum, ſignum erat illius ſupplantationis, quâ is circumventurus erat fratrem; in cujus rei documentum etiam nomen יעקוב ipſi non ſine ſingulari occultâ providentiæ diſpenſatione adhæſit. Atque hinc non illud factum Jacobi in utero ſeorſum, & in ſe ſpectari debet, ſed potiùs, quod dein adultior factus, in fratrem commiſit, cujúsque prius illud in utero ſignum, & quaſi præſagium, fuit.

V.

Sic igitur jam *Secundò* ſtatim clariùs eluceſcet, minimè priora Dei apud Hoſeam verba in laudem Jacobi, ſed potiùs ut teſtimonium infirmitatis ejus, accipi debere, quod ipſius rei geſtæ Gen. XXVII. com. 5. ſeqq. collatio manifeſtabit. Non ignoro quidem, multos Viros doctos omnem navare operam, ut quod Rebecca ad paternam benedictionem filio conciliandam, ejúsque hortatu ipſe Jacobus egit, excuſent. Verùm licèt id piâ intentione faciant, vereor tamen ut cordatis lectoribus ſatisfaciant.

1. Quia manifeſta fraus tam à Rebeccâ, quàm filio ejus, commiſſa eſt, dum is matris ſuaſu Patrem, verbis æquè ac factis, decepit, Eſavum ſe ſimulans, ídque inprimis habitu artificioſe ad id parato, ut Jacobus, caligantibus jam oculis, per contactum pellium in errorem duceretur, & ſe hirſutas Eſavi manus tangere crederet, ſícque adornatâ aſtutâ ſcenâ benedictio Eſavo præriperetur, quæ omnia cum εἰλικρινείᾳ illâ, quæ pios, tam in ſermone, quàm actionibus, decet, conciliari nullâ ratione poſſunt.

Præcipuè, quia 2. plus unum, eundem in finem, apertum mendacium commiſſum eſt. Non loquor jam de factis veritati minùs convenientibus, quæ propriè loquendo nîl niſi totidem mendacia ſunt, ſed ad clariſſima inprimis verba reſpicio, quando interrogatus à patre com. 18. *quis tu es mi fili*, ſine ullâ circuitione reſpondit, EGO SUM ESAVUS PRIMOGENITUS TUUS, addens: FECI QUEMADMODUM DIXISTI MIHI, imò adhuc pergens: *Surge comede* DE EO QUOD CEPI, *ut benedicat mihi anima tua*: cúmque pater fraudem ſubodorans regereret, *quomodo feſti-*

feſtinaſti invenire mi fili? repoſuit, JEHOVA DEUS TUUS MIHI ID IN OCCURSUM DEDIT com. 20. Quid quòd cùm Iſaacus adhuc magis metuens, ne circumveniretur, denuò inſtaret com. 24. *Num tu* (igitur) *es filius ille meus Eſavus?* quem ſcilicet exſpecto, quémque te modo faſſus es; iteratâ vice perrexit, *Ego ſum.* Hæc ita ſunt comparata, ut cum S. Venerandis Epiſcopis PATRICK & POLO, nec non cum facundiſſimo SAURINIO aliisque fateri cogar, *nullas harum propoſitionum à mendacio liberari & cum veritate conciliari poſſe.*

3. Neque aliter Jacobum ipſum hac de re judicaſſe, ex com. 11. & 12. manifeſtum eſt, ubi cùm mater eum ad hæc compelleret, diſertè reſpondebat, *Ecce frater meus piloſus eſt & ego glaber. Fortè contrectabit me pater meus*, ERÓQUE IN OCULIS EJUS INSTAR DECEPTORIS, *& attraham mihi exſecrationem, non benedictionem.*

4. Quin & ipſam Rebeccam apud animum ſuum hac de re convictam fuiſſe, patet, quia ſcrupulum hunc fraudis atque deceptionis minimè ſolvit, ut ſine dubio feciſſet, ſi quid hunc in finem ſufficiens inveniſſet, ſed ejus loco tantùm maledictionem, quam Jacobus metuebat, in caput ſuum derivat, ſicque eum metu, non ſcrupulo conſcientiæ liberare quærit, dicens com. 13. *maledictio ſuper me mi fili, tu modo auſculta voci meæ, vade, & cape tibi.*

5. Eandem hac de re ſententiam fovebat Iſaacus, unde comperto dein errore ſuo exclamabat cap. XXVII. com. 35. *Frater tuus venit aſtu* (fraude) *abſtulitque benedictionem tuam.*

6. Verùm quid pluribus verbis opus eſt, cùm Deus ipſe non obſcurè teſtatus ſit, ſe factum illud minimè probare, & Jacobum id quoque ſuo damno experiri curaverit. Quicquid enim ipſi dein evenit mali, dum inter innumera pericula atque incommoda à patriis laribus aufugere debuit, inde originem traxit, vid. Gen. XXVII. 41. ſeqq. neque Deus illum eò iterum admiſit, niſi poſtquam nævos ſuos hac in re admiſſos ex animo doluiſſet, Numénque ſibi ſupplici prece placare ſtuduiſſet, ut in ſequentibus videbimus.

VI.

Digitized by Google

V I.

Ut autem hac in re candidè agam, oportet ut & quæ mihi opponi poſſunt, & ſine dubio contrariæ ſententiæ patronos induxerunt, ad factum hoc excuſandum, aut elevandum, breviter excutiam. Omnia quæ alicujus momenti eſſe queunt, ad hæc tria mihi præcipuè videntur referri poſſe: 1. quòd duriuſculum quodammodo videatur, pientiſſimam fœminam Rebeccam non ſolùm, ſed & laudatiſſimum & à pietate non minùs quàm inprimis integritate celebratiſſimum Patriarcham Jacobum, manifeſtæ fraudis, apertiſſimorúmque & creberrimorum mendaciorum reos peragere. Inprimis cùm 2. benedictio ab ipſo Deo jam ante Jacobo præ Esavo addicta eſſet, júsque adeò ad eandem ad ſe rapiendam habere videretur, Esavus autem illâ minus dignus eſſet, quin & 3. Deus ipſe factum hoc ratum habuiſſe videatur, dum his mediis acquiſitam benedictionem tamen confirmavit, actúque præ *Eſavo* in illum æquè ac poſteros contulit.

Verùm quantamcunque etiam hæc ſpeciem habeant, exactius tamen examen ſuſtinere non poterunt. Ad primum enim quod attinet, novimus etiam piiſſimos quosque à nævis minimè immunes fuiſſe, imò divinam providentiam ſedulò curaſſe, ut illorum exſtantiora quædam ſpecimina in eccleſiæ annales referrentur, quò de communi omnium mortalium, etiam optimorum labe, tantò certiùs conſtaret. Huc facit, ut notum, Noachi *ebrietas*, Abrahami *polygamia*, Mosis *tergiverſatio* in obeundo munere atque ὀλιγοπιστία, Davidis *adulterium* atque *homicidium*, Josaphati *irreligioſum fœdus*, Hiskiæ *faſtus*: ne de *trinâ* Magiſtri *abnegatione*, cujus ſe Petrus cum *pejeratione* & *exſecrationibus* reum fecit, loquar. Hæc uti non ultra quàm par eſt exaggeranda, & nec in ipſorum, nec inprimis bonæ cauſæ, quam ceteroquin tuebantur, detrimentum pervertenda ſunt, ut a doctiſſimo Bælio in hiſtoriâ Davidis factum eſſe meritò pii omnes dolent, ita etiam non neganda, aut nimis elevanda, cùm veritas talibus præſidiis minimè indigeat, & quæ Deus non niſi ſapienti conſilio annotari curavit, à nobis quo-

que

que ſecundùm verum & genuinum, quem verba fundunt, ſenſum, accipi debeant, ídque ſi fiat, nihil inde unquam mali metuendum eſſe queat. Interim non parum tamen atrocitas facti Jacobæi eo ipſo mitigatur, quod non proprio motu, ſed matris auctoritate, & quidem non ſine reluctatione inductus, ipſáque ſe omnem rei culpam in ſe recipere teſtata ſit.

Ad alterum quod ſpectat, quòd Deus ipſe antea Jacobo benedictionem hanc pollicitus erat, uti id ex Geneſ. XXV. 23. conſtat, & aliquâ ratione Jacobi æquè ac inprimis Rebeccæ minimè laudandos conatus emollit, ita tamen ab omni culpâ eosdem minimè liberat, quia idcircò non prævertere debebant Dei conſilium, multò minùs per conſilia carnis & illegitima media quærere ut id exſecutióni daretur, ſed placidè potiùs piáque fiduciâ exſpectare, ut qui pollicitus erat, id quoque præſtaret. Quin imò quoties vias, quas Deus cum fidelibus priorum temporum iniit, perpendo, clariſſimè deprehendo, illum non ſolùm eorum fiduciam per promiſſionum dilationem explorare voluiſſe, ſed & ipſos ſæpius in eundem lapidem cum Rebeccâ & Jacobo impegiſſe, dum non ſatis Deo fidentes, ipſi, quando inprimis exigua ſpes ſupereſſe videbatur, per quæcunque media rem potiùs promovere, quam Deo qui eam promiſerat, ſoli committere, quærebant. Unicum tantùm ſed omni exceptione majus exemplum nunc adferam. Ex univerſâ hiſtoriâ Abrahami ultrò patet, eum non ex voluptate, multò minùs tædio cariſſimæ uxoris, cum Hagare conſueviſſe, ſed potiùs quia tantæ promiſſiones ipſi, de ſemine ſibi aliquando concedendo, factæ erant. Cùm autem hæ non videbantur ob provectam Saræ ætatem amplius impleri poſſe, hujus inprimis hortatu induci ſe paſſus eſt, ut Hagarem ſibi jungeret, ne illæ planè irritæ evaderent. Geneſ. XVI. 1. ſeqq. Quâ in re tamen à labe minimè immunis manſit, cùm non ſolùm factum hoc primæ matrimonii inſtitutioni repugnaret, ſed & Deo potiùs promittenti rem relinquere atque præſtolari debuiſſet, ut ſi ipſe id neceſſarium judicaret, ut Abrahamus per certa media ad promovendum implementum concurreret, id propius juberet, & media convenientia indicaret. Ita ſanè dein meliora edoctus,

doctus, fecit, cùm, Deo ſic jubente, nullus dubitavit ampliſſimarum illarum promiſſionum hæredem propriis manibus immolare, quoniam jam *præter ſpem in ſpe credidit, ſe futurum patrem multarum gentium, ſecundùm id quod dictum erat: ita erit ſemen tuum. Et non infirmus fuit in fide, neque deſpexit proprium corpus jam emortuum, utpote centum jam annos natus, neque emortuam matricem Saræ. Non enim ad hanc promiſſionem Dei per ἀπιςίαν dubitavit, ſed confortatus fuit in fide, Deo gloriam dans: & planè perſuaſus, eum quod promiſit, potentem quoque eſſe ut faciat.* Quemadmodnm id ipſi tantæ laudi vertitur, Rom. IV. 18. ſeqq. idem igitur ſi & antea feciſſet, eandem quam poſtea, laudem meruiſſet, nec conſiliis carnis aures præbuiſſet. Eadem ratione & hoc Rebeccæ, ejúsque ſuaſu impulſi Jacobi factum, conſiderari debet. Addixerat Deus ipſe benedictionem Jacobo, ſed Pater Iſaacus, ſive quòd oraculo Rebeccæ reddito fidem non ſatis adhiberet, ſive quod naturali adfectui, quo in primogenitum Eſavum ferebatur, nimis quàm par erat, indulgeret, eandem in illum transferre quærebat, imò cùm indies fatum ſuum accelerari videret, Eſavo jam mandatum dederat, ut cibum ſibi pararet, quo ſumpto benedictionem in ipſum pronunciaret, Gen. XXVII. com. 33. Hæc intelligens Rebecca tantò magis dilecto ſuo Jacobo metuebat, quò magis communis illorum temporum perſuaſio erat, ſemel pronunciatam benedictionem nullo modo retractari, irritámve reddi poſſe. In his igitur circumſtantiis fiduciæ in Deum repoſitæ ſpecimina edere conveniſſet, qui non obſtantibus omnibus his difficultatibus non ſolùm promiſſa adimplere poterat, ſed & vi veracitatis, quin & immutabilitatis conſilii, certò certiùs impleturus erat, aut ſi nec hoc pacto ὀλιγοπιςίαν ſuperare poſſet, ipſum iterum ut quondam Gen. XXV. 23. Deum adire, eúmque promiſſi ſupplex admonere, aut conſilium ſibi expetere potuiſſet atque debuiſſet. Verùm prodebat & hîc ſemet humana imbecillitas, dum Rebecca in his anguſtiis ad carnis conſilia confugiens id propriâ operâ, imò fraudibus, Jacobo impetrare quærebat, quod à Deo promittente unicè exſpectare debebat. Nec eam abſolvebat ab hoc peccato, quod Eſa-

Eſavus, ut βέβηλος, *homo profanus*, tantarum prærogativarum indignus erat, neque enim ipſius erat id dijudicare, ſed Deo ſupremo rerum humanarum arbitro, omniúmque promiſſorum bonorum ſupremo, liberrimo, ſanctiſſimóque diſpenſatori potiùs relinquendum erat. Quare ſi omnia hæc in unam ſummam colligantur, ultrò patet, quod ſi, ut par eſt, candidè agere velimus, Rebeccæ æquè ac Jacobi factum non planè excuſare debeamus, ſed potiùs fateri, multum in eo peccaminoſi occurrere. Interim tamen indubium ſimul eſt, id ita ſe habere, ut etiam in pios cadere queat, longè aliam ejus rationem eſſe, quam ſi ſimilia ab hominibus impiis & peccato mancipatis peragantur. Non enim vel Rebecca, vel Jacobus, id ex proæreſi fecerunt, ſed illa quidem ex præcipitantiâ, & quòd in illis anguſtiis, ubi videbat deſtinatam Jacobo benedictionem intra paucas horas, aut forſan minuta, irreparabili damno eidem eripiendam eſſe, ſibi conſulere non poſſet; hic ex inductione matris, nihil ſine dubio minùs initiò cogitans, quàm quòd repetitâ Patris interrogatione eò adigendus eſſet, ut diſertis verbis iteratáque vice mendacii reus evaderet, ſed ſperans potiùs mutuatitio habitu rem confectam fore. Ita, quod hîc in tranſitu obſervare juvat, cum peccato præcipuè in ipſis piis comparatum eſt, ut, ubi ad ſe ipſos minus attendentes illi aures præbere incipiunt, mox velut torrente quodam abripiantur, & ab uno in alia, de quibus antea ne cogitaverant quidem, incauti ruant. Tam verum eſt! quòd uti מצוה גוררת מצוה ita עבירה גוררת עבירה quemadmodum Judæi dicere ſolent.

Ex dictis jam ultrò eluceſcet, in *tertiâ* quoque ſeu ultimâ exceptione non plus ponderis quàm in duabus prioribus eſſe. Neque enim quando Deus ſperatum eventum largitur, eo ipſo media, ab hominibus ad illum ſiſtendum, aut promovendum, ordinata vel adhibita, approbat. Verùm tam admiranda occultæ ejus providentiæ diſpenſatio eſt, ut quemadmodum ſolet ex tenebris lucem producere, ipſáque adeò peccata ſcopo quem ſibi propoſuit, inſervire jubet, ita præcipuè infirmitates ſuorum benigniter toleret, illíſque non obſtantibus eorum actionibus felicem ſæpe ſucceſſum indulgeat, quin & iiſ-

dem benefaciat. Sic, licèt verba obſtetricum Ægyptiarum non facilè ab omni mendacio liberari queant, Deus tamen earum bonam intentionem amorémque, quo in innocuos infantes ferebantur, benigniter reſpiciens, non ſolùm hoc medio liberos in vitâ conſervari curavit, ſed & *illis benefecit earúmque domus ſtruxit*. Exod. I. 19. ſeqq. Sic, licèt reſponſio à Rachabe emiſſariis Regis Hierichuntini data veritati minùs conveniens eſſet, quoniam tamen quicquid agebat, in fide per charitatem, quâ ſervare exploratores quærebat, operoſâ, agebat, *non interiit cum inobedientibus, dum exploratores recepit in pace*. Heb. XI. 31. coll. Joſ. II. 2. ſeqq. & VI. 17, 23. Quid loquar de Davide? qui licèt adulterii cum Bathſeba, imò homicidii, occiſo ejus marito, atque adeò graviſſimorum criminum reus, impetratâ tamen peccatorum veniâ, ex ipſo hoc conjugio auguſtiſſimum throni hæredem vidit, in quo & per quem etiam majores promiſſiones ipſi factæ ſucceſſivè impletæ ſunt. 2 Chron. XXIX. 5. ſeqq. coll. 2 Sam. VII. 12. ſeqq. & 1 Reg. VIII. 19, 20. Quid mirum igitur, ſi in his quoque circumſtantiis Deus infirmitates tam Rebeccæ, quàm Jacobi, benignè toleraverit, imò condonaverit, & licèt illas minimè approbaret, iis tamen non obſtantibus, quam jam antea Jacobo deſtinaverat benedictionem, eidem gratioſè conceſſerit. Certè ipſe Iſaacus, qui nec ab omni labe immunis fuiſſe videtur, quando promiſſam benedictionem, ſive ex ἀπιστίᾳ, ſive perverſo adfectu, in impium Eſavum transferre ſtudebat, id non obſcurè agnovit, dum, licèt circumſtantias facti Jacobæi minimè probaret, tamen Eſavo eandem poſtliminiò expetenti, reſpondit: BENEDIXI IPSI, ETIAM IPSE BENEDICTUS ERIT. Gen. XXVII. 33. ſicque jam occultam in his Dei providentiam agnoſcens atque venerans, pronunciatam antea ex errore benedictionem, in fide nec ſine inſtinctu divino, ſolemniter Jacobo confirmavit, conf. Hebr. XI. 20.

VII.

Ut autem jam ad Hoſeæ verba revertamur, uti com. IV. & V. gemino argumento evicimus, priora eorum minimè laudabile

dabile Jacobi factum, ſed potiùs infirmitatem ejus atque nævos nobis ob oculos ponere, ita *tertiò* idem conſtat, ex illis quæ ſtatim ſequuntur ובאונו שרה את אלהים: וישר אל מלאך ויכל בכה ויתחנן לו uti in voce שרה Interpretes plerique omnes conveniunt, eam explicantes, *ſtrenuè* & *Principis inſtar ſe geſſit*, aut *luctatus eſt*, ita circa alteram באונו valdè diſſentiunt. Qui און ex חון illuſtrare volunt, & de *ſufficientiâ virium* cogitant, ſine neceſſitate, aut ſufficienti ratione, duo diverſa themata, quæ utraque diverſo ſenſu in uſu ſunt, confundunt. Qui de *robore* aut *viribus* agi cenſent, non ſolùm (ſi cum *Summo* COCCEJO, præeunte LUTHERO, verba reddant *omnibus viribus*) non ſatis ἀκριβῶς formam vocis אונו exprimunt, cùm ea potiùs exigeret, ut verteretur *in robore ſuo*, ſed &, ſi vel maximè cum CHALDÆO, SYRO aliiſque ita vertant, non tamen totum σχῆμα, in quo Jacobus in hiſtoriâ occurrit, ſibi ſatis ante oculos ponunt. Nemo dubitat reſpici ad luctam Jacobi cum Deo, ſeu filio Dei, qui ſimul ut angelus ſeu legatus Patris in carne aliquando appariturus erat, ſuaéque ἐνσαρκώσει præludens, ſub humanâ ſpecie ut ſæpe aliàs, ſemet ipſi manifeſtaverat. Licèt autem in fide piorum robur ſit, inque eâ Jacobus ſe ſtrenuè contra hunc angelum faciei geſſerit, non tamen ſatis commodè in fide certantes dici poſſunt SUO ROBORE luctari, cùm *Deus* potiùs, & inprimis *filius Dei* IPSORUM ROBUR ſit, & *cum eo omnia, ſine illo autem nihil poſſint*, Pſalm. XXVII. 1. Jeſ. XLV. 24. Deinde Jacobus in illis circumſtantiis quoque minimè ſub ſchemate fortis heröis, ſed potiùs hominis timidiſſimi & præ metu ferè exanimati occurrit Gen. XXXII. 7, 11. quin & ipſam luctam non *ſuo robore*, ſed *lacrymis* & *ſupplicatione* peregit, ut ſtatim audiemus. His autem dum pugnant pii, ſtrenuè ſe quidem gerunt, quin & victoriam ab ipſo domino reportant, at non tamen illud propriè ſchema fortium heröum eſt, ſed talium, qui cum agnitione ſuæ tenüitatis atque impotentiæ, ſuppliciter inſtando, benignâ tandem Dei conceſſione victores evadunt. Contrà autem ut heroës introducuntur, quando obfirmato intrepidóque animo nihil metuentes adverſa & dira

quæque ſubeunt, Rom. VIII. 35. ſeqq. Epheſ. VI. 11. ſeqq. coll. Act. XX. 24. At ne ſic tamen ſuo robore, ſed Dei & Chriſti auxilio, præſidio atque virtute pugnare dicuntur. v. Pſalm. XVIII. 30, 33, 40. Phil. IV. 13. & Apoc. XII. 11. Hinc igitur communiſſimam vocis און ſignificationem præferendam cenſeo, quâ *dolorem*, *laborem*, *moleſtiam* aut *moleſtum laborem* denotat. Hoc ſenſu *Rabel* filium natu minorem בֶּן אוֹנִי BEN ONI appellabat Gen. XXXV. 18. vid. & Job. V. 6. & Pſalm XC. 10. ubi cum עָמָל idcirco conjungitur, conf. *Celeb.* SCHULTENS in luculento *commentario in Jobum* pag. 445. & 509. quin & GUSSETIUM, licèt is de ſignificatione vocis in noſtro loco diverſum ſentiat. Ut adeò mens verborum Prophetæ ſit, *In dolore*, aut *moleſtiâ ſuâ ſtrenuè ſe geſſit cum Deo.* Eadem ratione accepiſſe videntur Veteres Græci, reddentes illa, *ἐν κόποις αὐτȣ̃ ἐνίσχυσε πρὸς Θεὸν*, *in laboribus ſuis prævaluit erga Deum:* quos ſecutus eſt Arabs وباتعبه تقوي مع الله *& in laboribus ſuis corroboravit ſe cum Deo.* Atque hoc ſequentia confirmant, quando mox additur com. 5. בכה ויתחנן לו *flevit & ſupplex ipſi factus eſt*, vel *ſupplex gratiam imploravit.* Hæc enim ut paſſim jam Interpretes & Lexicographi adnotarunt, propria verbi התחנן ſignificatio eſt, cujus thema חנן ex Arabiſmo denotat *miſertus eſt*, ut rectè monet *Celeb.* SCHULTENS ad Job. XIX. 17. & 21. unde in *Hithpaël* eſt, *gratiam*, *miſericordiam implorare*, quod inprimis in ſupplicatione aut deprecatione Judici factâ locum habet, unde תחנה & תחנונים de iſtiusmodi *ſupplicationibus* adhibentur. v. Job. IX. 15. Pſalm. LV. 2. Jer. XXXVI. 7. XXXVIII. 26. Pſ. XXVIII. 2. XXXI. 23. Dan. IX. 3, 17, 18.

VIII.

Transferamus hæc jam propiùs ad ſcopum noſtrum. Tolerat non ſolùm Deus infirmitates ſuorum, quin & illis non obſtantibus beneficia in eosdem confert, ídque nonnunquam ubi illa legitimo modo quæſita non ſunt. Interim tamen id eo modo talibúsque mediis facere ſolet, ut ipſi prius de infirmitate convincantur, & ad gratiam ſuam ſuppliciter quærendam exci-

excitentur. Nihil huc magis facit, quàm quod divinâ providentiâ ita diſpenſante,

Per quod quis peccat, per idem punitur & idem,

quod qui ad Dei vias attendunt, nullibi clariùs, quàm in ipſorum piorum Deóque cariſſimorum fatis deprehendent, in quibus ne minimos nævos impune tolerare conſuevit.

Tale quid Jacobo quoque eveniſſe, ex ejus fatis ſatis evidens eſt. Vix aſtu fratrem Eſavum circumvenerat, cùm ejus minis perterritus, patrium ſolum vertere, & in Meſopotamiam fugere cogeretur, ipſáque mater, cujus hortatu illum circumveniſſet, jam fugam hanc ſeriò ipſi conſulere adigeretur. Geneſ. XXVII. 41—45. At nondum tamen vel ſic Jacobus culpam ſuam agnoviſſe, & apud Deum deprecatus eſſe videtur, ſaltem nulla ejus in totâ hiſtoriâ veſtigia occurrunt, quin contrà dein uxoribus, crebrâ ſobole & numeroſis gregibus ditatus, ad patrios lares revertebatur, occupaturus jam promiſſas benedictiones, nec de ullâ re fortè minus cogitans quam de eo, quod quondam in fratrem admiſerat. Hîc igitur Deus ipſum denuò graviſſimè admoneri atque convinci curabat, dum Eſavo ipſi armatâ manu obviam procedente, in ſummas anguſtias conjiciebatur, metuebátque ne iratus frater à ſe pœnam repoſceret, ſéque cum univerſâ familiâ trucidaret. Hæ igitur circumſtantiæ, uti ipſi neceſſariò in memoriam revocare debebant, quæ quondam erga fratrem patraverat, quibúsque is ad iram provocatus erat, ita eum ultro excitabant, ut ad Deum ſupplex confugeret, & cum infirmitatis agnitione atque confeſſione, cujus inprimis lacrymæ teſtes erant, gratiam atque miſericordiam Domini expeteret, nec deſiſteret antequam eandem impetraret. Hujus rei ſignum dabat ipſe Deus non ſolùm mutatione nominis, ſed & novâ benedictionum confirmatione, imò Eſavi mitigatione, qui placatus jam occurrens eum blandè alloquebatur, & in pace cum ſuis ad patrios lares reverti ſinebat.

IX.

I X.

Aut fallor admodum, aut novum hæc omnia pondus ex ipſo luctæ exitu accipiunt. Qui non tantùm lætus exoptatúsque, ut modo dictum, Jacobo fuit, ſed & ſimul incommodus atque moleſtus. Senſit enim inde mox luxatum femur, & in inceſſu claudicavit. Miror interpretes hac in re conjecturis tantopere non ſolùm indulgere, dum vel incommodum hoc citiùs tardiúsve ceſſaſſe, vel ab ipſo angelo miraculosè ſanatum eſſe, præeuntibus quibusdam Rabbinorum, exiſtimant, ſed & de ratione & ſcopo ejusdem, vel planè ſilent, vel parum ad rem facientia adferunt. Ad prius enim quod attinet, rectè jam monuit eruditiſſimus PATRICIUS, *utramque conjecturam nullo certo fundamento niti.* Et ſanè vix cogitari poteſt, cur Scriptor Sacer, poſtquam rem ipſam adnotare operæ pretium duxerat, non etiam de ſublatione ejusdem lectorem certum reddere voluerit. Dein quæ ratio fuiſſet, ut poſteri Jacobi per tot ſecula in hunc diem uſque, nervum illum non comedendo, incommodi, mox, aut ſaltem aliquo tempore poſt ſublati, conſtantem memoriam conſervare, aut ſaltem non etiam ſanationis μνημόσυνον aliquod recolere voluerint. Tandem ſi Jacobus malo hoc liberatus poſtmodum fuiſſet, id vel ordinarià viâ, ipſius naturæ beneficio, aut remediis ad id adhibitis, vel per miraculum factum eſſe deberet. Prius neſcio an facilè admitti queat, cum vix tanta nervi in femore luxatio, unde graviſſima claudicatio, quam phraſis צלע על ירכו innuit, ſequitur, eâ ratione tolli poſſe videatur, miracula autem ſine ſufficienti fundamento minimè ſtatui debeant, quod ultimum etiam eorum ſententiæ repugnat, qui angelo hoc miraculum tribuunt. De ratione & ſcopo optimè ex ipſius rei naturâ atque indole judicium ferri poteſt. Nemo ambiget, claudicationem, maximè graviorem, & quidem ſi ea per omnem vitam duret, non leve incommodum, præcipuè ingraveſcente ætate eſſe, imò gravius illis adhuc temporibus fuiſſe, ubi & ipſi Patriarchæ in re pecuariâ atque agriculturâ occupati erant, & plerum-

rumque pedites de loco in locum proficiſcebantur. Non igitur incommodum hoc gratiæ & benignitatis divinæ ſignum eſſe poterat, ſed ſi quid video, ſimul cum gratiæ conceſſione, & per novi nominis impoſitionem confirmatione, hoc priſtinæ imbecillitatis documentum in ipſo ejus corpore exſtare voluit, quod vero tantò magis ſimile eſt, quò magis id in eo corporis membro, pede ſcilicet, exſtitit, quo mediante, ſupplantatio alterius fieri ſolet.

X.

Eadem quam hactenus adſtruximus, ſententia, *quartò*, confirmatur ex nexu & ſcopo orationis Hoseæ. Hic enim minimè erat, robur fortitudinémque Jacobi in fidei luctâ demonſtratam, Judæis in exemplum & ad imitationem proponere, ad illam enim imitandam planè inepti erant, cùm graviſſimis adhuc peccatis dediti eſſent, ſed potiùs ad ſinceram reſipiſcentiam agendam, illíque dein fiduciam in Deum ſuperſtruendam, excitare. Patet id ex ipſâ adhortatione, quæ ſtatim com. 7. ſubjungitur: ואתה באלהיך תשוב חסד ומשפט שמור וקוה אל־אלהיך תמיד׃ *Et tu ad Deum tuum revertere, benignitatem & judicium cuſtodi, & præſtolare Dei tui jugiter.* Quid quæſo eò faciebat exemplum laudabile roboris fidei fortitudinísque Jacobi? Sanè ut poſteriora reſpondeant prioribus, háecque argumentum ad officium illud urgendum contineant, cui adhortatio illa cum ratione ſuperſtrui queat, neceſſariò & converſionis ad Deum illíque ſuperſtructæ fiduciæ exemplum in Jacobo inveniri debet, quod poſteris ad imitandum proponi commendaríque poſſet. Quod inprimis ex formulâ connectendi ואתה patet, quæ illationem ex præcedentibus, per applicationem illius de quo antea ſermo fuerat, ad ſubjectum, ad quod oratio dirigitur, continet, ac ſi diceretur. *Et tu igitur*, vel *Tu ergo quoque* ad Deum tuum revertere. Quam elumbis autem hæc foret ratiocinatio, ſi eâ ratione, uti eam plerique alii nectunt, inſtituatur? *Cùm itaque res ſe ita habeat, ut Deus viſitet & reddat Jaccbo ſecundùm vias & opera ejus, ſecundùm vias quidem & opera bcna fidei gra-*

tiam & omnis generis bona, ut exemplum Patriarchæ Jacobi abundè teſtatur (ut verbis SCHMIDII utar) *tu quoque revertere ad Deum tuum, pœnitentiam age* &c. cùm hac ratione longè plus foret in concluſione, quàm in præmiſſis, ubi nullo verbo *converſionis* & *pœnitentiæ* mentio facta erat. Videtur id quâ erat perſpicaciâ, eruditiſſimus SCHMIDIUS agnoviſſe, unde inferit quidem, *ſecundùm autem vias & opera mala, graviſſimas pœnas* (ſc. reddet) quod & utrumque ex com. 6. urget, *quòd Jehova ſit Deus exercituum, unus ſolus Deus ſuper omnia, ſicut nomen ipſius probat, qui, ſi litiganti tecum obediens fueris, propitius erit; ſin, te ſine dubio puniet, ut te nemo eripere queat.* Verùm, cùm ne minimum hujus rei veſtigium in verbis Hoſeæ inveniatur, ultrò patet, illa gratis aſſumi, manifeſtúmque hoc facere, quàm parum ſecundùm receptas hypotheſes ſanus, omnibúsque circumſtantiis, & inprimis nexui conveniens ſenſus verbis dari queat, ut adeò ad iſtiusmodi violenta remedia etiam eruditiſſimi interpretes, quíque multis aliis acutiùs cernebant, confugiendum eſſe judicaverint. Ex noſtrâ autem hypotheſi omnia contrà planiſſima ſunt, & liquidò fluunt. Sic enim Patriarcha Jacobus poſteris ſuis utriusque officii, quod Dei nomine commendaturus propheta erat, luculentiſſimum exemplum proponetur, ac ſi diceretur, *Jacobus* (Pater tuus) *in utero ſupplantavit fratrem ſuum* (in ſignum prævaricationis illius, cujus ſe dein inter tot graviores lapſus reum fecit: at cùm Deus id ab ipſo exigeret) *in labore ſuo* (moleſtiâ quæ ei idcircò obvenit) *principis inſtar ſe geſſit* (in luctâ illâ) *cum Deo. Principis, inquam, inſtar ſe geſſit cum angelo & prævaluit,* (dum nempe culpam lacrymis agnoſcens, atque eluens) *flevit gratiámque ſupplex* (à judice ſuo piâ atque immotâ fiduciâ, quâ eum dimittere nolebat, niſi impetratâ prius & denuò confirmatâ benedictione) *expetivit. Tu igitur* (ejus exemplum imitare) *ad Deum tuum quoque revertere, benignitatem & judicium cuſtodi, & præſtolare Dei tui jugiter.*

X I.

X I.

Imò, ſi quid video, hæc obſervatio fortè integro vaticinio, unde hæc verba deſumta ſunt, lucem accendere poterit. Multa ſanè ſunt, quæ me eò quaſi manu ducunt. Agit propheta propriè cum *Ephraimo*. Huic quoque licèt natu minori, ut notum, divinâ providentiâ *primogenituræ jura* inter Joſephi filios, & quidem per ipſum Patriarcham Jacobum, delata erant. Gen. XLVIII. 17. ſeqq. Huic quoque exprobratur *mendacium* & *fraus* apud Prophetam noſtrum com. 1. *comparatio actionum* & *fatorum* ejus cum actionibus & fatis Jacobi, inprimis in *fugâ* Syriam verſus, & quæ ei ibidem evenerunt, inſtituitur comm. 13. ſeqq. neque abſque ratione com. 5. *Bethelis* mentio injicitur, ubi Jacobus Dominum, cum quo luctatus erat, invenit, hic enim idem locus erat, quem Ephraim fœdiſſimâ idololatriâ cultúque vitulorum inquinaverat, Hoſ. X. 15. coll. XIII. 2. Imò hinc ſine dubio optima ratio ſolutionis, inſignis ceteroquin difficultatis petitur, cur Propheta in redargutione & admonitione poſterorum Jacobi, ipſius Jacobi & infirmitatis ejus mentionem injiciat, com. 4. Scilicet uti ab actionibus & fatis majorum ſæpe poſterorum fata magnâ ex parte dependent, ita quando poſteri majorum peccata imitantur, hæc conſiderantur, ut quæ ad ipſos ſimul poſteros ſpectant, & in iisdem adhuc puniuntur, non abſimili ratione, ac laudabiles contrà actiones & virtutes majorum, quando illas quoque ſeri nepotes exprimere allaborant, reputantur, ut quæ conceſſas illis aut promiſſas benedictiones, his quoque attrahant. Verùm in his nobis cùm maximè neque libet neque licet eſſe prolixioribus.

Digitized by Google

DISSERTATIO XVIII.

DE

SOLE OCCIDENTE IN MERIDIE.

AD AMOS. VIII. com. 9.

I.

Inter graviſſima mala & ſeveriſſima judicia, quæ Deus quondam populo regnóque Iſraëlis per Amosum denunciavit, non ultimum locum obtinet, quod legitur cap. VIII. com. 9. והיה ביום ההוא נאם אדני יהוה והבאתי השמש בצהרים והחשכתי לארץ ביום אור: *Et erit in die illo, dictum Domini Jehovæ, & occidere faciam ſolem meridie, & tenebras inducam terræ in die lucis.*

II.

Omnes quotquot ſunt Interpretes, in eo conveniunt, quòd, cùm propriè dictus ſolis occaſus, quo ingens hoc mundi lumen in ipſo meridie, cùm medium cœli occupat, ſe ſubitò ſub horizontem condat, neque ſecundùm leges naturæ accidere queat, neque, quantum omnium ſeculorum & annalium memoriâ conſtat, unquam etiam per miraculum acciderit, locutio hæc neceſſariò impropriè accipi debeat.

III.

Plerique autem in eo conſentiunt, quod ſubitaneam luctuoſiſſimámque rerum cataſtrophen verbis his portendi autument, quâ feliciſſimus populi regníque ſtatus celeriter abrumpendus, & cum triſtiſſimo, maximéque calamitoſo commutandus ſit. Quæ cogitationes non planè abs re ſunt, nec à Pro-

phetæ

Digitized by Google

phetæ ſcopo abludunt, aut uſui phraſium, tam apud ſacros, quàm profanos ſcriptores, minùs conveniunt.

I V.

Cùm enim non in ſe tantùm, *Lux ſuavis ſit, & oculis bonum, ſolem intueri*, Eccleſ. XI. 7. ſed & ſol inſuper omnia lumine ſuo colluſtret, exhilaret, foveat atque fœcundet, hinc apud ſacros æquè ac profanos ſcriptores, ut emblema felicitatis lætiſſimíque rerum ſtatûs conſiderari ſolet, quo ſenſu Drusius aliíque vocem accipiunt Job. XXX. 28. Notius emblema eſt, quàm ut illuſtratione indigeat, inprimis cùm quæ ſequuntur, eum in finem quoque ſufficere queant.

V.

Hinc itaque *ſubtractio luminis ſolaris*, ſive per eclipſin, ſive per intervenientes alias cauſas, ſive denique per occaſum ejus, ut imago magnarum calamitatum conſiderari ſolet. Non dicam nunc, ipſam ordinariam eclipſin Solis apud plerosque populos, quamdiu ejus cauſam ignorarent, pro ſiniſtro omine, magnarúmque calamitatum nuncio, habitam eſſe. Hoc enim præjudicium, atque inde ortus metus, mox, ex quo vera ejus rei cauſa detecta, oſtenſúmque eſt, eam ex legibus motûs cœleſtium corporum neceſſariò certis temporibus evenire debere, atque hinc & antea determinari poſſe, ultrò evanuit. Quale quid jam Athenis quondam Periclis induſtriâ eveniſſe Valerius Maximus Lib. VIII. cap. XI. his verbis narrat: *Cùm obſcurato repentè ſole inuſitatis perfuſæ tenebris Athenæ ſolicitudine agerentur, interitum ſibi cœleſti denuntiatione portendi credentes, Pericles proceſſit in medium, & quæ à præceptore ſuo Anaxagora pertinentia ad ſolis & lunæ curſum acceperat, diſſeruit, nec ulteriùs trepidare cives ſuos vano metu paſſus eſt.* Non diſputabo quoque nunc, an extraordinaria ſolis obſcuratio, ad id à Deo aliquando ordinata fuerit, ut aliquid ſiniſtri portenderet, ſed tantùm obſervabo, id utique apud plerosque populos creditum eſſe, quò faciunt illa Virgilii *Georg.* Lib. I. 463.

Sol tibi ſigna dabit. Solem quis dicere falſum
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudémque & operta tumeſcere bella.

Atque hinc ſæpe defectus luminis ſolaris, quacunque etiam de cauſâ oriatur, ut ſignum & imago maximi luctûs proponi ſolet. De Phoebo ipſo ob inſtans Phaëtontis infortunium OVID. *Metam.* II. vſ. 329. canit

Nam Pater obductos, luctu miſerabilis ægro,
Conſiderat vultus, &, ſi modo credimus, unum
Iſſe diem ſine ſole ferunt.

In ſacris inprimis hoc emblemate nihil eſt frequentius. Sic Ezech. XXXII. 7, 8. Deus his verbis dira quævis denunciat: *& obtegam cælos & nigreſcere faciam ſtellas ejus, Solem tegam nube, & luna non faciet ſplendere lucem ſuam. Omnia luminaria cæli ſuper te obſcurabo, & dabo tenebras ſuper terram tuam, dictum Domini Jebovæ.*

V I.

Adhuc major emphaſis eſt, ſi Sol dicatur *occidere*. Id enim vox בוא *venire, intrare*, quando de ſole adhibetur, denotat, v. Gen. XV. 12, 17. Lev. XXII. 7. Eccleſ. I. 5. unde מבוא שמש *ingreſſus ſolis* pro *occaſu* ejus ſumitur, vid. Pſ. L. 1. CIV. 19. quemadmodum contra יצא *egredi* & מוצא *egreſſus* de *ortu ſolis* uſurpatur Gen. XIX. 23. Pſ. XIX. 6, 7. locutionibus non ſolùm ab opinione vulgi, ſed & à motu apparente ſeu optico deſumptis, ſecundùm quem motus, qui propriè à terrâ circa axin peragitur, ſoli ipſi tribuitur, ut docet *Clar.* WIDEBURGIUS in *Matheſ. Bibl.* ſpec. III. Quæſt. IV. Uti autem obſcuratio ſolis de gravioribus calamitatibus occurrit, ita graviſſimæ per occaſum, quo penitus terris ſubducitur, innui ſolent. Huc ſpectat quòd Deus Mich. III. 6. interminatur: *Idcircò nox vobis erit à viſione & tenebræ oborientur à divinatione, & occidet Sol ſuper Prophetas, & dies ſuper eos obtenebreſcet.* Eodem facit frequentiſſimum tam Græcis Latinisque,

Digitized by Google

que, quàm Orientalibus ſcriptoribus, *noctis*, quæ ſole occaſo oritur, emblema, quo & in ſacris, præcipuè in libro Jobi, & apud Arabes nihil eſt frequentius: nam العرب تشبه الامر المهول والخطب الشديد بالليل المظلم *Arabes omnia horrenda, gravia, adverſa, comparant nocti tenebricoſæ.* Imò tempus maximè calamitoſum ليلة ليلاء vel ليل لاليل *noctem tenebroſam* aut *maximè tenebroſam*, qualem Ovid. *Met.* XI. 550. *duplicatam noctis imaginem* diceret, aut Seneca in *Thyeſte* vſ. 994. *nox ſe in noctem abdidit*, vel ut Gronov. legit, *addidit*, appellant, ut docet Princeps in his litteris Vir, Alb. Schultens ad Job. III. 9. & XXXV. 10. ubi hanc in rem plura.

V I I.

Imò prægnantior adhuc ſenſus exſurgit, quando additur, *ſolem occidere faciam* IN MERIDIE. Vocis צהר & צהרים quæ Arabibus per ظ seu ض ſcribitur, natales & genuinam ſignificationem ex linguâ arabicâ eruit modo laudatus *Clariſſ.* Schultens in *clavi dialect.* p. 287. & in *Comment. in Job.* cap. XXIV. com. 11. oſtendítque propriè *dorſum*, *culmen rei*, denotare. Neque abludunt, quod viri optimi obſervatis addi poteſt, Arabum ضاهر *Vertex montis*, & ضورة *faſtigium montis*, quæ hebræo צהר exactiſſimè conveniunt. Hinc igitur vocabulo hoc inſignitur illud diei tempus, quo *Sol in dorſo* ac *culmine cœli verſatur*, ſeu *ipſum quaſi meridiei punctum aut ἀκμὴ*, *præſertim in æſtate*, (quando nempe Sol altiſſimus eſt, & ſummum cœli attigit) ut idem ex Camuso ibidem doctè inculcat. Hinc metaphoricus ejuſdem vocis uſus manavit, quo non ſolùm media ætas, ubi quis ad ſummum culmen vigoris pervenit, meridiei comparatur, ſed & quemadmodum *dies* ſolet de *tempore læto* & *felici* uſurpari, ita *meridies* eleganter ipſum *culmen ſummúmque apicem felicitatis* innuit. vid. Job. XI. 17. Pſalm. XXXVII. 6. Jeſ. LVIII. 10. Unde jam *obtenebratio*, & adhuc magis *occaſus ſolis in meridie*, maximam illam rerum cataſtrophen indicat, quâ illæ in mediâ, imò ſummâ felicitate, in graviſſi-

tiſſimum luctum, ſpiſſámque noctem ærumnarum convertantur; qualem rerum ſuarum converſionem ex morte amici natam venuſtiſſimus Poëta Arabs Diw. Hud. graphicè deſcribit واظلم يومي بعد ما كنت مظهرا & (mors ejus) *obſcuravit diem meum, quum jam meridiem tangerem.* Atque hinc talem ſolis in meridie obſcurationem diris ominibus, ad quæ etiam fortiſſimi expaveſcant, adnumerat Apollon. Rhodius Lib. IV. 1286.

> Ἠὲ καὶ ἠέλιος μέσῳ ἤματι νύκτ' ἐπάγῃσιν
> Οὐρανόθεν.
>
> *Aut* MEDIO *etiam* DIE *Sol noctem induxerit*
> *Cælitùs.*

Et Lucanus eandem inter triſtiſſima belli civilis prodigia recenſet, Lib. I. verſ. 540.

> *Ipſe caput* MEDIUS *Titan cùm ferret Olympo,*
> *Condidit ardentes atrâ caligine currus,*
> *Involvítque orbem tenebris, gentéſque coëgit*
> *Deſperare diem.*

Quemadmodum & triſtiora ſpectacula à Poëtis proponi ſolent, tanquam ad quorum adſpectum Sol in ipſo meridie meritò tenebras induceret. Sic apud Senecam *Tragœdum* in *Thyeſte.* 776. nuncius ad horrendas Atrei epulas exclamat.

> *O Phoebe patiens fugeris retrò licèt,*
> *Medióque ruptum merſeris coelo diem,*
> *Sero occidiſti, lancinat gnatos pater,*
> *Artúſque mandit ore funeſto ſuos.*

& mox 789. ſeqq. Chorus.

> *Quo terrarum ſuperúmque parens,*
> *Cujus ad ortus noctis opacæ*
> *Decus omne fugit, quo vertis iter,*
> MEDIÓQUE DIEM PERDIS OLYMPO?

Ex-

Exaggeratur id ulterius, dum additur, *& tenebras inducam terræ in die lucis.* Non immorabimur hîc communiori & maximè obvio tenebrarum lucíſque emblemati, quo nihil apud omnis generis ſcriptores ad *infortunii* oppoſitaéque *felicitatis* ideam excitandam eſt frequentius, inprimis, cùm quæ ad ejus illuſtrationem facere poſſent, ex jam dictis ultrò pateſcant. Verùm id tantùm in tranſitu obſervandum eſt, יום אור *diem lucis*, partim ſignificare poſſe, *diem valdè lucidum*, quo talis obſcuratio idcircò omnium minimè metuenda videtur, partim tempus, quo adhuc multum diei ſupereſt, neque adeò ex naturalibus cauſis nox adhuc ingruere poteſt. Apud Jeremiam poſterius hoc adhuc clariùs ſignificatur per בעוד יום *dum adhuc dies eſt*, ut rectè phraſin hanc explicat *Cel.* VITRINGA ad Jeſ. XXI. 13. Unde hæc ad modo dictorum ulteriorem exaggerationem inſigniter faciunt, ut pateat, non tantùm hanc mutationem rebus maximè florentibus eſſe ſuperventuram, ſed & eo tempore, ubi illa ex ordinariis cauſis, & ſecundùm externas circumſtantias minimè exſpectanda videbatur. Non abſimili ratione Chorus loco modo adducto SENECÆ vſ. 793. ſeqq. rem exaggerat, pergens:

Nondum ſeræ nuncius horæ
Nocturna vocat lumina veſper:
Nondum Heſperiæ flexura rotæ
Jubet emeritos ſolvere currus:
Nondum in noctem vergente die
Tertia miſit buccina ſignum: cet.

VIII.

Non mirum itaque, Deum ſibi hujus inexſpectati eventûs cauſam tribuere. (EGO) *occidere faciam — — & tenebras inducam terræ* cet. Certè uti omnes rerum mundanarum mutationes atque eventus à Dei ſolius providentiâ occultóque regimine pendent, ita quoque boni malíque phyſici ſapiens ſanctáque diſpenſatio. Ego (ſum) *Jehova, & nemo amplius: Formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Jehova facio hæc omnia*, ait ipſe Jeſ. cap. XLV. comm. 6. &

7. Quod præcipuè in fatis integrorum populorum maximíſque regnorum aut rerumpublicarum converſionibus animadvertendum, cùm ſine hac rerum & eventuum omnium à Deo dependentiâ, nec Dei independentia, nec ſapiens certúmque circa res mundanas conſilium, prudénſque regimen conſtare poſſet. Unde etiam Deo hæc in ſacris, & inprimis apud Danielem cap. II. IV. & paſſim, ſæpiſſimè tribui ſolent.

I X.

Verùm utut hæc rectè ſatis dici queant, neque à mente Dei penitus aliena cenſenda ſint, quin potiùs ſupponi jure poſſint & debeant, generaliora tamen ſunt, cúmque in antecedentibus æquè ac conſequentibus cumulentur locutiones maximam rerum converſionem non ſolùm, ſed & varia inprimis calamitatum genera depingentes, vix ſatisfacere videmur ſapientiæ loquentis, niſi & in his ſigillatius quid quæramus, in quo ingens populi infortunium & triſtiſſimæ mutationis cauſa maximè quærenda erat, quod & conſuetus prophetarum ſtilus, horúmque emblematum apud eoſdem uſus flagitat. Scilicet *Sol*, *luna* & reliqua cœli *ſidera* apud ſcriptores ſacros, præcipuè in locutionibus aut repræſentationibus figuratis, hominibus illuſtribus, ſupra alios eminentibus, & inſignibus prærogativis aut dignitate conſpicuis, depingendis inſervire ſolent. Ita ſanè ſomnium Joſephi, in quo *ſolem* & *lunam* & *undecim ſidera* viderat coram ſe proſterni, Jacobus diſertè de ſe & uxore ſuâ reliquíſque undecim filiis, numeroſiſſimarum mox tribuum principibus, interpretabatur, dicens, *quale hoc eſt ſomnium, quod ſomniaſti, num veniendo veniemus, Ego & Mater tua, & Fratres tui, ut coram te in terram nos proſternamus?* Gen. XXXVII. 9, 10, 11. Apud Arabes idem utramque paginam facere monet *Celeb.* SCHULTENS ad Job. XXXI. 26. unum inſtar omnium adducens locum ex Hamaſa.

بيض الوجوه ان تسبضي بهم اضاوا
اهم شمس النهار ونور ما يغبيه العماء

Albo vultu nitentes, quos ſi ſplendorem roges, ſplendeant
Ipſi Sol ſunt diei; & lumen nullâ nube obſcuratum.

In

In verbo prophetico nihil eſt frequentius, quàm ſub emblemate *Solis* & *Lunæ* repræſentare, qui integris populis aut regionibus in ſtatu civili & eccleſiaſtico præſunt. Tali ſignificatione verba neceſſariò accipi debent, quando Jeſ. XXIV. 23. prædicitur. *Et pudore ſuffundetur luna & pudefiet Sol, cùm regnum capeſſiverit Jehova exercituum in monte Zion & Hieroſolymâ.* Neque enim, ſi de propriè dicto ſole & lunâ accipiantur, ut quisque videt, ullum idoneum ſenſum fundunt, at contrà, plana non ſolùm, ſed & emphatica maximè ſunt, ſi de emblematico quodam ſole & lunâ, ſummâ dignitate, tam in republicâ quàm Eccleſiâ judaicâ, aut ſigillatim certis perſonis illâ conſpicuis accipiantur, quæ tempore N. T. quo Jehova ſingulari ratione promiſſum illud regnum erecturus erat, poteſtate quam in Eccleſiâ V. T. obtinuerant, exuendæ, imò & peculiaribus judiciis in pudorem dandæ eſſent. Quod in aliis paſſim vaticiniis, *obſcurationis Solis*, aut *Solis nigri facti inſtar ſacci cilicii*, & *Lunæ ſplendorem non amplius edentis*, aut *rubræ factæ inſtar ſanguinis*, vel *in ſanguinem convertendæ*, phraſibus, non ſolùm apud Prophetas V. T. ſed & ſcriptores Novi, Evangeliſtas, & maximè in Apocalypſi venire ſolet, ut in ſeqq. videbimus.

X.

Avidè hoc arripuerunt præcipuè Romanæ Eccleſiæ partibus addicti, ut idem illud emblema ad Imperatoriam Pantificiámque dignitatem depingendam transferrent. Ipſe CAROLUS V. literis ad CLEMENTEM VII. datis, ſcribit: *Et cùm à Deo ſimus ambo conſtituti velut* LUMINARIA DUO MAGNA, *demus operam, ut per nos illuſtretur orbis.* Ubi tamen Pontificum & aſſeclarum Romanæ aulæ faſtus ſe prodit, dum quemadmodum Pontifex ſe ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα effert, ſecundùm id, quod Paulus prædixit 2 Theſſ. I. 4. ita ipſe cum ſuis ſibi emblema *Solis*, *Imperatori* autem alterum *Lunæ* vindicat. vid. quæ hanc in rem attulerunt *Clar.* GURTLERUS in *Voc. Typic. Proph.* voc. *Sol.* & *Celeb.* VITRINGA in *Apocal.* pag. 284.

Digitized by Google

X I.

Quicquid autem hac de re ſit, ſumma certè poteſtas, quíque illam, ſive ſub *Imperatoris*, *Regis* aut *Principis* nomine ſuſtinet, meritò ſoli comparatur. Intrinſecus enim ille ſolis ſplendor, quo ſe tanto fulgore conſpiciendum præbet, cum altiſſimo, quo ſuper terram elevatus eſt, ſitu, luculenter majeſtatem illam Imperantium omnémque gloriam, cum eminentiâ, quâ ſuper alios omnes divinâ providentiâ atque ordine elati ſunt *Reges & omnes* ἐν ὑπεροχῇ ὄντες, 1 Tim. II. 2. luculenter adumbrat. Commoda quæ ſol terræ & mortalibus præbet, omnia quò ejus radii pertingunt, illuſtrando, fovendo, vegetando, cet. egregiè nobis ante oculos ponunt omnia illa commoda, quæ imperantes poteſtati ſuæ ſubjectis præſtant, aut ſaltem, ſi concreditis ſibi cœlitùs prærogativis ritè uti velint, præſtare debent. Quemadmodum inprimis unus in vortice noſtro Sol eſt, ita ejus emblema maximè in illos quadrat, qui ſoli imperant, nec imperii conſortem facilè patiuntur, quo ſpectat illud HOMERI *Iliad.* B. 204.

'Ουκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω,
'Εις βασιλεύς·

Non bonum (eſt) *multorum principatus, unus princeps eſto,*
Unus rex.

Quale quid diſcipulo ſuo Alexândro inculcaverat Ariſtoteles, unde Dario ejus amicitiam petenti, magnámque regni partem offerenti, ſuperbum illud reſponſum dabat: *Si ſecundus, non par mihi vellet haberi, facerem forſitan quæ petit. Ceterùm nec mundus duobus ſolibus poteſt regi, nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poteſt habere.* Quò MAXIMILIANUS HABBEQUIUS Ode elegantiſſimâ, SARBIEVII *Lyricis* ſubjunctâ, reſpicit, quando poſtquam in initio dixiſſet,

Portenta vatum! non patitur duos
Soles Olympus, ſtellifero licet
Atlante fultus,

rém-

Digitized by Google

rémque mox pluribus exemplis confirmaſſet, tandem ſubjungit:

Unus ſubactâ Rex Aſiâ potens,
Dario habenas divitis imperi
Secare, Pellæus recuſat:
Non animo ſatis orbis unus.

Denique cùm Solis effectus non ſolùm jucundi & ſalubres, ſed & aliquando graves atque noxii agris aut mortalibus ſint, quos radiis ſuis torret, qualem Latini *ſolem gravem* appellant,

Cum ſol gravis ureret arva.

Ovid. *Met.* VI. verſ. 339. nonnunquam etiam Imperantes populis & maximè Eccleſiæ moleſti, in hac relatione ſub ſolis emblemate repræſentari ſolent. Breviter & nervoſè hanc in rem ſcribit *Cel.* Vitringa *Pater*, Obſerv. Lib. V. cap. XVII. §. XIII. *Sol æſtu ſuo hominibus moleſtus, ſymbolum eſt, tum Dei per juſtitiam ſuam vindicantem, conſcientiam malam excitantis, & per ſigna iræ ſuæ hominem exagitantis & vexantis, tum Regum & Imperatorum, magnâ quidem ſplendentium majeſtate, ſed interea alios ſibi vicinos, exhaurientium, eósque potentiâ & majeſtate ſuâ affligentium & opprimentium. Ejusmodi ſoles non deſunt veris Chriſtianis in hoc mundo oberrantibus. Habuit Eccleſia iſtiusmodi Solem in Imperatoribus gentilibus; & nomine Chriſtianis, quotquot ſceptra ſua vibrant ad imperium Romanorum Pontificum.* Hoc ſenſu Eccleſia primorum temporum N. T. incommoda deſcribens, quibus ab Imperatoribus ethnicis adfecta erat, ait: *Ne intueamini me quod nigra ſum*, Sol me adussit. Cant. I. 6. Omnia igitur hæc ſi in unam ſummam colligamus, nihil convenientius erit, quàm ut hîc loci quoque ſub illo emblemate intelligamus regem quendam, cujus imperium populo ſalutare admodum erat, aut ſaltem eſſe poterat. Poſſem & huic emblematis uſui facili negotio, tam ex hiſtoriâ antiquâ quàm recentiori, lucem porrò accendere, cùm non ſolùm apud Perſas quondam Sol illum penes quem imperii

Digitized by Google

ſumma erat, denotaret, ſed & recentiori ætate LUDOVICUS XIV. aliíque Reges & Principes, ſibi in eodem emblemate admodum placuerint, aut poteſtati eorum ſubjecti alluſionibus inde petitis, multis modis blandiri illis quæſiverint. vid. PICINELL. *Mund. Symbol.* Lib. I. c. V. & *Celeb.* KÖHLERUS paſſim in *Oblectam. hiſtor. nummar.* Part. IX. p. 378. ſeqq. & Part. X. p. 25. ſeqq. ſed operæ pretium non eſt illis plus temporis chartaéque impendere.

X I I.

Quòd ſi rationes hactenus in propriori ſubjecti determinatione non malè ſubductæ ſint, in proclivi jam erit, emblematici hujus ſolis occaſum quoque diſtinctiùs determinare. Scilicet quia Sol quando occidit, terris viſuíque mortalium, terræ ſuperficiem incolentium, eripitur, hinc occaſus ejus, mortis ſeu interitûs, non inconveniens ſymbolum eſſe ſolet. CATULLUS hoc ſenſu *lucem alicui occidere* dicit, ídque Solis occaſui comparat. Carm. V.

Soles occidere & redire poſſunt,
Nobis cùm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Hinc ipſa vox *occidere* latinis pro *mori* uſurpatur, quod notius eſt, quàm ut probatione indigeat. Non abſimili ratione vocem ad ſenectutem pedetentim emorientem, & ad finem ſuum properantem transfert OVIDIUS *Metam.* XV. verſ. 226.

— — — *emenſis mediis quoque temporis annis*
Labitur OCCIDUÆ *per iter declive* SENECTÆ.

Imò quod propius huc facit, uti *Sol oriens* emblema eſt Principis juvenis, regimini deſtinati, ídque brevi auſpicaturi, ita contrà *Sol occidens*, Principis ferè emeriti, & ob ætatem aliáſve circumſtantias dignitate mox hac deceſſuri. Huc facit illud POMPEJI reſponſum, cùm SYLLA deſideratum triumphum

ipſi

Digitized by Google

ipſi primùm denegaret, illis qui apud ipſum erant, datum: *ἀγνοεῖν τὸν Σύλλαν, ὅτι καὶ τὸν Ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες ἢ δύνοντα προσκυνοῦσιν· ignorare Syllam, quòd plures Solem orientem quàm occidentem adorent*, ut ex PLUTARCHO docet ERASM. in *Chiliad.* & DE ROA *Adagial.* S. Vet. Teſt. Part. II. p. 386. Neque illud emblema recentioribus Scriptoribus, & argutarum inſcriptionum inventoribus, inuſitatum eſt. Exemplo eſſe poterit uncialis in memoriam Sereniſſimi Electoris Hanover. & Epiſcopi Oſnabrugenſis ERNESTI AUGUSTI anno 1698. à capitulo cuſus, in quo ædes cathedralis conſpicitur, & pone eam Sol poſt montem Gerthrudis, urbi imminentem, occidens, ſuccedentibus in ſummitate XXV. diverſæ magnitudinis ſtellis, totidem Canonicos depingentibus, quibus mortuo Epiſcopo, aut ſede, ut ajunt, vacante, rerum adminiſtratio competit, additâ hac epigraphe, OCCIDUO PONENTUR SIDERA PHOEBO. Eodem facit emblema *noctis* de *morte* adhibitum, ut apud VIRGIL. *Æneid.* Lib. X. verſ. 746.

In æternam clauduntur lumina noctem.

XIII.

Maximè autem huc ſpectat, quòd obſcuratio extraordinaria Solis pro prodigioſo ſigno inſtantis interitûs magnorum Principum habita eſt. Ubi diſputare nolo, an Deus talia phœnomena verè ad iſtiusmodi caſus antea ſignificandos nonnunquam ordinaverit, nécne? De memorabili illo Solis defectu, qui planè contra conſuetas naturæ leges, Chriſto in cruce exſpirante, contigit, nemo ſanè dubitat, illo ſingulare teſtimonium orbi perhibitum eſſe, quòd Sol juſtitiæ vitaéque Princeps in mortis noctem ad tempus ſeſe abditurus eſſet. Neque magna difficultas foret, dummodo de rei geſtæ veritate ſatis certò conſtaret, ſi quis ſtatueret, Deum nonnunquam per iſtiusmodi extraordinaria ſigna etiam de inſtante magnorum Principum clade indéque dependentibus ingentibus regnorum aut regionum mutationibus, aut everſionibus, orbem admonere voluiſſe: inprimis illis temporibus, ubi Deus ſolebat futura variis modis antea

tea indicare, aut in umbris, figuris, aliíſve repræſentationibus depingere, ut in *Nebucadnezare*, *Belſazare* & aliis patet. Dan. II. III. & V. Maximè eò referri poſſet, quòd Deus ſæpiſſimè talia quæ in emblemata magnarum converſionum ordinaverat, prius ſecundùm litteram actu evenire curavit, ut eò certiùs de ipſarum rerum, his imaginibus depictarum, veritate conſtaret. Huc facit ingens locuſtarum plaga, cladéſque igne magnam partem abſumente illata, Amoſ. VII. 2, 4. quibus Deus geminam graviſſimam afflictionem regni Iſraëlitici per PHULEM & TIGLAT PILESERЕМ ſignificabat, & ſimilia paſſim apud Prophetas. Nihil itaque abſonum in eo eſſet, ſi quis cogitaret, Deum magnam ſoli obſcurationem, quâ illuſtrium Principum atque regnorum interitum depingere volebat, etiam ad prædictionis majorem confirmationem, aliquando κατὰ τὸ ῥητὸν contingere curaſſe Verùm uti tamen hæc ultrà τὸ δυνατὸν, aut fortè ad ſummum ultra probabilitatem non aſſurgunt, & apodicticâ demonſtratione deſtituuntur, ita hactenus nihil quoque certi adfirmare volumus, ſed potiùs ad ulteriorem dictorum illuſtrationem obſervamus, apud omnes ferè populos extraordinaria iſtiusmodi in ſole phœnomena ita accepta eſſe. Sic inter prodigia, quæ JULII CÆSARIS obtruncationem præceſſerint, memorat VIRG. *Georgic.* Lib. I. verſ. 466.

Ipſe etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cùm caput obſcurâ nitidum ferrugine texit,
Impiáque æternam timuerunt ſæcula mortem.

Non quidem, quòd, ut SERVIUS exiſtimat, pridie Iduum Martiarum ſolis defectus acciderit, quod refutat *Illuſtris* SCALIGER, ſed quòd *ille annus longioribus ſolis defectibus & pallore pene continuo prodigioſus fuerit*, ut narrat PLINIUS H. N. Lib. II. c. XXX. unde & TIBULLUS Lib. II. Eleg. V. verſ. 75. canit.

Ipſum etiam ſolem defectum lumina vidit,
Jungere pallentes nubilus annus equos.

vid. EMMENESS. & BROEKHUS. ad VIRGIL. & TIBUL. loca adducta.

ducta. Ad priorem CERDA quoque adfert verba CAPITOLINI in GORDIANO: *Indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quòd eclipſis Solis facta eſt, ut nox* (malè in edit. EMMENESS. *mox*) *crederetur, neque ſine luminibus accenſis quicquam agi poſſet.* Quæ de eclipſi ſolis in morte ROMULI, AUGUSTI, IRENES filii, & aliorum principum ſequioris ævi, aliiſque memorabilibus circumſtantiis, à nonnullis traduntur, cui legere volupe eſt, adire poterit WOLFII *Lect. Memorab.* & MAJOLI *Dies Canicul.* Colloq. I. Nos iis, quorum inprimis non æquè certa ſemper fides eſt, hîc non immoramur, præcipuè, cùm quæ attulimus, ad ſcopum noſtrum phraſeóſque illuſtrationem ſatis eſſe queant.

X I V.

Ex dictis jam in proclivi erit colligere, quid ſibi inprimis *occaſus ſolis* IN MERIDIE velit. Scilicet uti *dies* generatim denotat tempus ad gerenda negotia aptum, ſicque in relatione ad hominem, de ejus vitâ ſæpiſſimè uſurpatur, ut docet *Celeb.* LAMPIUS in comment. & not. ad Joh. IX. 4. ita *meridies* aptè depingere poteſt illam vitæ partem, quâ homo maximè viget, rebúſque agendis par eſt, ſeu ut verbis OVIDII loco ſupra adducto loquar, *medii temporis annos.* Deinde cùm, ut com. VII. viſum, dies quoque felicitatem, & meridies ſummum felicitatis culmen, aut apicem innuat, hinc ſignificatione hac, priori, ut rei indoles rectè patitur, junctâ, *occaſus ſolis in meridie*, vel, dum adhuc altus dies eſt, depinget interitum Regis aut Principis, in ipſo ætatis vigore, aut mediâ felicitate atque gloriâ, in relatione autem ad populum vel regnum ejus, cum illo conjunctam graviſſimam atque fatalem converſionem, florente rerum ſtatu, eventuram. Imò cùm, ſi tale quid ſoli contingat, publicè is conſpiciatur, mortalibus maximè inexſpectatum eveniat, & quandam quaſi naturæ vim inferat, in omni emphaſi emblema hoc quadrabit, ſi iſtiusmodi caſus aut mutatio publicè, ſubitò, & nemine id cogitante, imò apertâ vi, ſiſtatur. Tale quid Deus ipſe inter prodigia, diem illum magnum excidii Judæorum per Romanos præceſſura, numerat,

Digitized by Google

Joël. cap. II. com. 31. SOL CONVERTETUR IN TENEBRAS ET LUNA IN SANGUINEM, *anteqûam veniat dies Jehovæ, dies ille magnus & tremendus.* conf. Act. II. 20. ubi Petrus id, ut cum effuſione ſpiritûs S. conjunctum, móxque adeò implendum adducit. Utrum autem id ſecundùm litteram prius impletum ſit, licèt non improbabile ſit, minimè tamen certò conſtat, ſed implementum in ſenſu myſtico tam manifeſtum eſt, ut de eo dubitari, nullâ ratione queat. Sanè ſol myſticus converſus eſt in tenebras, cùm HERODES AGRIPPA, veſte regiâ amictus, ſolióque inſidens, ab angelo Domini ſubitò percuſſus exſpiravit, Act. XII. 21. ſeqq. Luna verò converſa eſt in ſanguinem, cùm ANANUS Junior Pontifex, ab Idumæis & Zelotis, cum nobiliſſimis Sacri ordinis Viris, intempeſtâ nocte trucidatus, fœdiſſimóque adſpectu in mediâ urbe, in ſanguine ſuo expoſitus eſt, ut JOSEPH. de B. J. Lib. IV. Cap. VII. tradit, quæ omnia Reip. Judaicæ excidium ſecum traxerunt, & totius œconomiæ legis ἀφανισμὸν accelerârunt, ut eruditè oſtendit *Celeb.* VITRINGA Pater in Comment. in Jeſ. cap. XXIV. 23. & Apocalypſ. cap. VI. com. 12. p. 284.

X V.

Quale quid adeò Deus ſibi quoque non ſine ratione tribuit: EGO OCCIDERE FACIAM *Solem in meridie.* Uti enim ipſe ſingulis hominibus vitæ terminum ſtatuit, Job. XIV. 5. & Pſ. CXXXIX. 16. eóque elapſo dicit, *revertimini filii hominum*, Pſalm. XC. 3. ita idem in Principibus locum habet, & ſive morbis ſenióque confecti tardiùs, ſive præcipiti mortis genere, violentíſque inprimis mediis, aliorum malitiâ intereant, ipſius tamen in omnibus his caſibus providentia ſuppliciter agnoſcenda atque veneranda eſt, ipſéque eſt, qui vel mediatè vel immediatè *ſpiritum principum botrorum inſtar reſecat, qui tremendus eſt regibus terræ.* Pſalm. LXXVII. 13. conf. Dan. V. 18 — 30.

X V I.

Omnia hactenus à nobis fuſiùs deducta, ipſe eventus clariſſimè

Digitized by Google

ſimè confirmavit, quem non opus eſt ut anxiè quæramus, cùm ſe ritè attendenti ultrò offerat. Vaticinatus eſt AMOSUS ſub JEROBOAMO II. JOASI filio, rege Iſraëlis cap. I. com. 1. ipſáque ejus vaticinia præcipuè regnum Iſraëlis ſpectant, quod inprimis de noſtro hoc cap. VIII. indubium eſt ex com. 2. *venit finis populi mei* ISRAËLIS coll. com. 8. Implementum igitur non diu poſt, atque adeò vel in ipſius JEROBOAMI, vel ſaltem filii ejus ZACHARIÆ morte quæri debet. Prius fortè alicui non improbabile videri poſſet, quia cap. VII. 11. Amazia Pontifex ſcripſit, Amoſum dixiſſe: *Jeroboam gladio morietur*. Verùm minùs tamen id convenit, longéque rectiùs de ZACHARIA ejus filio cogitatur. Non enim locutio illa, *Solis occidentis in meridie*, adeò in Jeroboamum quadrat, quoniam is provectâ jam ætate, honore & gloriâ auctus, poſtquam ultra 40 annos regnum tenuiſſet, naturali morte interiit, ut verba 2 Chron. XIV. 29. וישכב ירבעם עם אבתיו: *& occubuit Jeroboam cum patribus ſuis*, innuunt. Unde & in tranſitu manifeſtum eſt, Amaziam verba Amoſi minùs rectè adduxiſſe, quod ipſorum horum verborum collatio cap. VII. com. 9. confirmat, non enim dixerat, *Jeroboam gladio morietur*, ſed potiùs ipſius Dei nomine interminatus erat, *inſurgam in domum Jeroboami gladio:* ſive jam, quod hîc non inquiro, Amazia verba hæc non ſatis rectè aſſecutus, ſive datâ operâ, ad majorem Prophetæ invidiam conciliandum, in hunc ſenſum detorſerit. Accedit quod & graviſſimæ mutationes, quas Amoſus cùm illo Solis occaſu conjungit, non immediatè mortem Jeroboami ſecutæ ſint. Omnia autem egregiè, ínque omni emphaſi, in Zachariam quadrant. Hic verè ut Sol in meridie occidit, dum vix florentiſſimùm Iſraëlis regnum, quod Pater ad priſtinum ferè decus, dilatatis imperii finibus, ſubjugatíſque hoſtibus, reduxerat, patre demortuo occupaverat, & ſex tantùm menſium ſpatio obtinuerat, cùm SALLUM in eum cum quibusdam conjurationis ſociis inſurgeret, eúmque florente ætate, ínque felicitate, publicè (quod phraſis *coram populo* innuit) interficeret, ut ſcriptor ſacer narrat 2 Reg. XV. 8. ſeqq. *Anno trigeſimo octavo Azariæ*

Digitized by Google

regis Judæ, regnavit Zacharias filius Jeroboami ſuper Iſraële in Samariá ſex menſes, Fecitque malum in oculis Jehovæ, quemadmodum fecerant Patres ejus, non receſſit à peccatis Jeroboami filii Nebath, qui errare fecit Iſraëlem. Et conjuravit contra eum Sallum fil. Jabeſch & percuſſit illum coram populo, occiditque illum, & regnavit ejus loco. Sic *die lucido*, cùm modo res maximè florerent, denſiſſimæ *tenebræ terræ obductæ*, & omnia *in* graviſſimum *luctum converſa* ſunt, *extremúmque fuit ut dies amarus*, ut Propheta ſtatim ſubjungit, *finis populi Iſraël*, ut in initio capitis com. 2. prædictum erat, non enim tantùm cum ipſo ut abnepote Jehu, atque adeò in quartâ illius progenie (ſecundùm vaticinium Dei 2 Reg. X. 30. coll. XV. 12.) regnum familiæ hujus penitùs interiit, ſed & rebus planè perturbatis, omnia inde ab illo in pejus verſa ſunt, dum Sallumum iterum poſt unius menſis regnum interficiens, Menahemus illud ad ſe rapuit, & poſtquam ipſe poſt X. annos fatis functus eſſet, filiúsque ejus Pekachja ipſi ſucceſſiſſet, hunc iterum poſt biennium Pekach obtruncavit, quo poſt viginti annos trucidato, Hoſeas regnum invaſit, ſub quo tandem à rege Aſſyriæ Salmanassare populus ex terrâ ſuâ in Aſſyriam captivus abductus, ſicque regnum Iſraëlis penitus ſublatum eſt. conf. *Celeb.* Vitringa in Apocal. Cap. VI. p. 285. & ad Jeſ. cap. IX. com. 18.

DIS-

DISSERTATIO XIX.

DE

BAPTISMO SPIRITUS ET IGNIS.

AD MATTH. III. 11. coll. LUC. III. 16.

I.

Geminum hic Matthæi locus de BAPTISMO SPIRITÛS ET IGNIS ſcrupulum Interpretibus injecit, dum nonnulli, ut fusè WOLFIUS in *Curis* docuit, de *γνησιότητι* ultimorum verborum *καὶ πυρὶ & igne* dubitârunt, imò *Cl.* MILLIUS, poſtquam in notis illa pro genuinis agnoverat, in Præfatione dein id retractans, eadem pro ſpuriis exploſit: alii autem circa verum eorum ſenſum fluctuantes in diverſiſſima abierunt.

II.

Priores hîc loci nos non diu morabuntur, quia licèt ſententiam ſuam quorundam codicum MSC. auctoritate tueantur, quos enumerat MILLIUS, MASTRIGTIUS, & ante utrumque SAUBERTUS in *Var. Lect. in Matth.* dudum tamen ab aliis obſervatum eſt, pleroſque non tantùm, ſed & optimæ notæ codices, tum & antiquiſſimas verſiones omnes, & Patres, verba hæc legere. CLERICUS præterea obſervat, *nullam fuiſſe rationem, cur hæ voces à quoquam adderentur, quippe quæ obſcuræ ſint, & ad ſententiam loci dilucidandam nihil faciant (quæ ſoleat eſſe gloſſematum occaſio) contra verò propter has ipſas rationes eliminari ut obſcuræ & inutiles potuerint.* Verùm uti hæc argumentatio in aliis circumſtantiis vim ſuam atque robur habet, ita hîc loci contra obſtinatum adverſarium rem conficere non poteſt, quia, cùm verba illa apud Lucam loco parallelo inveniantur, evenire facilè potuiſſet, ut à quodam apud Matthæum omiſſa credita, textui quoque infererentur. Nobis autem ſufficit, quòd quemadmo-

Digitized by Google

dum ſupra allata eorundem verborum γνησιότητα apud Matthæum haud obſcurè arguunt, ſic parum referat, utrum quis illa apud eundem ſemper lecta eſſe credat, necne, cùm ex Lucâ, apud quem in omnibus Codicibus exſtant, indubium ſit, verè à Johanne prolata eſſe, nihilque ſi quis ea à Matthæo abfuiſſe credat, inde ad ſummum confici queat, quàm quòd, ut ſæpius factum eſt, quæ ille, qui omnium Evangeliſtarum primus ſcripſit, breviùs tetigerat, Lucas pleniùs retulerit, nihilque adeò inde, ſi rem ipſam ſpectes, integritati ſacri Codicis damni accedat.

III.

Ad ſenſum verborum quod attinet, nonnulli illa propriè accepiſſe, hincque *uſtionem* baptiſmo addidiſſe dicuntur. Vulgò id de *Æthiopibus* adfirmatur. Sed Jobus Ludolfus *Hiſt. Æthiop.* Lib. III. cap. VI. docet, id potiùs ratione phyſicâ, quàm ſuperſtitione, aut vi verborum *Johannis* fieri, imò ex more in illis regionibus jam ante ſuſceptum Chriſtianiſmum uſitato, ut nempe infantum κροταφίδας, ſeu *temporum venas*, cauterio inurant, ad eoſdem à catharris ac deſtillationibus præſervandos, confer. *Clar.* Fabricius *Bibl. Gr.* Lib. I. cap. XXXII. n. IX. & quos idem laudat, Jos. Scaliger. & Steph. Le Moyne. Qui & docent, Veteres quoſdam hæreticos (ut vocantur) potiùs, & inprimis Carpocrationis *diſcipulos*, nec non Seleucianos & alios, verè cauterio in baptiſmo, ut ſacrâ cerimoniâ, uſos eſſe, eóque verba hæc apud Matth. traxiſſe, vid. quoque Grotius ad h. l. *Matth.* At uti hæc nimis diluta ſunt, neque iſtiuſmodi ritus vel inſtitutione Servatoris nititur, vel exemplum in Eccleſiâ Apoſtolicâ habet, ita illi refutando non immoramur.

IV.

Hinc igitur Interpretes plerique omnes vocem *ignis* rectiùs figuratè accipiunt. At eorum benè multi integram locutionem ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ per hendiadyn adhiberi volunt pro, *in ſpiritu igneo*, aut *igne ſpiritus Sancti* vel *ſpiritu qui eſt ignis*. Præcipuos magníque nominis ſententiæ hujus Patronos laudat quoque Wol-

WOLFIUS in *Matth.* quorum nonnulli inſuper prædictionem hanc in *ignitis linguis* cum effuſione Spir. S. in Apoſtolis conſpicuis Act. II. impletam cenſent. At eorum tamen eruditio meum elicere aſſenſum non potuit, partim quia, licèt figura hæc grammatica tam à ſacris quàm profanis ſcriptoribus nonnunquam adhibeatur, non tamen abſque neceſſitate eò confugiendum eſt, cùm ceteroquin, ubicunque duæ res diſtinctæ conjunguntur, ex illis unam cudere liceret, quo pacto mens Scriptorum mirè inverti aut turbari poſſet, partim quia nunquam aliàs ubi de ſpiritûs effuſione, præcipuè ſuper Apoſtolos, agitur, *baptiſmi ignis* fit mentio. Inprimis verò, quia uti phraſes & emblemata quibus ſpiritus S. utitur, omnium optimè ex ipſâ ſcripturâ ſacrâ illuſtrantur, ita hæc verè nonnunquam de baptiſmo loquitur à *baptiſmo aquæ* & *ſpiritûs* diſtincto, quiſque à talibus rebus denominatur, quarum aliàs ignis in ſacris emblema gerere ſolet, ut ex infra dicendis luce meridianâ clariùs pateſcet.

V.

Nimis autem debile argumentum pro adſtruendâ hîc loci Hendiade eſt, quòd Marc. I. 8. & Joh. I. 33. tantùm *baptiſmi ſpiritûs* mentio fiat. Quis enim ignorat, unum alterúmve Euangeliſtarum rem ſæpiùs breviter tradere, quam alii uberiùs narrant, atque adeò aliquid omittere, quod alter addit? Quis autem inde ritè colligeret, hunc qui rem uberiùs tradit, nihil diverſum ab eo dicere, qui de eadem breviùs agit, quaéque adeò ab uno addita ſunt, fruſtra addita atque ſuperflua eſſe? Inprimis autem ſatis evidens ratio dari poteſt, quare apud MARCUM & JOHANNEM ſolius *ſpiritûs*, apud MATTHÆUM autem & LUCAM *ſpiritûs & ignis* fiat mentio. Scilicet ex collatione horum Euangeliſtarum patet, JOHANNEM BAPTISTAM varios hac de re ſermones, & quidem diverſis temporibus & ad diverſæ indolis homines habuiſſe. LUCAS enim non ſolùm ſubjungit, com. 18. *eum multa atque alia admonentem annunciâſſe populo*, ſed ex JOHANNE propiùs patet, duobus ſucceſſivè diebus Prodromum Servatoris ſimiles habuiſſe ſermones. Priori enim die jam dixerat, *Ego vos baptizo aquâ, medius autem inter vos conſtitit, quem vos non noſtis.* Hic

eſt qui poſt me veniens ante me fuit, *cujus ego non ſum dignus ut corrigia ſubligaculorum ſolvam.* vid. Joh. I. 26, 27. quæ eadem apud Lucam, hiſque ſimilia apud Matthæum occurrunt. POSTERO autem DIE præconium ſuum continuans, inter alia dicit: *Ego verò non nòram illum*, *ſed qui me miſit ad baptizandum aquâ*, *is mihi dixit: Super quem videbis ſpiritum deſcendere & ſuper eodem manere*, *hic eſt baptizans Spiritu Sancto.* v. ib. 28. & 33. Denique ex Matth. III. 7. ſeqq. Luc. III. 7. coll. 15. & Joh. I. 24. ſeqq. clariſſimè patet, illum prioris diei ſermonem habitum eſſe ad Phariſæos & Sadducæos, horum emiſſarios, populúmque impietati adhuc deditum aut præjudiciis regno Chriſti repugnantibus imbutum; ex Marci autem I. 4, 5. liquidò conſtat, alterum, quem Johannes docet poſtero die pronunciatum eſſe, ſpectaſſe ad populum credentem & *peccata ſua confitentem.* Hinc igitur res ita concipi debet, quòd ſtatim ad famam *baptiſmi Johannis* quàm plurimi, ſed præcipuè Phariſæi, Sadducæi, horum emiſſarii, multíque ex populo cum illis facientes, & peccatorum cœno adhuc immerſi exierint, animo minimè ſincero atque pio, quos Johannes idcircò duriori, ut merebantur, ſermone exceperit; ſequenti autem die, ſe inprimis eodem contulerint, rectiùs de Johannis præconio ſentientes, liberationémque Iſraëlis animo contrito anhelantes, quos Baptiſta eam ob cauſam quoque blandius ad eorum propiorem inſtitutionem affatus ſit. Atque hoc ipſa ſermònis ejus ſumma confirmat. Priori enim die ſeveriſſimis increpationibus utebatur: *progenies viperarum*, *quis oſtendit tibi futuram iram effugere?* Matth. III. 7. & Luc. III. 7. graviſſimáque judicia denunciabat: *Securis jam radici appoſita eſt*, *omnis igitur arbor bonos fructus non ferens exſcindetur*, *& in ignem conjicietur.* ibb. com. 10. & com. 9. coll. comm. 12. & 17. At horum nihil apud Marcum & Johannem die ſecundo audiebatur. Unde jam in proclivi eſt colligere, BAPTISMUM IGNIS, qui ut ſtatim audiemus, interminationem ſeveriſſimorum judiciorum involvebat: rectè ſermoni primi diei, quem Matthæus & Lucas referunt, non verò illi ſequentis, qui apud Marcum & Johannem I. 29. ſeqq. narratur, conveniſſe, eámque ob cauſam ab his omiſſum eſſe.

VI.

Digitized by Google

V I.

Scilicet, quod contra illos quoque inprimis obſervaſſe juvat, qui *baptiſmum ignis* in ignitis linguis, viſibili illo effuſi in Apoſtolos ſpiritûs S. ſigno, impletum cenſent, tam hi quàm omnes alii, qui locutionem hanc in meliorem ſenſum, de re jucundâ & in ſe ſalutiferâ accipiunt, nobis quidem longiſſimè à ſcopo ferire videntur.

1. Quia denunciatur baptiſmus hic *Phariſæis* & *Sadducæis*, quibus certè parum læti atque ſalutiferi erat exſpectandum. v. Matth. III. 11. coll. 7.

2. Atque hoc tantò eſt evidentius, quia ſeveriſſimæ compellationi atque objurgationi ſubjungitur: *Progenies viperarum, quis oſtendit vobis effugere futuram iram?* ib.

3. Quid quod, tam præcedentibus immediatè, quàm immediatè ſequentibus diriſſimis comminationibus comm. 10. & 12. medius inſeritur.

4. Denique nihil hujus memoratur in ſermone ad illos, qui poſtero die cum peccatorum confeſſione baptiſmum recipiebant. Marc. I. 5. coll. Joh. I. 29, 33. quibus ſanè læta atque ſalutaria quæque, longè rectiùs quàm Phariſæis, Sadducæis, & incredulis atque impiis ex populo, conveniſſent.

Neque eſt, ut quis mihi objiciat, indigniſſimis hiſce tamen promiſſionem *baptiſmi Spiritûs* fieri. Præterquam enim, quòd non ſemper vox *Spiritûs* de lætis & ſalutiferis Spiritûs S. operationibus adhibeatur, quin imò conjunctio *Spiritûs judicii* & *exuſtionis* Jeſ. IV. 4. videri poſſet, hîc quoque in baptiſmo Spiritûs & ignis contrarium quodammodo ſuadere: ipſe Baptiſta hos quoque ad reſipiſcentiam invitat, víxque dubitari poteſt, hanc invitationem non planè fruſtraneam fuiſſe, ſed quemadmodum diſertè quidam Principum populi fide Servatorem receperunt, Joh. XII. 42. ita etiam ex illâ multitudine quoſdam dein ad meliorem mentem perveniſſe, ut adeò horum intuitu gratioſa Spiritûs dona, inprimis relatè ad pœnitentiam, quam Johannes flagitabat, poſſint eſſe promiſſa. Verùm uti id ſatis benè quadrat, ſi alterâ voce *ignis* ſtatuantur ſimul judicia incredulis atque in impietate

perſeverantibus denunciata eſſe, ita nullus dubito, quin omnes, qui ſepoſitis præjudiciis rem ritè ponderant, facilè perſpecturi ſint, minùs conveniens eſſe, ut talibus quos Johannes modo pro *viperarum progenie* declaraverat, quibúsque tam præcedente, quàm ſequente commate ſeveriſſima ſupplicia denunciavit, commate intermedio nil niſi blanda & ſalubria Spiritûs S. dona promiſiſſe ſtatuatur.

His omnibus 5 tandem ſubjungo, quòd, licèt negare minimè velim, etiam gratioſa ſpiritûs dona eorúmque effectus, effectibus ignis, dum nempe cor ad amorem Dei incenditur, & ardore in precibus aut fervente zelo gloriæ ejus impletur, comparari poſſe, húcque non incommodè referri verba Pauli 1 Theſſ. V. 10. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, quin & non malè eodem emblema ignis ſuffitum incendentis applicari: non ſciam unquam ſpiritum hunc, relatè ad blanda gratiæ dona abſolutè ſub appellatione ignis proponi, nedum promitti.

Contra autem quemadmodum præcipuus ignis effectus eſt urere, incendere, conflagrare aut conſumere, ita ordinariò, ut ex innumerorum locorum inductione patet, emblema eſt *rei moleſtæ acerbiorique ſenſu perfundentis*, imò *noxiæ* atque *damnoſæ*. Sic *graviores curæ*, *ſollicitudines* atque *ægritudines mentis*, ſic *acerbiores convictiones*, *verbúmque* quod easdem operatur, *igni* comparatur Pſalm. XXXIX. 4. Thren. I. 13. & Jer. XXIII. 29. Sic inprimis quoque *adflictiones* aut *graviſſima judicia*, cum mediis, per quæ infliguntur, ſub ignis aut effectuum ignis emblemate veniunt. v. Pſ. XVIII. 9. LXVI. 12. XCVII. 9. CXL. 11. Jeſ. XLVII. 14. Act. II. 19. 1 Cor. III. 13. Apoc. VIII. 5, 7, 8. XI. 5. XVI. 8. XX. 9. Priorem ſignificationem tantò rectiùs hîc conjungi poſſe cenſeo, quò blandiùs non ſolùm in re ipſâ cum ſequente, & cum ſcopo Johannis Baptiſtæ conſpirat, ſed & quò magis ipſi Judæi eam ſub *baptiſmo ignis* dudum intellexerunt, ut infra ex comm. IX. & X. propiùs pateſcet. Altera autem de *adflictionibus* & *judiciis* tantò certius hîc locum obtinet, quo manifeſtiùs ipſe Servator etiam emblema *baptiſmi* eò tranſtulit, dicens: Matth. XX. 22, 23. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; Λέγουσιν αὐτῷ· Δυνάμεθα. Καὶ λέγει αὐτοῖς· Τὸ

μὲν

μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε· Fruſtra autem mihi quis objiciet, ipſas ſollicitudines, acerbioréſque convictiones, imò adflictiones & judicia poſſe ſaluberrimos effectus ad reſipiſcentiam peccatorum habere. Hoc enim uti per accidens, aut ſingulari Dei benignitate fit, ita nihilominus hæ res in ſe moleſtæ atque acerbæ ſunt, neque adeò blandis Dei & Spiritûs ejus operationibus accenſeri poſſunt, conf. Heb. XII. 11.

VII.

Antequam autem hinc planè diſcedam, intactum relinquere nequeo, quòd *Clar.* Wolfius ad hanc de judiciis explicationem debilitandam, alterúmque, cui favet, de miraculoſâ ſpiritûs S. effuſione in feſto Pentecoſtes aliquando faciendâ, atque ut exiſtimat, prædictâ, ſtabiliendam, ſcribit: „Verba enim „hæc non amplius minas in refractarios, quibus jam defun„ctus erat Johannes, ſed ſolatium ad fideles, qui baptismum „ſincero animo ſuſceperant, continere videntur: quemadmo„dum comminationem priorem, in pervicaces conjectam, re„petitâ vice in illos torquet. Ego ſanè, ut quod res eſt, fatear, unde id *Reverendo* Wolfio viſum ſit, planè pervidere nequeo. Quòd ſi enim Johannes minis in refractarios jam defunctus ſit, quî fit, quæſo, quòd, Wolfio ipſo fatente, *comma proximè ſequens, comminationem priorem in pervicaces conjectam repetitâ vice in eosdem torquet?* Hoccine eſt defunctum eſſe minis in refractarios, ubi illæ unico commate interjecto ſtatim repetitâ vice torquentur? Certè, niſi me omnia fallunt, ipſe naturalis, aptè cohærentis ſermonis, nexus, potiùs flagitat, ut ubi immediatè præcedentia æquè ac ſequentia diriſſimis minis conſtant, intermedia (niſi phraſes ipſæ aliæve circumſtantiæ clarè contrarium exigant) ejusdem generis, ſive in totùm, ſive ex parte ſaltim, cenſeantur, ſatíſque adeò liberalis haberi debeat, qui geminâ intercedente locutione, alteram tantùm ad minas refert, alterámque, cujus indoles uſúſque id permittit, promiſſionem involvere concedit.

VIII.

VIII.

His ita adſtructis operæ adhuc pretium eſt, ut in ipſius locutionis *Baptiſmi ignis* originem, & quorſum eâ alludatur, paulò propiùs inquiramus: inprimis cùm inde non parum lucis ipſi phraſi accedere queat. Ubi tamen conſultò præterimus ſummorum Virorum, LIGHTFOOTI, CLOPPENBURGII, COCCEJI, aliorúmque WOLFIO laudatorum, ſententiam, qui *ad mirabilem ſacrificiorum inflammationem per ignem è cœlo illapſum factam*, digitum intendi cenſent, uti enim nulla hîc JOHANNI occaſio in deſerto erat de hac re cogitandi, ita nihil in inflammatione mediante igne συγγενοπετῇ eſt, quod cum baptiſmo conveniat, neque unquam ullus ſcriptor, ſive Judæus, ſive qualiſcunque alius, quantum ego quidem ſcio, hanc rem phraſi *baptiſmi ignis*, aut illi æquipollente inſignivit. Majori probabilitatis ſpecie ſe commendat, quam *Clariſſ.* NONNENIUS, honoratiſſimus in gemino munere Collega, peculiari Diſſertat. inſertâ *Muſeo Brem.* Vol. I. Part. III. num. V. adſtruere conatur, ſcilicet alludi ad *ventum urentem* ſeu *Eurum Palæſtinæ maximè nocivum.* Verùm uti amicus Plato, amicus Socrates, at magis amica veritas eſſe debet, ita fateri cogor, me, licèt illic non pauca occurrant, quæ ingenium ſpirent, ipſi tamen huic ſententiæ ſubſcribere minimè poſſe. Præterquam enim quòd argumenta, quibus probare ſatagit, hæc verba à Johanne, tempore quo ventus hîc ſpirare ſolebat, prolata eſſe, rem (quod pace Viri docti dictum ſit) minimè extra omnem dubitationis aleam collocent, obſtare inprimis videtur

1. Quòd nimis dura locutio ſit, *vento aliquem baptizare.* Non ignoro quidem Paulum teſtari, *Iſraëlitas in nube baptizatos eſſe*, 1 Cor. X. 2. Verùm id ſatis convenienter dici poteſt, cùm nubes præcipuè partibus aqueis conſtent. At *baptiſmus venti*, quantum ſcio, locutio eſt, omnibus orbis linguis non minùs ignota, quàm res ipſa omni ævo inuſitata, unde ſaltem, quamdiu nullum ejus exemplum adduci poterit, impetrare à me nequeo, ut phraſin hanc ſignificationem habere poſſe, nedum hîc loci habere, credam.

2. No-

Digitized by Google

2. Novi quidem ventum illum שרב καύσων@, *æſtûs* nomine ſimilibúsve appellationibus venire, quin & igni comparari, at eum abſolutè *ignem* dici, id quidem juxta cum ignariſſimis ſcio. Unde

3. Uti jam una, eáque ſatis inſolita, foret metaphora, ita mirum admodum eſſet, ſi illi adhuc altera, eáque longè durior, *baptiſmi ignis* jungeretur, haécque absque omni exemplo pro *immiſſione venti calidi* adhiberetur.

4. Denique ſequentia huic ſententiæ certè minimè favent, per ignem enim, quo ut ſtatim apud Matthæum commate ſequente 12. & 17. apud Lucam dicitur, *paleæ exurendæ*, nihil minus quàm ventus calidus intelligi poteſt, quo nullæ unquam paleæ exuſtæ ſunt, ſed ſecundùm litteram potius *ignis propriè dictus*, figuratè autem *judicia* & *ſupplicia*, qualem ſignificationem eadem vox, ut oſtenſum, in *baptiſmo ignis* quoque habet.

IX.

Ad nos itaque quod attinet, cenſemus potiùs Johannem, uti & naturæ rei, & conſtanti tam ejus, quàm Servatoris & Apoſtolorum ſtilo atque mori, conveniens eſt, à locutionibus & conſuetudinibus gentis ſuæ phraſin deſumſiſſe, atque adeò ad *baptiſmum* aliquem *ignis*, in hac gente celebratum, imò verè uſitatum, reſpicere. Saltim nemo à præjudiciis liber negabit, quòd ſi talis ritus verè inter Judæos obtinuerit, déque illo eadem phraſis ab iisdem adhibeatur, tum verò omnes aliæ circumſtantiæ, huic alluſioni faveant, nihil certius nihílque evidentius eſſe poſſit, quàm Johannem eò alluſiſſe. Quod ut pateat, obſervari

1. In anteceſſum velim, id ſimplici verborum ſenſui maximè convenire, cùm græca vox βαπτισμὸς *immerſionem rei aut perſonæ in aliquid*, *ſive ad luſtrationem*, *ſive ad ablutionem & mundationem*, denotet, atque adeò & hic *baptiſmus ignis*, aut *igne factus*, *immiſſionem* aut *immerſionem in ignem ad ſimilem finem*, ſecundùm eandem litteræ ſimplicitatem innuere debeat; idque tantò magis, quia hîc βαπτίσαι ἐν πνεύματι καὶ πυρὶ non tantùm conjungitur, ſed & τῷ βαπτίσαι ὕδατι opponitur, at-

que adeò *συνάφεια* ſermonis oppoſitionísque Leges flagitant, ut quemadmodum duæ illæ phraſes *baptiſmum aquâ* & *ſpiritu* factum, denotant, ita & hæc talem ſignificet, qui *igne* peragitur.

2. Patet id propiùs, quia ipſi Judæi eadem phraſi טבילה באש eodem ſenſu utuntur. Inſignem hunc in finem locum ex RAKENATENSI attulit ALTINGIUS in Diſſert. *de Proſelyt.* Opp. T. V. p. 233. qui huc tantò magis facit, quò magis non ſolùm occaſione baptiſmi adhibetur, ſed & uti apud Evangeliſtas τὸ βαπτίζειν ἐν πυρὶ Servatori adſcribitur, ita & Deo tribuitur quòd ſit טובל באש *baptizans igne.*

3. Accedit inprimis, quòd nec occaſio deſit, unde hæc locutio deſumta. Scil.

Deus ipſe occaſione prædæ Midianitis ereptæ legem condidit, quam Judæi pro conſtanti normâ in mundatione vaſorum immundorum ſervârunt, ut vaſa in ignem non venientia, per immerſionem in aquam mundarentur, ſed quæ in ignem veniunt, primùm illi immitterentur, tum luſtrali aquâ eluerentur. En ipſa legis verba! Num. XXXI. 23. כל דבר אשר יבא באש תעבירו באש וטהר אך במי חטאת יתחטא וכל אשר לא יבא באש תעבירו במים׃ *Omnem rem quæ in ignem venit, tranſire facietis per ignem, & munda erit, tantùm aquis luſtralibus expiabitur. Quicquid autem ignem ferre non poteſt, tranſire facietis per aquam.* En tibi clariſſimè *baptiſmum* aliquem non ſolùm *aquâ*, ſed & *igne* peragendum! Neque eſt ut quis objiciat, in hoc loco nullius tamen *baptiſmi ignis* κατὰ τὸ ῥητὸν mentionem injici; res ipſa enim illum clarè ſatis arguit, quia disertè exigitur, ut vaſa immunda aquæ aut igni immergantur, ſicque mundentur: uti enim prius nemo negat *baptiſmum* vaſorum eſſe *aquâ factum*, ita alterum eſſe *baptiſmum igne peractum*, ultrò patet.

X.

4. At, quid ulteriori ratiocinatione opus eſt? cùm Judæi ipſi hanc mundationem *baptiſmum ignis* appellent, hujuſque baptiſmi

Digitized by Google

ptiſmi fundamentum hoc in loco quærant. Inſignis locus eſt quem hunc in finem ex Codice Talmudico SANHEDRIN attulit *Clar.* SCHÖTGENIUS. Juvat illi unum alterúmque addere. *Sic in Jalkut* SCHIMONI in legem f. 99. 2. אמר ליה ההוא
אפיקורוס לרבי אבין אלהיכם כהן הוא דכתיב ויקחו לי
תרומה כי קבריה למשה במאי טבל אילימא במיא והכתיב
מי מדד בשעלו מים· אמר ליה בנורא דכתיב כי הנה יי׳
באש יבא· ומי סלקה טבילה בנורא אמר ליה עיקר
טבילותא בנורא דכתיב כל אשר לא יבא באש תעבירו
במים : *Dixit Epicuræus quidam ad R. Abin: Deus veſter ſacerdos eſt, quemadmodum ſcriptum eſt* (Exod. XXV. 2.) *& accipietis mihi primitias. Cùm ſepelivit Moſen, quâ re lavit ſe? Si dicatur aquâ, Ecce ſcriptum eſt,* (Jeſ. XL. 12.) *quis menſurat aquas pugillo ſuo? Dixit ipſi igne, quemadmodum ſcriptum eſt,* (Jeſ. LXVI. 15.) *nam ecce Dominus cum igne veniet.* (Regeſſit) *Num igitur ſufficit baptiſmus ignis? Dixit ipſi fundamentum baptiſmi ignis eſt,* (optimus baptiſmus eſt, qui igne fit) *quemadmodum dicitur:* (Num. XXXI. 23.) *quicquid non venit in ignem, tranſire facietis per aquas.* & in Prophetas f. 49.
2. מי מדד בשעלו מים א״ל ההוא מינא לר׳ אבהו אלהיכם
כהן הוא שנא׳ ויקחו לי תרומה כי קבריה למשה במאי
קא טביל וכי תימא במיא והא כתיב מי מדד בשעלו מים
א״ל בנורא קא טביל שנ׳ הנה יי׳ באש יבא ומי סלקה
טבילות׳ א״ל אין דכתי׳ כל דבר אשר יבא באש תעבירו
באש : *Quis menſurat pugillo ſuo aquas? dixit hæreticus quidam τῷ R. Abbu, Deus veſter Sacerdos eſt, quemadmodum dicitur* (Exod. XXV. 2.) *& accipietis mihi primitias. Quum ſepelivit Moſen, quâ re lavit ſe? Si dicas aquâ, ecce ſcriptum eſt* (Jeſ. XL. 12.) *quis menſuravit pugillo aquas? Dixit ipſi: igne lavit ſe quemadmodum dicitur,* (Jeſ. LXVI. 15.) *Ecce Je-*

bova en igne veniet: (Inſtitit) *an ergo baptiſmus ignis ſufficit* (valet)? *Dixit ipſi omninò quemadmodum ſcriptum eſt* (Num. XXXI. 23.) *omnem rem quæ in ignem venit, per ignem tranſire facietis.* Ita quoque in *Sepber Schene Luchot habberith*, ſeu ut Judæi appellare ſolent *R. Jeſchaja Sepher* fol. 67. 1. עוד יש טומאה רוחנית שהוא האב של אבי אבות הטומאה והיא טומאת עבירות כמו שכתוב בהדי׳ בעריות ובמאכלות אסורות לשון טומאה וה״ה בכל עבירה שעוש׳ טמא טמא יקרא וכשמטהר את עצמו מכל עון ואשמה נקרא טהור כמ״ש וזרקתי עליכם מים טהורים וטהרתם מכל טומאותיכם ומכל גילוליכ׳ אטהר אתכם ודהמ״עה אמר ומחטאתי טהרני והנה מצינו טהרה במים כדכתיב רחץ בשרו במים וטהר ומצינו טהרה באש כדכתיב כל דבר אשר יבא באש תעבירו באש וטהר בכח היא טהרת עונות ומים ואש הוא חסד וגבורה וענין טהרת האש הוא גבורת התשוב׳ תהיה בוער בו כאש בוערת ויהיה סובל סגופי׳ גדולים כפי ערך העונשי׳ אשר חטא ואף כנגד ד׳ מיתות ב״ד וגו׳ *Porrò, eſt immundities ſpiritualis, quæ eſt maxima graviſſimarum immunditierum, atque hæc eſt immundities transgreſſionum, quemadmodum diſertè de inceſtu & cibis vetitis vox* טומאה *adhibetur. Atque hinc eſt, quòd in omni transgreſſione, quam immundus facit, immundus dicitur, & cùm ſe mundat ab omni iniquitate & reatu, mundus appellatur: quemadmodum ait* (Ezech. XXXVI. 25.) *& ſpargam ſuper vos aquas mundas, & mundi eritis, ab omnibus impuritatibus veſtris & ab omnibus ſtercoribus veſtris mundabo vos. Et David Rex ſuper quo pax ſit, ait* (Pſ. LI. 4.) *& à peccato meo mundà me. Ecce autem invenimus mundationem per aquam* (Lev. XIV. 9.) *abluet corpus ſuum aquâ & mundus erit, & invenimus quoque mundationem per ignem, quemadmodum ſcriptum eſt* (Num. XXXI. 23.) *omnem rem, quæ venit in ignem, tranſire facietis*

per

per ignem, & munda erit per virtutem bujus mundationis iniquitatum Aqua enim atque ignis eſt gratia & potentia (vis) *pœnitentiæ, quæ in homine ardet inſtar ignis ardentis, ita ut ſuſtineat adflictiones magnas, ſecundùm æſtimationem mulctarum, quas peccatis ſuis ſibi contraxit, & pro quatuor generibus ultimi ſupplicii à Synedrio infligendis &c.* Licèt autem in ultimo hoc loco quoque propriè vox *baptiſmi* non exſtet, ſed potiùs *mundationis*, res ipſa tamen non ſolùm eodem redit, ſed & quod hîc dixit *mundationem transgreſſionum*, id ſtatim in ſequentibus טבירת העבירות *baptiſmum* ſeu *ablutionem transgreſſionum* appellat. Ceterùm quòd baptiſmum ignis ad *reſipiſcentiam* refert, nos non moratur, quia hæc privata hujus ſcriptoris eſt ſententia, quamvis & ipſe *afflictiones* includat, quæ reſipiſcentiam præcipuè operantur, & quas nos quoque minimè excludimus, ſed generaliùs tantùm emblema accipimus, ita ut non ſolùm ſalutares ad reſipiſcentiam, ſed & impiis ad eorum interitum inflictas, includamus.

X I.

5. Egregiè quoque huc quadrat nomen *baptiſmi*, quod diſertè de *mundatione vaſorum*, & illorum quidem inprimis *ex metallo paratorum*, ab ipſo Servatore adhibetur Marc. VII. 4. Καὶ ἄλλα πολλά ἐστιν, ἃ παρέλαβον κρατεῖν, βαπτισμοὺς ποτηρίων καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν.

Denique 6. nihil ſenſui hujus Legis & πνευματικῇ δηλώσει convenientius, hac explicatione, & cui illam ſuperſtruximus, alluſione, facilè adferri poſſe credo. In ſacris ſanè nihil frequentius eſt, quàm quòd homines vaſis comparentur, ut patet Act. IX. 15. ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς μοί ἐστιν οὗτος. huc ſpectant *vaſa iræ ad interitum, & miſericordiæ ad gloriam præparata* Rom. IX. 22, 23. conf. Pſalm. XXXI. 13. Jer. XVIII 4. ſeqq. XXII. 28. XXV. 34. LI. 34. Hoſ. VIII. 8. Apud Græcos idem non infrequens eſſe, patet ex illis quæ Viri Clariſſimi, Raphelius, Alberti, & cum illis Wolfius, docuerunt ad Act. loc. adductum, nec non alterum Pauli, ad quem progredior. Scil. quod magis eſt, diverſæ materiæ vaſa, diverſi ingenii morúmque homines

mines depingere, Paulus 2 Tim. II. 21. Ἐὰν οὖν τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων, ἔσαι σκεῦος εἰς τιμὴν, ἡγιασμένον καὶ εὔχρηστον τῷ δεσπότῃ, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον. *Si igitur quis ſe ipſum mundet ab his, erit vas ad honorem, ſanctificatum & utile Domino domûs, ad omne bonum opus præparatum.* Quibus verbis vix ambigerem, Apoſtolum quoque alludere ad illam diverſi generis mundationem vaſorum, cujus fundamentum in Lege Num. XXXI. 23. eſt, aut ſaltem conſuetudinem, quam inde deducunt Judæi, inquinata aut recens empta, & inprimis à Gentibus accepta vaſa, pro diverſâ earum materiâ ſive aquâ frigidâ ſive calidâ aut bulliente eluendi, ſive igne exurendi, de quâ fuſè agitur in Avoda Sarah f. 75. b. ſeq. His igitur ſuppoſitis, diverſi generis & materiæ vaſa, in Lege illâ homines diverſi ingenii atque conditionis, me quidem judice, commodiſſimè repræſentant, illa nempe, quæ in ignem non veniebant, & aquâ tantùm eluebantur, infirmiores mitioríſque ingenii, qui ſe faciliùs blandioribúſque mediis atque operationibus Spiritûs S. emendari mundaríque ſinunt, illa autem quæ in ignem veniunt, eóque candefieri ad mundationem debebant, duriores, obſtinatiores, aut magis obfirmatos in malo depingunt, qui ſeverioribus increpationibus atque convictionibus opus habent, imò non niſi per multas tandem tribulationes atque adflictiones ad meliorem frugem reduci poſſunt, ſícque ubi ſervantur, *ſervantur tanquam per ignem* 1 Cor. III. 15. Viderunt hîc aliquid Judæi, ſed ita ut ſimul errores admiſceant, dum vaſa diverſi generis quidem rectè de diverſæ conditionis hominibus explicant, mundationem autem illorum ad eam, quam poſt hanc vitam adhuc exſpectandam ſomniant, referunt. Inſignem planè hanc in rem locum obſervavi in *Jalkut Chadaſch* Sect. *de diebus feſtis* num. 22. pag. 98. 4. ſeq. qui ſe ita habet: הא דאמרו בכלים בפסח כלים שנשתמשו בצונן מדיחין בצונן ושנשתמשו בפושרין תקנתן בפושרין ושנשתמשו בחמין מגעילן בחמין וכלי חרס שבירתן זו היא טהרתן הכל רמז לבני אדם צדיקים גמורין רחמנים גומלי חסדים ומדקדקים במצוה דעליהו איתמר כל המשים ריוח בין הדביקים מצננים לו

לו גיהנם היינו תקנתן בצונן: בינונים בפושרין שיסבלו יותר צער בגיהנם מן הצדיקי' רשעים גמורים שזוהמתן גדולה מאד אין להם תקנה רק בחמי חמין ואדם החוטא יש לו תקנה בתשובה וזהו חרס שהוא עשוי מחומר כן זה האדם החומרי שבירתו זו היא התשובה כמו דאת אמר זבחי אלהים רוח נשברה זו היא טהרתו: *Hoc eſt quod dixerunt de vaſis in Paſchate, vaſa quæ inſervierunt frigidæ, eluuntur frigidâ, & quæ inſervierunt calidis, eorum reſtitutio* (mundatio) *fit calidâ, quæ inſervierunt calidiſſimis* (ferventibus) *expurgantur ferventibus. Vaſorum autem teſtaceorum confractio, eorum mundatio eſt. Omnia hæc depingunt homines, juſtos, perfectos, miſericordes, beneficos, & qui ſollicitè inquirunt in præcepta. De tali enim dictum eſt: quicunque ponit ſpatium inter ea quæ ſemet ſubſequuntur* (id eſt, qui diſtinctè pronunciat duas voces, quæ ſi uno halitu pronunciarentur, ſenſum funderent Deo indignum) *illi infernus frigidus redditur* (ut nempe minus doloris ſentiat,) *hi ſunt quorum reſtitutio* (mundatio) *fit frigidâ. Mediocres calidis, qui plus doloris ſuſtinent in gehennâ quàm juſti. Perfectè impiorum, quorum inquinamentum valdè magnum eſt, nulla datur reſtitutio niſi fervidiſſimis. Peccatori reſtitutio eſt per reſipiſcentiam, & hic innuitur per vas teſtaceum, quod paratum eſt ex luto, ita* (enim) *& hominis lutei confractio, eſt reſipiſcentia, quemadmodum dicis* (ſc. ex Pſalmo LI. 19.) *Sacrificia Deo placentia ſunt cor fractum, atque hæc eſt ejus mundatio.* Ablegat Auctor ibidem ad librum *Sohar* in *Numeros* col. 289. & 290. ubi hæc paulò adhuc uberius traduntur, unde & hunc locum hîc legere non ingratum erit. Ita autem ſe habet:

פקודא דא שחיטת הפסח בזמנו ואבתרי' פסח ראשון ופסח שני לאכול כמשפטן וטמאים להיות נדחים לפסח שני דאיהו תליתאה: תנאן אית בני נשא כחולין דטהרה כמט' דמי"כאל וכחולין דהקדש כגון בשר קדש ואינון מסטרא דגבר"יאל כהן ולוי ואית בני נשא דאינון כזמין טבין ואינון קדש קדשים שכינתא איהו

פסח

פסח ראשון סימנא ופסח שני משמאלא· פסח ראשון מימינא
דהמן חכ״מה פסח שני משמאלא דתמן ב״ינה ובגין דגבורה
מעברין כל אישין נוכראין דאינון כקש ותבן לגבי אש הגבורה
טמאים נדחים לפסח שני וכל טומאת נדה ומצורע וזב וחבורה
וולד׳ באשא דגבורה איהו שורף דנשבתא איהו מאנא דקב״ה
ואידו לא עייר בה עד דאתלבנ׳ באשא דגבור׳ דכתי׳ הלא כה
דברי כאש נאם יי׳ ובהאי אש אם ברזל הוא מתפוצ׳ ואם אבן
הוא נמוח ובזמנא דתמן תורה שבכתב דאיהי מ״ב ונטהרה ממקור
דמיה ומצורע אתדכי בה וטמא מת וזב וטמא בכל מני שרץ
הה״ד וזרקתי עליכם מים טהורים וטהרתם וגו׳ בעבודא
דאמצעיתא מאנה אתיחדת בבעלה דאיהי אחתא בתר דאתקדשת
בשמאלא ואתטהרת בכי מקוה בינינא ואומרים על מאני דפסרא
כלים שנשתמשו בהן בצונן מדיח׳ בצונן והן טהורי׳ אינון נשמתי׳
דאינון מסטרא דרחמי ואינון רחמנים כארי חנא וחסדא לא
צריכין לדכאה במים פושרים בינוני׳ כ״ש בחמי חמין דבהון
נתרכין רשעים גמורים בגין דזוהמא דלהון נפישא אבל צדיקים
גמורים בצונן דעלייהו אתמר כל הנשים רוח בין הדבקים
מצננים לידה גיהנם· ואי נשבתין חמריים דאינון דמאני חרס
שבירתן זו היא טהרתן כד״א נשברו נטהרו ודא דמלה זבחי
אלהים רוח נשברה וגו׳ *Præceptum hoc complectitur mactationem Paſchatis in tempore ſuo, poſt illud, ut Paſcha primum & ſecundum comedantur prouti convenit, & immundi pelluntur ad Paſcha ſecundum, quod tertium* (mandatum) *eſt. Docemus* (autem) *quod ſint homines* (quidam) *inſtar rerum profanarum, quæ provenerunt ex* (rebus) *mundis* (qui ſunt) *ex ordine Michaëlis,* (alii) *inſtar rerum profanarum ex ſanctis, ut caro ſancta, atque hi ſunt ex or-*

dine

dine Gabrielis (quorum ille, nempe Michaël) *Sacerdos* (hic ſc. Gabriel) *Levita eſt. Sunt quoque homines, ſimiles diebus feſtis, atque hi reſpondent ſanctiſſimis. Paſcha primum autem eſt ad dextram gloriæ divinæ, & Paſcha ſecundum ad ſiniſtram.* (Dicimus) *Paſcha primum eſſe ad dextram, quoniam illic eſt ſapientia* (in ordine nempe ת Sephiroth) Paſcha *ſecundum autem ad ſiniſtram, quia illic eſt prudentia. Et quia potentia omnem peregrinum ignem removet*, (tollit) *qui eſt inſtar ſtipulæ & ſtraminis coram igne potentiæ, immundi propelluntur ad Paſcha ſecundum, & omnis immundities menſtruæ & leproſi ſeminifluì, ſeminifluæ atque puerperæ igne potentiæ comburitur. Anima enim eſt vas Dei Benedicti, qui illam non inhabitat, niſi poſtquam candefacta eſt igne potentiæ, quemadmodum ſcriptum eſt* (Jer. XXIII. 29.) *annon ita eſt verbum meum ut ignis dictum Jehovæ? & hic ignis, ſi ferrum ſit, illud diſſilire facit, ſi lapis ſit, illum fundit. Inde autem ab eo tempore quo lex ſcripta exſtitit, quæ aquæ comparatur, valet, quod dicitur* (Lev. XII. 7.) *& munda erit ex fluxu ſanguinis ſui. & leproſus illâ mundatur, & inquinatus à mortuo, fluxúque laborans, immundúſque ex omni ſpecie reptilis. Hoc eſt quod dicitur:* (Ezech. XXXVI. 25.) *& ſpargam ſuper vos aquas puras, & mundabimini &c. In columnâ mediâ* (noctis) *unitur* (iterum) *vas Domino ſuo, quæ eſt uxor poſtquam ſanctificata eſt ad ſiniſtram, & mundata eſt aquâ congregationis ad dextram. Dicunt autem de vaſis paſchalibus: vaſa quibus uſi ſunt ad frigida, extergunt frigidâ, atque hi ſunt mundi; hæ ſunt animæ quæ ex ordine miſericordiæ, ſcilicet miſericordes, benigni & benefici, qui non opus habent aquis calidis, ut mediocres, multò minùs calidiſſimis, quibus mundantur perfectè impii, quoniam inquinamentum ipſorum multum eſt. Sed perfectè juſti* (mundantur) *frigidâ. De tali enim dicitur: quicunque ponunt ſpatium inter immediatè ſequentia* (quæ in celeriori pronunciatione facilè combinari poſſunt, ita ut ſenſus invertatur) *bis frigidus redditur infernus. Animarum autem terreſtrium* (lutearum) *quæ ſunt inſtar vaſorum teſtaceorum, confractio, earundem eſt mundatio, quemadmodum dicimus, frangantur, munda ſunt. & arcanum rei latet in verbis* (Pſalm. LI. 19.) *ſacrificia Dei ſunt ſpiritus fractus* &c.

X I I.

Quisquis igitur hæc omnia ritè ad animum revocaverit, ultrò, niſi me omnia fallunt, mecum intelliget, non aliunde rectiùs ſtatui poſſe, JOHANNEM alluſionem deſumſiſſe, quàm ab hoc duplici baptiſmo aquæ & ignis in mundatione vaſorum adhiberi ſolito, húncque ipſum, integrum locum in clariſſimâ luce ponere. Scilicet Johannes ut miniſter & præcurſor Servatoris baptizabat tantùm externâ aquâ ad reſipiſcentiam, Servator autem ut Dominus, imò ut longè potentior digniórque, baptiſmum ſpiritualem efficacioremque erat adminiſtraturus, partim gratioſis blandíſque Spiritûs Sancti donis, aquæ luſtrali & purificanti comparari ſolitis, illíſque qui ſpiritualem mundationem anhelabant, concedendis, partim verò acerbioribus convictionibus, quin & tribulationibus atque afflictionibus, obſtinatiores durioríſque ingenii homines velut igne purgans, & ad meliorem frugem reducens, aut graviſſimis judiciis in planè refractarios juſtè animadvertens, qualis duplicis luſtrationis, in mundatione ſeu baptiſmo vaſorum inquinatorum aquâ aut igne facto, elegantiſſimum emblema quondam non ſolùm à Deo ipſo in Lege exhibitum, ſed & perpetuo uſu inter Judæos ſemper obſervatum eſt, & in hunc diem uſque conſtanter obſervatur, quemadmodum & ab ipſis idcircò jam ſimilis metaphora inde deſumta, & ad ipſum baptiſmum ejúſque myſterium tranſlata eſt.

DISSERTATIO XX.

DE

UNO JOTA AUT APICE UNO LEGIS NON INTERITURO.

AD MATTH. V. 18. ET LUC. XVI. 17.

I.

Plus difficultatis verba hæc in receſſu habere, quàm primâ fronte quis ſibi facilè perſuaſerit, ex diverſis Virorum Doctorum de vero eorum ſenſu ſententiis conſtat, quas, ut ſolet, ſtudioſè collegit, nobiſque hujus rei otium fecit *Rev.* WOLFIUS in *Curis Criticis*; unde tactis tantùm præcipuis, eam, quæ nobis ſe maximè commendat, propiùs adſtruemus.

II.

Miſſum itaque hîc ſtatim facimus *Celeb.* MARCKIUM, exiſtimantem Servatorem non ad *litteras hebraicas*, ſed *græcas* reſpexiſſe, cùm ab omni ratione abludat, ut Hebraicè, aut Syriacè loquens, & quidem ad Judæos eodem ſermone utentes, ad alterius planè linguæ, quam forſan vix centeſimus quiſque intelligeret, litteras alludat. Nec magis ex eo, quòd MATTHÆUS non vocem *Jod* ſed 'Iῶτα adhibeat, colligere licebit, Servatorem Græcarum litterarum meminiſſe, quàm ſi ex *Oratione Dominicâ* aliiſque CHRISTI ſermonibus, ab Evangeliſtis græcè exaratis, concludere velis, eoſdem à SERVATORE Græcè pronunciatos eſſe. Neque quicquam juvat, quòd JOHANNES in *Apocalypſi* τῦ Ἄλφα καὶ Ὠμέγα meminit, quia ipſe in *Græciâ* ad homines *Græco*-ſermoni adſuetos, *Græcè* ſcribens, aliter agere non potuit, neque inde ad SERVATOREM, *Hebräicè* aut *Syriacè* ad *Judæos* loquentem, ulla valet conſequentia.

Digitized by Google

III.

Miſſum quoque facimus MARTIANÆUM, qui per Ἰῶτα & Κεραίαν idem hîc denotari cenſet, ſcilicet (י) JOD *Hebræorum*, quod & litteram omnium minimam, & apicem ſimul litteræ א conſtituat, præterquam enim quòd hæc interpretatio coactior eſt, nulla quoque ratio oſtendi poteſt, quare cùm Servator duo hæc per particulam disjunctivam diſtinguat, illa non pro diſtinctis rebus accipi debeant. Addimus tantùm, MARTIANÆO hîc non ſolùm recentiores quosdam, STEPHANUM MORINUM, NEUMANNUM &c. licèt non unâ viâ præiviſſe, ſed & ipſum INTERPRETEM ÆTHIOPEM verba reddidiſſe: *Jota quod eſt unus apex, nequaquam præterierit ex Lege.*

IV.

Plerorumque calculos tulit ſententia, quæ ad ſigna vocalium & accentuum hebraicorum SERVATOREM reſpexiſſe ſtatuit. Verùm quàm pulchrè etiam illa aliis excogitata videatur, nobis tamen hactenus placere, noſtrúmque adſenſum elicere non potuit, ídque ob ſequentes rationes.

1. Quia planè non conſtat, ſigna hæc Servatoris tempore jam in uſu fuiſſe. Sanè licèt ego tantâ, quantâ quiſquam alius erga Codicem ſacrum reverentiâ ducar, ut etiam in locis difficillimis ne minimum quidem apicem mutari velim, veritatis tamen, cui unicè lito, ſtudium, ingenuè me fateri cogit, nihil certius eſſe, quàm quòd ſigna hæc ab ipſis ſcriptoribus profecta non ſint. Id enim docet communis omnium populorum Orientalium mos, qui omnes ſine punctis vocalibus ſcribunt, illáque nunquam niſi in Tyronum fortè gratiam adſcribunt. Id exigit inter Judæos recepta, & in hunc diem uſque vigens conſuetudo, quâ in Synagogis nunquam punctatis codicibus utuntur, imò Codices punctatos pro profanis, ſolóſque punctis deſtitutos pro ſacris habent. Idem אמות הקריאה ſeu ſigna abſentium vocalium אוי paſſim adhuc exſtantia, tum quoque plurima antiquiſſimæ Verſionis Alexandrinæ loca, in quibus manifeſtiſſimum eſt,

ejus

Digitized by Google

ejus Auctores voces aliis vocalibus legiſſe, confirmant, nec non, quòd in variantibus lectionibus *Keri* & *Ketbib*, nihil circa hæc puncta, ſed tantùm circa literas conſonantes adnotetur, quòd tamen ſi puncta litteris coæva fuiſſent, negligi nullo modo potuiſſet. Adde quòd nec Antiquiſſimi Judæorum Scriptores, nec primævæ Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores, ORIGENES & HIERONYMUS, licèt hebraicè doctiſſimi, unquam punctorum vocalium meminerunt, etiam illis in locis, ubi id neceſſariò fieri debuiſſet, certiſſimo indicio, vel Codices punctatos illorum ætate planè non exſtitiſſe, vel ſaltem in vulgari uſu non fuiſſe.

Interim hoc ipſo ne hilum quidem punctorum vocalium auctoritati detractum volo, cùm quacunque etiam ætate demum addita ſtatuantur, id à Viris numero pluribus, & linguæ hujus non ſolùm peritiſſimis, ſed & ejus præcipuè ſtudio deditiſſimis, &, quod magis eſt, lectioni ſacri Codicis per omnem vitam incumbentibus, imò quotidiè in Synagogis illam publicè exercentibus, factum ſit, quibus non magis de genuinâ lectione lis moveri poteſt, quàm ſi quis *Doctoribus Arabibus*, *Turcis*, *Perſis* aliiſque dicam ſcribere velit, utrum inſtrumentum aliquod, diurnâ eorum nocturnáque manu verſari ſolitum, centiéſque perlectum, rectè legant, quod qui ſuſtinuerit, ne ille ſe his populis egregiè deridendum propinaret. Neque eſt ut quis objiciat, fortè tamen, ut multi volunt, jam ab ESDRA VIRÍSQUE SYNAGOGÆ M. addita eſſe, atque adeò Servatoris ævo dudum exſtitiſſe: nam uti nec hoc evictum hactenus eſt, multíque magni nominis Viri non contemnendis argumentis operam hanc MASORETHIS TIBERIENSIBUS vindicant, ita ſaltem non ſatis tutò ſententiæ hactenus incertæ ſuíſque difficultatibus laboranti, explicatio certa atque indubia ſuperſtruitur. Deinde quis credere, aut ſapientiæ ſummi Doctoris conveniens judicare poterit, ut immutabilem Sacri Codicis Legúmque divinarum integritatem aſſerere volens, ad illa puncta & ſigna provocaret, quæ, ex ipſâ hac hypotheſi, nuper demum in gratiam imperitiorum inventa additáque erant, non verò ad talia potiùs, quæ ab ipſo Deo Legis Auctore profecta fuerunt, omníque adeò tempore, ex quo ver-

 bum

bum hoc litteris conſignatum eſt, exſtiterunt. Conf. CAPPELL. *Arcan. Punctat.* Lib. II. c. 14.

V.

2. Secundo loco probè obſervari velim, ſignificationem vocis Græcæ Κεϱαία non ſatis punctis vocalibus aut accentibus Hebræorum convenire. Denotat enim illa, ut notum eſt, propriè *cornu*, atque inde ad extremitates rerum cornuum inſtar illis adhærentes, ínque horum quodammodo formam ductas, aut ſuper reliquâ ſuperficie prominentes, transfertur, quale quid in ſignis vocalium & accentuum locum non habet, utpote quæ maximam partem punctis conſtant, quod nomen idcircò etiam vocalium ſignis perpetuò dari ſolet, tum quoque nullâ ex parte litteris adhærent, ſed ſeorſim, ſive ſupra, ſive infra illas pingi ſolent.

V I.

Denique 3. (quod æquè adverſus hanc, quàm priorem ſententiam valet) hæc ſignificatio uſui vocis Græcæ Κεϱαίας, aut hebräicæ, quæ illi reſpondeat, non ſatis convenit. Quod ut rectè intelligas, obſervandum, vocem, quando in hoc negotio cum *Jota* conjungitur, ſine dubio ut terminum technicum adhiberi, unde illa demum explicatio vero maximè ſimilis erit, quæ ex re grammaticâ Græcorum aut Hebræorum hauſta, talem non ſolùm voci græcæ ſenſum tribuet, qualem in hoc negotio apud artis hujus peritos habere ſolet, ſed & ſimilem hebraicam, quâ Judæi in hac arte eodem ſenſu utantur, ſuppeditabit. Tale quid autem, & in hac ſententiâ, & in pleriſque aliis, hactenus fruſtra quæſivi.

V I I.

Huic autem æquè ac aliis ſanioris interpretationis requiſitis optimè omníque ex parte ſatisfacit ſententia, quæ ad ipſarum litterarum ductus atque apices reſpici ſtatuit, qui non adeò ornatûs gratiâ, ſed præcipuè neceſſariæ diſtinctionis cauſâ adduntur,

duntur, ut vera litteræ figura non ſolùm pingatur, ſed & ab aliis litteris ſimilibus, & ad ejus formam quodammodo accedentibus, dignoſci queat. Præivit in hac ſententiâ nobis quodammodo *Celeb.* STEPH. LE MOYNE in *Diſſert. ad Jerem.* XXIII. 6. p. 233, at cùm nihilominus eadem hactenus minùs expedita atque confirmata ſit, lubet eam paulò uberiùs deducere, & inprimis peculiares obſervationes noſtras ſubjungere. Sciendum itaque eſt, Rabbinos, & præcipuè Scriptores grammaticos, duplex iſtiusmodi ductuum genus memorare, quorum alterum תגים *coronas*, alterum קוצים *ſpinas* ſeu *apices*, aut עוקצים *petiolos*, appellant. Ad priorem vocem quod attinet, in tranſitu de illâ monemus, *Summum in hoc litterarum genere Virum* JOH. BUXTORFFIUM *Lex. Maj.* aliósque ſingularem numerum facere תגא acſi à Radice תגא deſcenderet, verùm id minùs ἀκριβῶς fieri, cùm (א) hîc minimè *radicale*, ſed potiùs *terminale* ſeu *emphaticum*, forma autem ſimplex תג ſit, utpote quæ & ipſa hac ratione apud Rabbinos occurrit, ut ex. gr. apud ABRAHAMUM DE BALMIS in מקנה אברהם *ſ. Grammaticâ* cap. II. aliquoties, confer loca ſtatim adducenda, quod ex ipſâ formâ multitudinis confirmatur, quæ ceteroquin non תגים ſed תגאים eſſe deberet, nec non, ex verbo apud Rabbinos quidem deperdito, ſed apud Arabes ſuperſtite, quod *quieſcens mediâ* ſeu *concavum* eſt تاج *coronatus, re aliquâ tanquam coronâ cinctus fuit*, unde & idem nomen تاج *corona*, deſcendit, quemadmodum illud quoque eadem ratione inſerto א à nonnullis Rabbinis ſcribitur.

VIII.

Ad rem ipſam quod ſpectat, obſervandum, Judæos duplex coronarum facere genus, alterum, cui *majorum* nomen dant, alterum quod *minorum* appellatione inſigniri poteſt. Priores coronas inſtar literæ ז pingunt, hujusque figuræ tres aut quatuor ſimul literis imponunt, & quidem literis שעטנז ג״ץ ut & ם ſeu *Mem* clauſo, atque litteræ ה *He* &c. Obtinet id in quatuor dictis, quæ ſchedulas ּ*Tephillim* conſtituunt, ut & ſchedulâ *Meſuſæ*, inprimis verò *libro Legis*. De his agit

MAI-

MAIMONID. in *hilch. Tephill.* cap. II. §. 8. וצריך להזהר בתג׳ין
של אותיות והן כמו זיינין זקופות על האות שיש להן תג כמו
שהן כתובין בספר תורה׳ ואלו הן האותיות המתוינות שבארבע
פרשיות אלו: *Monendum quoque eſt de coronis litterarum, quæ ſunt inſtar litteræ Zajin inclinatæ verſus litteram, cui competit corona, quemadmodum ſcribuntur in libro Legis. Atque hæ ſunt litteræ quæ coronantur in quatuor his ſectionibus.* Quas literas æquè ac loca dein propiùs enumerat. De iisdem ita R. ABRAHAM DE BALMIS Cap. II. עד כן כתבנו צורת האותיות
בגופן אך אמנם יש לדעת כי מלבד גוף האותיות וקוציהן
ותגיהן כמו שכתבנו למעלה יש עוד דברים מיוחדים למקצת
האותיות שהם כמו הגין גדולים מהנזכרים ובהם דעות מתחלפות
כי יש אומרים שהזיינין אינן אלא באותיות פרשת שמע כתובה
באלה הדברים סימן ו׳ ואחרים אומרים שזה הוא בכל המקומות
אף כי באלה מצוה מסצות יי׳ ובשאר המקומות רשות וזהו יותר
נכון׳ ואלה הן על אותיות שע״טנז ג״ץ שלש זינין על כל אות
ואות ושלש על מם סתומה ועל אות הא מלבד השני תגין
שכתבנו למעלה חמש זינין ובאות קוף במקצת המקומות שתים
ובמקצת המקומות שלש זינין מלבד התג שכתבנו ועל טיטין של
טטפת יש אומרים שלא די בהן שלש אבל צריכות ארבע זינין:
Hactenus deſcripſimus figuram litterarum ipſarum, verùm ſciendum eſt, quòd præter ipſarum corpus litterarum, & apices atque coronas earum, quas ſupra deſcripſimus, ulteriùs ſunt quædam res propriæ quibusdam tantùm litteris: atque hæ ſunt veluti CORONÆ MAJORES *illis quas memoravimus. De his autem variæ exſtant ſententiæ: Sunt enim qui dicunt, quòd hæ litteræ Zajin* (ita coronæ hæ appellantur) *locum non habeant niſi in litteris Sectionis* SCHEMA (AUDI), *Deut.* VI. *Alii autem dicunt, quòd omni in loco obtineant, tum quoque quòd*

illo

illo in loco vi ipſius præcepti divini appingi debeant, in aliis verò res arbitrii ſit, atque hoc maximè conveniens eſt. Sunt autem hæc tria ZAJIN *ponenda ſuper ſingulis literis* (vocum memorialium) SCHAATNEZ GATZ (ſeu litterarum שעטנז גץ) *& tres ſuper* MEM CLAUSO, *nec non litterâ* HE, *idque præter duo illa* ZAJIN, *quæ ſupra deſcripſimus, ut adeò in univerſum eorum quinque ſint. Tum quoque ſuper littera* KOPH *in quibusdam locis duo, in quibusdam tria* ZAJIN, *exceptâ coronâ quam deſcripſimus: Præterea ſuper duo* THET *vocis* THOTHAPHOT *quidam dicunt tria* ZAJIN *non ſufficere, ſed quatuor illis* (imponi debere.) Pluribus de iisdem quoque egit EPHODÆUS in *Grammat.* laudatus BUXTORFIO in *Lex. Maj.* in voce תגא & inprimis *Beth Joſeph*, in *Orach Chaijim* f. 25. b. ſeqq. conf. *Menachot* f. 29. b. Interim tamen harum coronarum hſc loci nullam rationem habendam eſſe cenſeo, quia ad eſſentiam litterarum minimè pertinent, ut ABRAHAM DE BALMES quoque agnovit loco modo adducto, atque adeò ſine ullo damno aut periculo adeſſe aut abeſſe poſſunt, quemadmodum & in codicibus impreſſis non inveniuntur, neque etiam in Mſc. ſemper, ſaltem tam ſollicitè atque eleganter addi ſolent, niſi quis eâ de re ſigillatim cum ſcribâ paciſcatur, unde & MAIMONIDES diſertè fatetur, ſi abſint, aut plura paucioráve ſint addita, *Librum Legis* aut *Phylacteria* idcircò minimè vitioſa evadere, loc. adducto §. 9. ואם לא עשה התגין או הוסיף אי גרע בהן לא פסל *Quodſi non fecerit coronas, aut easdem auxerit vel imminuerit,* (ſcriptura) *idcircò minimè vitioſa evadit.* & *Hilch. Sepher Torah* cap. VII. §. 8, 9. conf. & Sepher *Mitzvot Gadol* f. 108. a. licèt tamen non deſint inter Rabbinos, qui eandem hoc defectu omnino vitioſam evadere ſtatuant, vid. *Haggahoth Maimonijot* ad h. l.

IX.

Præter has autem *coronas*, dantur adhuc aliæ, quas ut monui, in oppoſitione priorum *minores* appellare poſſes. Hæ cum קוצים ſeu *apicibus* conjungi ſolent, ut apud ſcriptores laudatos paſſim videre eſt, & utræque eſſentialem litterarum partem, & ſigna diagnoſtica conſtituunt, quibus ab aliis litteris illis quodam.

dammodo ſimilibus diſtingui debent. Per coronas enim has intelliguntur ductus quidam præcipuè in ſummitate aut fronte litterarum pingi ſolitæ. Sic ex. gr. ductus ille nonnihil incurvatus in ſuperiore 𝔷 BETH parte ad ſiniſtram hoc nomine inſignitur apud BALMESIUM loc. adducto, quando ejus figuram deſcribens ait: בית צריך שיהיה לו תג למעלה לצד שמאל בפניה BETH *debet habere coronam in ſuperiore parte ad latus ſiniſtrum à fronte*. Idem de HE docet: הא יכתוב הגוף כמו דלת מכש ובראשו השמאלי תג: *Ad* HE *quod attinet*, *ſcribat corpus ejus planè ut Daleth*, *& in capite ejus ſiniſtro coronam.* Sic ZAJIN duabus coronis inſtruit his verbis: זין ראשה עב משני צדדים והגוף יורד באמצע קצר ולא ארוך שלא תדמה לנון פשוטה ויש לה שני תגין משני ראשיה ZAJIN, *caput ejus craſſum eſt*, *ab utroque latere*, *& corpus ejus deſcendit in medio*, (ſed) *breve* (eſſe) *debet*, *non longiùs protractum*, *ne ſimile evadat τῷ Nun extenſo* (finali) *habétque duas coronas ex utroque capite* (capitis latere.) Similia de litterâ CHET, JOD, LAMED &c. docet: Eadem fuſius quoque traduntur in *Arba Turim*, Ord. *Orach Chaijim* vid. infra §. XI.

X.

Coronulis his junguntur APICES, quorum duplex apud Rabbinos appellatio, ſcilicet עוקץ & קוץ occurrit. Vox עוקץ propriè denotat *petiolum*, unde עוקץ תאנים eſt *petiolus ficuum*, atque hinc in hoc negotio vox uſurpatur de *extremitatibus aut apicibus quibusdam quoque litteris addi ſolitis.* Ita in ulteriori 𝔷 BETH deſcriptione pergit BALMESIUS ועקב למטה כדי שלא תראה ככף העוקץ מראה את האלף שהיא ראשונה: *& calcaneum* (debet habere) *in inferiori parte*, *ne ſimilis videatur τῷ Caph*, *apex oſtendit* (litteram) *Aleph*; (i. e. ad illud latus apponitur, ubi in ſerie litterarum Alphabeti ſtat Aleph, ita ut illud quaſi monſtret) *quæ eſt prima littera* (Alphabeti.) Ita quoque de DALETH monet יש לכתוב ראש הדלת ארוכה שלא תדמה לוין והרגל עבה לצד הגוף ולא יעשה.

יעשה ארוכה שלא תדמה לכף פשוטה ויעשה לה עוקץ באחוריה: *Caput* τῦ Daleth *pingi debet longum, ne ſimile videatur* τῷ *Zajin, & pes craſſus verſus corpus, nec nimium prolongandus eſt, ne aſſimiletur Caph extenſo* (*finali*,) *tum quoque* Apex *apponi debet à poſteriori parte*: & ſic in reliquis. Per קוץ quæ vox propriè *ſpinam* innuit, indicatur lineola exigua inſtar ſpinulæ, ab inferiori præcipuè parte, & maximè quidem τῷ *Jod*, aut *Aleph*, in cujus figuram *Jod* influit, addita, unde *Jod* in ſummitate coronam תג in inferiori parte קוץ habere dicitur, ut idem Grammaticus oſtendit: יוד יש לה תג למעלה וקוץ למטה וראשה כפוף ורגלה קצרה ועמוקה לצד שמאל שלא תדמה לוו: Jod *habet coronam à parte ſuperiore, & ſpinam* (קוץ) *in inferiore, capútque ejus eſt complicatum, pes verò brevis & obliquus* (incurvatus) *ſiniſtrorſum, ne ſimile videatur* τῷ *Vav*. Ita quoque in Indice Maimonid. *Hilch. Tephillim* præmiſſo, ubi generalis inſcriptio capitis primi eſt, יבאר בתפילין ומזוזה וס״ת אם קוצו של יוד מעכב: *Explicat* (caput hoc) *de Phylacteriis, Mezuza & Libro Legis, an ſpinula litteræ Jod* (ea) *retardet* (illegitima reddat?) conferantur de eadem locutione loca infra paſſim adducenda. Sic & litteræ *Aleph*, quam ex duabus litteris *Jod* & lineâ transverſâ compoſitam Judæi ſtatuunt, non ſolùm aliquando tribuitur, ſed & de aliis litteris occurrit, ut in Vajikra Rabba f. 185. 3. ad verba Cantici V. 11. שחורות כעורב *nigræ ut corvus*, dicitur אלו קוצי אותיות *hi ſunt apices litterarum*. conf. & locum ex R. Meier *Schevile Emunah* à Cappello in *Spicileg.* adductum. Denique autem, & quod ante omnia hîc loci obſervandum, nonnunquam de ipſo pede, ſeu incurvato ductu litteræ Jod uſurpatur, qui præcipuus ejus character, & cum coronâ in capite ſignum diagnoſticum conſtituit, quo à puncto diſtinguatur. Saltem ita disertè vocem explicat *Rabbi* Salomon Isaacides in loco *Menachot* f. 29. a. quando ad verba לא נצרכה אלא לקוצו של יוד *nihil opus eſt* (ut nempe Scriptura illegitima fit) *quàm apice litteræ Jod* (ut ſcilicet is non rectè de-

 linea-

lineatus ſit) ita commentatur וקצו של. יוד רגל ימיני של יוד *Apex litteræ Jod* i. e. *pes dexter litteræ Jod*, tum verò mox rationem addit, ad ſequentia Gemaræ verba הא נמי פשיטא *hoc etiam per ſe patet* (quid igitur opus erat talia monere?) ita pergit הא לא נעשית אות (i. e.) ſenſus verborum Gemaræ, quòd hoc etiam per ſe pateat, atque adeò opus non fuerit id monere, eſt, quia ſi apex ille ſeu pes litteræ Jod, non rectè ſcriptus ſit, *patet non eſſe literam.* Non ignoro quidem nonnullos Judæorum operam dare, ut hæc RASCHII verba in alienum ſenſum detorqueant, v. CESEPH MISCHNE ad MAIMON. *Hilch. Tephill.* Cap. I. §. 1. verùm qui eorum explicationem legit, ultrò deprehendet, illos more ſuo nodum in ſcirpo quærere, nec verba RASCHII alium ſenſum, quàm quem illis adſignavimus, & quem ipſo ſtatim ſono fundunt, admittere. conf. quoque *Commentat.* ad ARBA TURIM Ord. *Orach Chajim* p. 24. b.

X I.

Quòd ſi igitur quæras, quorſum in noſtris N. F. locis propriè reſpici exiſtimemus, reſpondemus, proximè quidem in cenſum venire poſſe *apicem* aut *ſpinulam* τοῦ JOD קוצו של יוד quia JOTA & APEX apud MATTHÆUM conjunguntur, acſi dicere vellet SERVATOR, non ipſam litteram *Jod*, licèt minimam totius Alphabeti, imò ne *ejus quidem minimum apicem* interiturum. Atque ſic ſimul patet, quare inprimis hujus apicis mentio injiciatur, quia nempe ut minimus apex minimæ litteræ adhæret, & Judæi rem minimam, tam in litteris, quàm in rebus ipſis, קוצו של יוד *apicem* τοῦ *Jod* appellare conſueverunt. Ut partim ex locis jam adductis, partim adhuc infra §. XV. & XVII. adducendis, indubium eſt. Ut adeò locutio hæc de *uno Jota* & *uno apice* apud Judæos in proverbium abiiſſe, non immeritò *Illuſtri* GROTIO, & cum illo quoque VORSTIO *de Adagiis N. T.* Cap. XI. viſa ſit. Quod judicium inprimis quoque de *apice litteræ Jod* ferri debet. Interim vel ex hoc ſolo ſimul patet, rem non ad *ſolum apicem litteræ* JOD reſtringendam

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ſed potiùs cùm & aliis litteris ſui *apices* jungantur, quin. & eundem aut certè ſimilem uſum תגים *coronæ* & עוקצים *petioli*, de quibus §. X. actum eſt, hábeant, tum verò ſimilium ſimilis ſit ratio, nullam cauſam eſſe, quare non omnia hæc in unum conjungantur, inprimis quia in loco parallelo Luc. XVI. 17. omiſſâ litterâ JOD, tantùm *μία κεραία τοῦ νόμου unus apex legis memoratur*. Tales autem ductus, aut lineolas, à Servatore hîc intelligi, manifeſtum eſt, quia.

1. Sine dubio de iſtiusmodi minutiſſimis rebus loquitur, à quibus ipſius Legis integritas atque ſenſus pendet, ita ut illis intercidentibus, aut neglectis, aliquid ex ipſâ Lege ejúsque vero ſenſu pereat. Ita autem verè cum his ductibus eſt comparatum, unde & tantopere Judæi commendant, ad eos ſollicitè attendere, inprimis quoniam ceteroquin ſenſus planè falſus, intentioni Legiſlatoris contrarius, eóque indignus, emergere poſſet. Elegans hanc in rem locus exſtat in *Rabbotb.* f. 186. a. ſupra jam à nobis adductus in Diſſert. *de Altari Jebovæ in mediâ Ægypto* ad Jeſ. XIX. 18. cui plures ſimiles laudat SCHÖTGENIUS in *Hor. Hebr. ad b. l. Mattb.* quibus junge quem infra adducemus §. XV. Addi tantùm hîc meretur quòd & ipſi Judæi omnes iſtiusmodi ductus aut lineolas, ſive *coronarum*, ſive *apicum*, ſive quocunque alio nomine inſigniantur, aut inſigniri queant, eadem ratione conſiderent, ut ſi quid in illis omiſſum, non ſatis aut nimis longè productum, aut alio modo non ritè aut clarè & diſtinctè exaratum ſit, ita ut indoctior verba rectè legere non poſſit, Scripturam talem illegitimam eſſe exiſtiment. Juvat eum in finem unicum locum ex ARBA TURIM ſeu BETH JOSEPH Ord. *Oracb Cbajim* f. 24. a. & b. ſed qui multorum aliorum vicem ſupplere poterit, adducere; אלו האותיות שצריך לדקדק בכתיבתן שבקל אדם טועֿ בהם הא״לף צריך להזהר בנקודה שעלי׳ שהיא כמין יוד שתגיע בה וכן כל האותיות צריכו׳ להיות גולם אח׳ לכך צריכות כולן ליגע כגון הנקודה בש״ן ובעי״ן ומה שאחורי הצד״י ובאחת

 שאינה

שאתה נוגעת פסולין חוץ מרגל הה״י והקו״ף שאותן לבד אין
להם ליגע ואם נגעו׳ פסולין בי״ת צריך ליזהר בתג שאחוריה
לרבעה שלא תהא נראית ככ״ף וצריך שיהא לה בראשה מצד
שמאל תג קטון: דל״ת צריך ליזהר בתג של אחורי׳ לרבעה
שלא תהא נראית כרי״ש הי״א יש לה תג קטון למעלה מצד שמא׳
כדאית׳ בפ׳ הקומץ ס״ט אית לה׳ תג״א ופרש״י יש לה תג קטון
בסוף גגה למעלה ור״ת פי׳ דמ״רי בעוקץ של אחוריה לרבעה
שלא תהא עגולה מאחוריה וטוב לעשות כדברי שניהם: חי״ת
איתא בפ׳ הקומץ חזינ׳ לספרי דוקני דחטרי לגגה דחי״ת ופרש״י
במין חוטרא שלצד שמאל יש לה למעלה כמין מקל כזה ור״ת
פירש שיש לה להיות גובה באמצע גגה כזה מלשון חטוטרו׳
וזהר שלא יאריך רגל הזו״ד שלא תהא נראית כוי״ו ולא
יקצור רגל הוי״ו שלא תהא נראי׳ כיו״ד וכן רגל הזי״ן לא
יאריך שלא נראית כנו״ן פשוטה ולא יקצר רגל הנון שלא תהא
נראי׳ כזי״ן ור״ת פי׳ שהי״וד צריך שיהי׳ ראש שמאלה כפוף
למטה כזה כדאיתא בפר׳ הקומץ מפני מה ראשה של יו״ד
כפוף ואיתא בפסיקתא העולם הבא נברא ביו״ד מה יו״ד יש לה
נקודה אחת למטה רמז למתים שיורדין לגיהנם ואחת למעלה
רמז שעתידין לעלות ולפ״ז יש ליו״ד ת״ג למעלה וגם כפוף למט׳
הש״ת היה אומר ר״ת שצריך שיהא ראש ימין שלה כפוף
למטה כזה ט׳ והכף יזהר לעגלה מאחוריה שלא תהא נראי׳
כבית והס״מך צריך לעגלה משלש רוחותיה שלא תהא
נראית כמ״ם סתומה ובכל אות שיש בה ספק מייתינן
ינוקא דלא חכים ולא טפש אם יכול לקרותה כשר:

Ha

Hæ ſunt litteræ ad quas in ſcribendo probè attendendum eſt, quoniam facilè quis in illis errat: In literâ ALEPH *monitus eſſe debet, de puncto* (ductu) *ſuperiore, quod eſt inſtar Jod, ut id ipſam litteram* (ſeu lineam obliquam in medio § Aleph) *tangat. Atque ita omnes literæ unam tantùm figuram conſtituere, eámque ob cauſam omnes ductus ſe invicem tangere debent, ut exempli gratiâ punctum §* SCHIN (NB. non hîc intelligitur punctum diacriticum literæ *Schin* & *Sin*, hoc enim non tangit corpus ipſum litteræ, ſed apices in ſuperiore parte ipſius litteræ) *&* AJIN, *& quod eſt in poſteriore parte §* TZADE. *quod ſi vel unus ductus literam non tangat, ſcriptura vitioſa eſt, excepto pede §* HE, *&* KOPH, *qui ſolus litteram tangere non debet, quod ſi eam tangat, Scriptura vitioſa eſt. Circa* BETH *monitus eſſe debet de coronâ, ut poſterior ejus pars ſit quadrata,* (angulum acutum habeat) *ne videatur ut Caph, tum quoque oportet, ut in capite* (fronte) *à latere ſiniſtro habeat coronam parvam.* [Quæ paulò clariùs ita traduntur in commentario: Beth ſit quadratum (acuminatum in inferiore parte nempe lateris dextri) habeátque petiolum acutum ſurſum ad latus dextrum tendentem verſus Aleph (in ordine nempe quo litteræ Alphabeti ſcribuntur) & calcaneum craſſum inferius, tum verò virgam exiguam ſurſum in latere ſiniſtro à fronte] *In literâ Daleth monitus eſſe debet de coronâ à poſteriore parte, ut ibi ſit acuminata, nec appareat inſtar* RESCH. HE *habet exiguam coronam in ſuperiore parte à latere ſiniſtro, quemadmodum eſt in capite* III. MENACHOT (*f.* 29. *b.*) *quare* HE *habet coronam? Raſchi id explicat, eſt illi corona parva in fine tecti ejus ſupernè, R. Tam autem interpretatur, quod ſermo eſt de petiolo in parte poſteriore, ut à poſteriore parte acutum, non rotundum ſit, optimúmque eſt, ut ex utriusque ſententiâ pingatur. Ad litteram* CHET *quod attinet, eſt in cap.* III. MENACHOT (ibid.) *videmus in libris accuratiſſimis, quòd virgæ in tecto litteræ* CHET. *Raſchi id interpretatur quòd ſit inſtar virgæ ad latus ſiniſtrum in ſuperiore parte in formâ baculi hoc modo: R. Tam autem explicat, quòd ſit elatum quid in medio tecti, hoc modo, ſecundùm ſignificationem vocis* חטוטרות (quæ gibbum denotat) *Porrò monitus eſſe de-*

debet, ne perlonget pedem litteræ Jod, *quò minùs videatur eſſe* Vau, *neque breviorem faciat litteram* Vau, *ne appareat inſtar* Jod. *Atque ita quoque ne protrahat nimium pedem litteræ* Zajin, *quò minus videatur eſſe* Nun *finale, neque decurtet pedem* Nun *finalis, ne ſimile videatur* τῷ Zajin. *Præterea R. Tam docet, quòd caput ſiniſtrum* י Jod *debet eſſe incurvatum deorſum hoc modo, quemadmodum eſt in Cod.* Menach. *cap.* III. *Quare caput literæ* Jod *eſt incurvatum? Exſtat autem in Peſikta: Mundus futurus creatus eſt per litteram* Jod. *Quomodo res ſe habet cum litterâ* Jod? *Eſt illi punctum unum deorſum, quod alludit ad mortuos qui deſcendunt in infernum, alterum ſurſum, quod imaginem gerit eorum qui adſcendent. Atque hanc ob cauſam* Jod *habet coronam in ſuperiore parte, & incurvatum eſt in inferiore. Litera* Thet, *ut R. Tam ait, debet habere caput dextrum incurvatum deorſum hoc modo* ט. *Quod autem ad litteram* Caph *ſpectat, monitus eſſe debet, ut illud à tergo rotundum faciat, ne videatur eſſe* Beth. Samech *autem debet rotundum eſſe à tribus lateribus, ne videatur eſſe* Mem *clauſum. Denique ſi de ullâ litterâ dubium accidat,* (utrum nempe rectè ſcripta ſit) *adducunt infantem, qui non eſt ſapiens, nec inſipiens, & ſi eam rectè legere queat, ſcriptura legitima eſt.* conf. & Abr. de Balmes loc. ſupra laudato ut & Sepher Mitzvoth Gadol f. 108. a. Ad clariorem autem horum verborum intellectum monendus es, B. L. licèt ſæpius dicatur, litteras *hoc modo* ſcribi debere, figuras tamen, ſaltem in recentioribus editionibus, additas non eſſe, at ex circumſtantiis tamen res haud difficulter colligi poteſt. Ceterùm ex iisdem verbis haud obſcurè patet, omnes illas lineolas aut ductus, qui eſſentiam litterarum, earúmque ab aliis diſcrimen faciunt, hac in re eodem loco haberi, quin & peculiares denominationes coronarum, apicum, petiolorum, aut etiam virgularum, inter ſe permutari, quod ex commentario marginali, qui nimis diffuſus eſt, quàm ut hîc integer apponi queat, propiùs eluceſcit. Ut adeò non immeritò phraſibus à Servatore adhibitis omnia hæc, aut ſimilia quoque ductuum genera comprehenſa eſſe cenſeantur.

Digitized by Google

X I I.

Accedit 2. quòd quemadmodum Servator ex more gentis ſuæ loqui ſolet, ipſéque tam apud MATTHÆUM, quàm LUCAM, de μία κεραία τȣ̃ νόμȣ loquitur, ita & Judæi de קוץ אחת *apice uno* in ſimili negotio loqui conſueverunt. Sic MAIMONIDES in *Hilch. Tephillim* cap. 1. §. 1. ואפילו קוצו של אות א׳ מארבע פרשיות אלו מעכב את כולן מן התורה עד שיהיו נכתבות שלמות *Et licet vel apex unius litteræ ſit*, (μία κεραία) *ex quatuor illis ſectionibus*, *retardat* (illegitimas reddit) *omnes ex Lege*, *donec* (ſingulæ) *perfectæ* (integræ) *ſcriptæ ſint.*

X I I I.

3. Convenit ipſa appellatio Græca κεραία, quæ & de apice, & certo ductu litterarum adhiberi ſolet. Dudum eum in finem obſervarunt Viri Docti in GLOSSIS VETERIBUS legi κεραία, γράμματος ἄκρον, *apex*, *litteræ faſtigium*, & apud HESYCHIUM κεραία, ἀρχὴ γράμματος, *apex*, *initium literæ*. vid. OLEAR. de *Stylo* N. T. in *Syntag.* RHENFERD. p. 29. Sic PLUTARCHO in *Numa* memorantur κεραίαι γραμμῆς, ut jam obſervavit STEPHANUS in *Lex.* & GROTIUS ad *Matth.* locum adductum, qui inſuper addit, ſimili ſignificatione vocem apud DIONEM CHRYSOSTOMUM, PHILONEM JUDÆUM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM, & in PSEUDO SIBYLLINIS occurrere, conf. VORSTIUS *de Adagiis N. T.* in eodem *Syntag.* RHENF. p. 534. Conferendum quoque SEXTUM EMPIRICUM 643. eſſe, monet WOLF. in *Cur. Criticis*, ad quem locum etiam *Celeb.* FABRICIUS contulerit verba Scholiaſtæ ad NICANDRI *Alexipharmaca* p. 86. dicentis Κεραία λέγεται τὸ ἄκρον καὶ ἔσχατον.

X I V.

4. Nec abludit figura horum ductuum, æquè ac eorundem nomina, apud Judæos uſitata. Coronulæ enim illæ verè literis inſtar cornuum in capite & à fronte, circulari quodammodo ductu, ſunt additæ, tum quoque Judæis in more poſitum eſt,

 omnibus

Digitized by Google

omnibus prominentiis *cornuum* nomen dare, licèt illorum figuram planè non exhibeant, ut ex *cornibus altaris*, quæ unanimi omnium Judæorum conſenſu, nihil cum propriè dictis animalium cornibus commune habuerunt, ſed potiùs moleculæ quadratæ fuerunt, patet. Neque impedit, quòd nonnulli horum ductuum in inferiori litterarum parte ponuntur, nam & in hoc ſitu nomen illud ab ipſis Judæis adhiberi, ex illis manifeſtum eſt, quæ ſupra §. 10. monita ſunt. Quin & ſignificationem cornuum voci עוקציכ quæ de quibuſdam horum ductuum adhibetur, propiùs adhærere, ex Arabiſmo patet, عقص enim denotat *inflexum fuit capri* CORNU, & اعقص CORNIBUS *ponè aures inflexis caper*, & معقاص *Ovis cui incurvatum* CORNU.

X V.

5. Denique nec illud prætereundum, quòd eadem ratione uti Servator, ſi intercidat JOD aut UNUS APEX, *κεραία μία*, ex Lege, id conſiderat, ac ſi ipſa Lex intereat, illúdque idcircò *ἀδύνατον* pronunciat, quin & cum interitu rerum maximarum, imò ipſius mundi comparat, & denique hunc potiùs interiturum, quàm illa, aſſerit; ita Judæi eadem ratione de illis ductibus, ídque aliquando etiam in conjunctione cum litterâ JOD, quæ apud Matthæum quoque occurrit, loquuntur. Attulerunt jam multa huc facientia loca HAKSPANIUS *de uſu Libror. Rabbin.* ut & LIGHTFOOTUS & SCHÖTGENIUS in *Hor. Hebr.* ad *Matthæum*, quibus, ne & huc *ἀσύμβολος* veniam, unum tantùm inſignem, & ad nonnullorum ſuperiùs jam memoratorum illuſtrationem egregiè facientem, ſubjungam. Exſtat is in *Jalkut* SCHIMONI in *Schir Haſſchirim* f. 18. 2. א״ר ועירא אפילו דברים שאתה רואה אותם קוצים בתורה תלתלים הם יכולים הם להחריב את העולם ולעשותו תל כענין שנאמר והיתה תל עולם כתיב שמע ישראל יי׳ אלדינו יי׳ אחד אם אתה עושה דל״ת רי״ש אתה מחריב כל העולם שנאמ׳ לא תשתחוה לאל אחר

אחר אם אתה עושה רי"ש דלי"ת אתה מחריב את העולם כתיב
ולא תחללו את שם קדשי אם אתה עושה חי"ת ה"א אתה
מחריב את העולם כתיב הנשמה תהלל יה אם אתה עושה
ה"א חי"ת אתה מחריב את העולם כתיב אין קדוש כיי' אם אתה
עושה כ' ב' אתה מחריב את העולם כתיב כחשו ביי' אם אתה עושה
ב' כ' אתה מחריב את העולם ר' אלכסנדרי קרי ליה שחור
כעורב אם מתכנסים כל העולם להלבין כנף אחד של עורב אינן
יכולין כך אם מתכנסין כל העולם לעקו' דבר אחד מן התורה
אינן יכולין ממי אתה למד משלמה שבקש לעקור דבר אחד
מן התורה ועלה קטיגורו מי קטיגורו ר' יהודה בר לוי אמר יו"ד
של ירבה קטיגורו תני רשב"י ספר משנה תורה קטגור עלה
ונשתטח לפני הב"ה אמר לפניו רב"שע עקרני שלמה ועשאני
פלסתר שדייתיקי ששנים ושלשה דברים בטלים ממנה כלה
בטלה וחרי שלמה בקש לעקור יו"ד ממני כתיב לא ירבה לו
סוסים והרבה לו כתיב לא ירבה לו נשים והרבה כסף וזהב לא
ירבה לו והרבה לו אמר הב"ה צאי ליך הרי שלמה ומאה
כיוצא בו בטלים ויו"ד ממך אינה בטלה ר' הונה בש"ר אחא
אמר יו"ד שנטל הב"ה משרה היה פורח באויר ועם לפני כסאו
של הב"ה אמר לפניו רב"שע ומפני שהייתי קטנה של אותיות
הוצאתני משמה של צדקת אמ' לה היית בשם' של צדקת
נקבה ובסוף עכשיו אני נותנך בשמו של זכר ובראש שנאמר
ויקרא משה להושע בן נון יהושע: *Dixit R. Seirah, li-
cèt ſint res quæ tibi videantur eſſe inſtar ſpinarum* (levium
apicum, aut nullius momenti, conf. infr. §. XVII.) *in Le-*

Yy 2 *ge,*

ge, tumuli tamen ſunt, poſſúntque vaſtare mundum, & in tumulum illum convertere, quemadmodum dictum eſt (Deut. XIII. 16.) & *erit in tumulum mundi* (æternum) *Scriptum eſt*, (Deut. VI. 4.) *Audi Iſraël, Jehova Deus noſter Jehova unus eſt, ſi tu ex Daleth facias Reſch, vaſtabis mundum. Quemadmodum dicitur* (Exod. XXXIV. 14.) *non incurvabis te Deo alieno, ſi* (hîc) *facies ex Reſch Daleth, vaſtabis mundum. Scriptum eſt*, (Lev. XXII. 32.) *non profanabitis nomen meum ſanctum, ſi ex Chet facias He, vaſtabis mundum. Scriptum eſt*, (Pſalm. CL. 6.) *anima celebrabit Dominum: ſi tu ex He facias Chet, vaſtabis mundum. Scriptum eſt* (1 Sam. II. 2.) *non eſt Sanctus ut Jehova; ſi ex Caph facias Beth, vaſtabis mundum. Scriptum eſt* (Jerem. V. 12.) *abnegarunt Dominum, ſi tu ex Beth facias Caph, vaſtabis mundum. R. Alexander dixit illi: nigræ ſunt ut corvus: ſi congregaretur totus mundus, ut unam alam corvi faceret albam, id facere non poſſet: ita quoque, ſi congregaretur totus mundus ad id, ut unum verbum ex Lege exſtirparet, id facere non poſſet. Unde id diſcis? Ex Salomone, qui quæſivit exſtirpare verbum unum ex Lege, ſed adſcendit* κατήγορος *ejus: Quis autem erat* κατήγορος *ejus? R. Jehuda filius Levi dixit, Jod in voce Jarbe* (Deut. XVII. 16, 17.) κατήγορος *ejus. Dixit R. Simeon Ben Jokhai, Liber Deuteronomii* κατήγορος (fuit. Hic enim) *adſcendit, & proſtravit ſe coram Sancto illo Benedicto, dixitque ipſi, Domine mundi, Salomon eradicavit me, atque adulteravit me, quia teſtamentum in quo duo aut tria verba irrita fiunt, totum irritum eſt. Ecce autem Salomon quæſivit ex me exſtirpare* (litteram) Jod. *Scriptum* (enim) *eſt* (Deut. XVII. 16, 17.) *Non multiplicabit ſibi* (Rex) *equos, at ipſe ſibi multiplicavit: Non multiplicabit ſibi mulieres, at ipſe ſibi multiplicavit: Argentum atque aurum non multiplicabit ſibi, at ipſe multiplicavit. Dixit ipſi Sanctus Benedictus. Prodi, vade, ecce Salomon & centum ipſi ſimilis peribunt, ex te autem* ne Jod quidem peribit. *R. Hunna nomine R. Acba dixit*, Jod *quod abſtulit S. B. ex nomine Saræ* (dum nempe Deus dixit, non amplius Sarai appellandam eſſe, ſed Sara nomen ejus futurum) *volitavit in aëre, & motitavit ſe coram throno S. B. dixitque illi: Domine mundi, quoniam ego*

MINI-

MINIMA LITTERARUM *ſum, eduxiſti me ex nomine juſtæ. Reſpondit ipſi, fuiſti in nomine juſtæ mulieris, idque in fine, nunc ego te collocabo in nomine Viri, & quidem in initio, quemadmodum dicitur*, (Num. XIII. 16.) *& vocavit Moſes Hoſeam filium Nun Jehoſchua.*

X V I.

Atque hinc jam facilè colligi poteſt, quid Servator propriè his verbis velit, quando locis adductis ait: Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται. *Amen enim dico vobis, donec præterierit cœlum & terra, Jota unum aut apex unus non præteribit à Lege, usque dum omnia fient.* & Luc. XVI. 17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν. *Faciliùs enim eſt, ut cœlum & terra prætereant, quàm unus apex Legis cadat.* Phraſes has *prætereundi* aut *cadendi Clariſſ.* SCHÖTGENIUS confert cum locutionibus Rabbinorum בטלה אות מן התורה *aboletur littera ex Lege*, aut נעקר אות אחת *eradicatur littera una.* Verùm quemadmodum lubens concedo, ſi rem ipſam ſpectes, has idem dicere, quin & Rabbinos illis præcipuè hac in re phraſibus uti, ita tamen non exiſtimo, eas ad verbum cum græcis illis convenire; ſed τὸ παρελθεῖν potiùs exactè convenit hebræo עבר quod propriè *præterire* denotat, impropriè autem uſurpatur de rebus quæ poſtquam præterierunt, vel planè amplius non ſunt, ut ex. gr. tempus præterlapſum, vel ſaltem non in priori ſuo loco aut ſtatu inveniuntur. vid. Job. XVII. 11. Pſalm. XC. 4. Cant. II. 11.

Eodem ſenſu Græcum παρελθεῖν ſæpius in N. T. occurrit Matth. XIV. 15. XXIV. 34. 2 Cor. V 17. Jac. I. 10. quin & de ipſâ illâ magnâ mutatione, quæ cœlo & terræ, ſeu toti mundi hujus Syſtemati imminet, adhibetur Matth. XXIV. 35. & 2 Petr. III. 10. Neque hinc longè abit altera vox πεσεῖν, utpote quæ & ipſa ſæpiſſimè pro *interire*, *irritum fieri* aut *reddi*, *ſine effectu* aut *implemento manere*, uſurpatur. Hoc ſenſu he-

hebræum נפל occurrit Num. VI. 12. ubi de Naziræo, qui mortuo inquinatus erat, eámque ob cauſam votum denuò incipere tenebatur, ita ut dies, quos jam antea in Naziræatu exegerat, planè non ſupputarentur, dicitur: והימים הראשנים יפלו כי טמא הוא & *dies priores cadent* (irriti erunt) *nam immundus eſt*. Ita etiam de verbis uſurpatur, quæ eventu, effectu aut implemento deſtituuntur, ut Joſ. XXI. 45. לא־נפל דבר מכל הדבר הטוב אשר־דבר יהוה אל־בית ישראל הכל בא: *Non* CECIDIT VERBUM *ex omni illo bono verbo, quod locutus eſt Jehova ad domum Iſraëlis, omne venit.* conferantur & loca quæ ex Joſ. XXIII. 14. 1 Sam. III. 19. 1 Reg. VIII. 56. 2 Reg. X. 10. Eſther. VI. 10. tetigerunt HOELTZLINUS ad APOLLONII RHODII *Argonaut.* Lib. IV. vſ. 389. & OLEARIUS in *Syntagm.* RHENFERD: *de Stylo N. T.* p. 31. Uterque hunc verbi πεσεῖν uſum Hebräiſmis annumerat; & ſanè dubitari nequit, Servatorem ex more gentis ſuæ ita Hebraicè aut Syriacè locutum eſſe. Interim tamen Græci aliquando æquè ac Latini eodem modo loquuntur. Luculentus hanc in rem locus eſt EURIPIDIS in *Hippolyto* ab HOELTZLINO quoque tactus. Exſtat is vſ. 41.

> Ἀλλ' οὔ τι ταύτῃ τόνδ' ἔρωτα χρὴ πεσεῖν.
> *Sed non oportet hunc amorem iſti excidere.*

Ubi ad voces δεῖ πεσεῖν adnotat *Scholiaſtes* ἀνενέργητον γενέσθαι· Idem HÖLTZLINUS confert alterum locum, qui occurrit in *Iphigenia Taurica* vſ. 120. 121.

> Οὐ γὰρ τὸ τοῦ Θεοῦ γ' αἴτιον γενήσεται
> Πεσεῖν ἄχρηστον θέσφατον.
> *Non enim Dei* (numen) *culpandum erit,*
> SI CECIDERIT IRRITUM *oraculum.*

Eodem facit ipſe APOLLONII locus ἀκράαντα ἐν γαίῃ πεσέειν *irrita in terram cadere*, quæ locutio adhuc propiùs convenit locis 1 Sam. III. 16. & 2 Reg. X. 10. Ita quoque verba

Rom.

Digitized by Google

Rom. IX. 6. οὐκ ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, S. *Rever.* Mos- HEMIUM de *oraculis* & *ſermonibus Dei nunquam irritis* accipere, monuit WOLFIUS ad h. l. Eadem ſignificatione latinum CADERE adhibetur. Sic CICERO Lib. XIII. *ad Famil.* Epiſt. XLVII. *Illa noſtra ſcilicet ceciderunt.* ad quem locum vid. plura apud MANUTIUM. Eodem faciunt locutiones CICERONIS & LIVII *in irritum cadere*, aut *ſpes ad irritum cadit*, nec non OVIDII *Heroid.* Epiſt. III. vſ. 98.

At mea pro nullo pondere verba cadunt.

XVII.

Hinc igitur & generatim verbis his innui poteſt provida illa Dei cura, quâ integritati Sacri Codicis ſartæ tectæ conſervandæ ita ſit invigilaturus, ut ad mundi finem usque ne minima quidem litterula aut minimus litterarum apex ſit interiturus, imò longè facilius eſſe, ut tota hæc mundi compages ſolvatur, fractúsque illabatur orbis, quàm vel unius verbi divini apex pereat.

Verùm licèt id meritò in his verbis ſupponatur, non tamen propriè Servator ad litteras reſpexit, ſed ad res potiùs litteris ſignificatas, ut vel ex toto orationis Servatoris ſcopo & nexu patet. Diſertè enim apud MATTHÆUM commate præcedente 17. dixerat: *Ne cenſeatis me veniſſe, ut ſolvam Legem, aut Prophetas, non veni ut ſolvam, ſed ut impleam.* Ita quoque ſtatim com. 19. ſubjungit: *Quicunque igitur ſolverit unum horum minimorum præceptorum, atque ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, qui verò fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Sic & apud LUCAM modo com. 16. *præceſſerat: Lex & Prophetæ vaticinati ſunt usque ad Johannem* &c. Eadem ratione quoque Judæi per illos litterarum apices aliquando non ipſos ductus, ſed res Lege aut verbis Scripturæ Sacræ contentas innuere ſolent, ut in *Vajikra Rabba* f. 185. 4. א״ר זעירא אפ׳ דברים שאתה רואה אותן קוצין

קוצין בתורה תלהלי תלתלים הן יכולים להחריב כל העולם כולו ולעשות אותו תל: *Dixit R. Seira, licèt res ſint, quæ tibi videntur inſtar ſpinarum* (levium apicum, vel ut in *Mattenot Cebunna* phraſis explicatur, בלי צורך בקוצים הללו *rerum nullius momenti ut apices hi*) *in Lege, ſunt hæ magni* (multi) *tumuli, quæ poſſunt vaſtare univerſum mundum, eúmque acervum reddere.* & Menachot f. 29. b. אמר רב יהודה אמר רב בשעה שעלה משה למרום מצאו להק"ב שיושב וקושר כתרים לאותיות אמר לפניו ריבונו של עולם מי מעכב על ידך אמר לו אדם אח' יש שעתיד להיות בסוף כמה דורות ועקיבא בן יוסף שמו שעתיד לדרוש על כל קוץ וקוץ תילי תילין של הלכות: *Dixit R. Jehuda nomine τȣ̃ Raf, illo tempore quo Moſes adſcendit in altum, invenit Deum S. B. ſedentem alligantem coronas litteris; dixit ipſi, Domine mundi quis retardat manum tuam? reſpondit ipſi, homo quidam exſtiturus eſt poſt multas generationes, nomine R. Akiba F. Joſephi, qui exponet ſuper unoquoque apice multos tumulos conſtitutionum*, ſeu ut ultima hæc verba reddit Buxtorfius in *Lex. Maj.* in voce תילין *qui commentaturus eſt ſuper rem quamque minimam multos tumulos ſententiarum.* conf. loc. ſupra §. XV. alleg. Atque hinc propriè ſenſus verborum intentióque Servatoris eſt, quòd licèt cœlum & terra interitura ſint, nihil tamen quàm parvum etiam videatur, in Lege aut univerſâ Scripturâ S. inveniri, quod fruſtra futurum, aut vi atque eventu quem Deus in eo intendit, cariturum, aut prædictum vel præfiguratum eſſe, quod non in minimis etiam circumſtantiis implementum ſuum impetraturum ſit. Finio verbis Pauli Lauuenrodis, quibus in initio Carminis, *de Legis tranſlatione & gratiâ per Chriſti fidem juſtificante*, quod non ita pridem *Symbol. Literar.* Tom. II. Part. II. recudi curavi, mentem Servatoris verbáque utriusque Evangeliſtæ ita exhibet:

Moſai-

Digitized by Google

Moſaicam complens venio non ſolvere Legem,
Nullus Moſaicæ Legis abibit apex.
Ante cadet terræ moles & machina cœli,
Quàm cadat ex Moſis Lege minutus apex.

DISSERTATIO XXI.

DE
ΣΑΛΠΙΣΜΩ STIPEM COLLIGENTIUM.
AD MATTH. VI. 2.

I.

Evincere ſupra Diſſertat. XIV. ad Pſal. XL. com. 7. conatus ſum, nonnunquam in Sacris Literis alludi ad mores atque conſuetudines, quarum hodiè quidem non ſatis clara in Judæorum ſcriptis veſtigia exſtant, ſed quæ ex aliorum tamen populorum, maximè Orientis, inſtitutis, haud exiguam lucem accipiunt, & de quibus vix dubitari poteſt, easdem & in illo quondam populo obtinuiſſe. Uti autem talia plurium exemplorum inductione aut collatione præcipuè confirmantur, ita cùm maximè aliud ſatis inſigne, ad quod jam tum provocavi, ſubjungere lubet, ut unum non ſolùm alterum illuſtret, atque ſtabiliat, ſed & loco ſatis hactenus obſcuro, de ΣΑΛΠΙΣΜΩ, quem Servator in *Eleemoſynarum erogatione* tam ſeverè proſcribit Matth. VI. 2. nova, ſi fieri queat, lux affundatur.

II.

Quemadmodum autem omnes Interpretes in eo conveniunt,

& ipſe contextus ſatis clarè docet, quòd ſapientiſſimus Servator abuſum quendam reprehendat, proſcriptúmque velit, quem Hypocritæ illâ ætate obſervabant, ut ex eleemoſynarum erogatione in *plateis & Synagogis* factâ, nomen atque exiſtimationem ſibi apud alios quærerent; ita quis ille fuerit, quaéque adeò propriè verborum mens ſit, hactenus planè incertum manſit, unde tot diverſæ Interpretum ſententiæ natæ, quæ omnes tamen ad duas præcipuè claſſes redigi poſſunt, dum alii verba propriè, alii impropriè ſeu figuratè accipienda cenſent.

III.

Ex priorum numero fuit

1. *Celeb.* GERHARDUS in Harm. Evang. Tom. I. cap. LI. cujus ſententiam dein pluribus peculiari Diſſertatione hîc loci ſub præſidio *S. Rever.* JUNGSTII A. 1707. habitâ, ornavit ante aliquot annos demortuus *plur. Vener. Superattendens Dethmoldienſis* DIDER. KÖLERUS, cenſens in diſtributione eleemoſynarum verè buccinas adhibitas fuiſſe, ad id, ut earum ſono populus convocaretur, ſive eæ jam inflatæ ſint ab ipſis illis, qui easdem erogare volebant, ſive à præconibus aut præcurſoribus, quos hi eum in finem præcedere juſſerint. Verùm uti hac ſententiâ nihil foret ſimplicius, illíque adeò omnium lubentiſſimè ſubſcriberem, ſi vel ullo probabili argumento adſtrui poſſet, ita quò minùs, cùm maximè eidem calculum adjicere queam, graviſſimas rationes habeo. *Primò* enim, omnes circumſtantiæ huic ſententiæ minùs favent. Nam quis quæſo credat, Viros graviſſimos maximaéque auctoritatis atque dignitatis, quales Phariſæi erant, quos propriè hîc tangit Servator, tubas in plateis locíſque publicis inflare voluiſſe, inprimis, cùm ſi id eâ intentione fecíſſent, ut populus ſuam erga pauperes munificentiam videret atque extolleret, nimis craſſè pudendam arrogantiam prodidiſſent: quod ultimum quoque impedit, quò minùs mihi perſuadere queam, id eos per præcones aut præcurſores à ſe conſtitutos fieri curaſſe. Uti enim hypocritæ vanam quam maximè adfectant gloriam, ita nihil minus tamen quàm id agere videri volunt, conſiliúmque ſuum aſtu-

Digitized by Google

aſtutè tegere atque occultare ſolent. Cujus artis inprimis peritiſſimos atque ſtudioſiſſimos fuiſſe Phariſæos, nemo, niſi quem eorum mores penitùs latent, ignorare poteſt. Quid autem ad hanc artem minus quadraſſet, quàm propriæ laudis ebuccinatores datâ operâ conſtituere, ſicque ſummam arrogantiam, & quæſitam ex operibus charitatis apud homines gloriolam, omnibus videndam atque palpandam exhibere. Deinde, quod omnium præcipuum eſt, LIGHTFOOTUS, Vir in excutiendis Judæorum monumentis vix parem habens, non ſolùm disertè monet, *Non inveni, quæſiverim licèt multùm ſerióque, vel minimum tubæ veſtigium in præſtandis Eleemoſynis*, conf. & DEYLINGIUS Obſerv. Sacrar. P. III. Obſ. XXI. nec non SCHÖTGENIUS in Hor. Heb. ad hunc Matth. locum, quibus omnibus lubens hac in re aſſentior, ſed, quod magis eſt, neque apud ullas alias gentes, quantum mihi inveſtigare licuit, unquam talis mos in uſu fuit, ut adeò ſententia hæc omni penitùs fundamento deſtituatur.

I V.

2. *Clariſſimus* TILLIUS in Comment. ad Matth. alludi cenſet ad pompam, quâ Judæi primitias, quibus nonnunquam dona pro pauperibus juncta erant, Hieroſolymam deducebant. Id enim fiebat inſigni ſolemnitate, ita ut omnes regionis aut loci alicujus incolæ, ad urbem ſtationis ſuæ convenientes, cum calathis, quibus primitiæ impoſitæ, iter ingrederentur, agmini autem univerſo præiret tibicen in viâ tibiis canens, donec in atrium templi perventum eſſet, ubi, eodem conticeſcente, Levitæ denuò illos concentu muſico excipiebant, ut fusè docetur in *Biccurim* cap. III. m. 3. conf. & MAIMONID. in *hilcb. Biccurim* cap. IV. §. 16. & 17. Verùm uti hæc ſententia ingenio non deſtituitur, ita tamen nec ipſa rem conficit. Prætcrquam enim, quòd hic non propriè dicta σάλπιγξ, ſed חליל αὐλὸς ſeu *tibia*, adhibebatur, quæ quam diſtinctæ ſint, non ſolùm utriusque vocis uſus, ſed inprimis ÆLIAN. lib. III. V. H. cap. XIV. docere poteſt, Servator ad morem in erogatione eleemoſynarum uſitatum reſpicit, cùm in his circumſtantiis contrà

Digitized by Google

trà tibiæ ſonus ad gaudium, quo primitiæ ad templum adferebantur, excitandum teſtandúmque adhibitus; imò ne ſemper quidem, ſed per accidens tantùm aliquando eleemoſynæ primitiis additæ fuerint. Denique Servator σαλπισμοῦ mentionem injicit, qui in *plateis* & *Synagogis* locum habuerit, cùm primitiæ tamen nunquam ad Synagogas adducerentur, neque earum oblatio ullam ad Synagogas relationem haberet.

V.

3. Aliâ ratione Vir quidam doctus *Clariſſ.* SCHÖTGENIO laudatus, litteralem ſenſum ſervare quærit, dum locum hunc ex TARGUM *Huſeæ* XIV. 8. כדכרן יבבת חצוצרתא על חמר עתיק דמתנסך בבית מקדשא *Sicut memoria ſoni tubæ ſuper vino veteri quod libatur in domo Sanctuarii*, collatis RASCHII in h. l. verbis שהיו תוקעין בחצוצרות על הנסכים כשלוים אומרים בשיר *nam clanxerunt tubis ſuper libaminibus, cùm Levitæ canerent canticum*, illuſtrare conatur. Verùm rectè jam obſervavit erudițiſſimus mihíque amiciſſimus SCHÖTGENIUS: illum *qui hæc verba rectè expendit & intelligit, ſtatim videre hîc de libaminibus agi, quæ quando Deo offerrentur, voce & tubis Deo laudes decantatæ ſint.* De quo ritu, quod in tranſitu moneo, pluribus nuper egit doctiſſimus Juvenis JOH. CHRISTOPH. BUSINGIUS in Diſſert. priore proprio marte conſcriptâ, dexterriméque ſub præſidio noſtro ventilatâ, *de tubis Hebræor. argent.* Cap. III. §. 19. Addo autem, hîc quoque Servatorem non de inflatione tubarum in templo, ſed in plateis & Synagogis loqui.

VI.

Cùm igitur nulla hactenus excogitata ſit ſententia, quæ propriè dictum tubarum in eleemoſynarum diſtributione uſum confirmet, hinc multi de eo planè deſperantes ad improprium confugiunt. Sic poſt CHRYSOSTOMUM jam THEOPHYLACTUS, obſervante illuſtri GROTIO, diſertè ſcribit: non moris id fuiſſe apud Judæos, ſed locutionem eſſe παροιμιώδη ſeu *proverbialem.*

Sci-

Scilicet quia Hebræi, à quibus id dein ad Tyrios, à Tyriis ad Tyrrhenos, à Tyrrhenis autem ad Græcos pervenerit, tubâ populum convocare ſolerent, hinc σαλπίζειν *tubâ canere*, idem eſſe, quòd *populum alicujus rei teſtem quærere.* Idem placet Priceo ad h. l. dicenti: *Locutio proverbialis, quâ, quod nimio publicandi ſtudio fit, ſolet exprimi.* Teſtem ejus rei laudat Achillem Tatium Lib. VIII. Αὕτη ἡ οὐκ ὑπὸ σάλπιγγι μόνον ἀλλὰ καὶ κήρυκι μοιχεύεται. In eandem ſententiam propendet *Clar.* Hombergius in *Parergis*, quamvis tamen nec alteram *Celeb.* Le Moyne, quam mox tangemus, planè ſpernat. Priceo quoque pollicem premit *Eruditiſſimus* Elsnerus in optimæ notæ *Obſervationibus.* Idem dudum fecerat Olearius in Obſerv. addens inſuper, ſibi videri ad theatri & ſpectaculorum mores unicè reſpici, in quibus frequens tubarum uſus, inprimis ad convocandum populum, aut ſilentium indicendum: quâ in re præeuntem ſibi habuit Erasmum ad h. l. Tantorum autem nominum ſuffragiis licèt ſe hæc ſententia commendet, neque etiam negari queat, hanc ſignificationem proverbialem Græco σαλπίσαι non malè convenire, quemadmodum & Latinorum *buccinare*, & quæ inde deſcendunt, unde Ciceronis *Filii* verba ad Tironem Lib. XVI. *Epiſt.* 21. *Quare quod polliceris te buccinatorem fore exiſtimationis meæ*, rectè explicat Manutius: *qui quaſi buccinâ canens divulgas laudes meas*, nihilominus tamen & huic explicationi ſubſcribere nequeo. Idque

1 Quia uti σαλπίσαι cum quarto caſu conſtructum eo ſenſu non malè adhibetur, ita hîc planè alia occurrit conſtructio, dum nullius rei ebuccinandæ factâ mentione, dicitur μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, quæ longè diverſa eſſe nemo non videt.

2. Neque ulla cauſa eſt, cur ſententiæ hujus Patroni ad ſenſum improprium confugerint, quàm quia proprium hîc locum non invenire crederent, quòd ſi igitur illum omninò ſtare poſſe oſtendamus, neminem futurum exiſtimo, qui non illi primas dandas eſſe, ultrò agniturus ſit, ex æquiſſimo illo Canone hermeneutico, qui *tamdiu proprio verborum ſenſui inhærere jubet, donec nos aliqua neceſſitas cogat, ut inde recedamus.*

V I I.

Atque hoc quoque contra ſententiam Viri inſignis planè doctrinæ STEPHANI LE MOINE obſervare juvat, quam ipſius Cel. Auctoris verbis in Variis Sacris Tom. II. p. 73. exhibemus. „ Judæi quippe, ait, Eleemoſynis erogandis multum ſe com- „ mendabant. Nam in Templo habebant קרבנ׳ Corbanot, „ & vaſa quædam in quæ Eleemoſynas conjiciebant, quæ „ formam Buccinarum referre videbantur, ore anguſto, cor- „ pore verò ampliore & quaſi ſinuoſo. Hinc eſt quod voca- „ rentur revera buccinæ שופרות in quas ex ære metallóque „ tinniente fabricatas, Eleemoſynas ſuas impetu quodam in- „ funderent Phariſæi, quæ tinnitu ſuo adſtantibus ſignificarent „ largam & copioſam fuiſſe Eleemòſynam. Ideo D. noſter „ Jeſus increpans oſtentationem, & vanam Phariſæorum glo- „ riam, adſtantium plauſum & laudes captantium Matth. 6. „ 2. dicit illos σαλπίζειν buccinam inflare, buccinæ ſonum e- „ mittere. Non quod veris buccinis ſonarent Phariſæi cum „ Eleemoſynas erogare vellent, ſed in ciſtas buccinarum for- „ ma elaboratas, illas effunderent, & quæ ita reſonarent, „ ut ſonum buccinarum referre viderentur. Hanc ob rem „ objurgat D. Jeſus, illíſque opponit eos qui remoto tali ſo- „ no & tinnitu, Eleemoſynas faciebant ἐν κρυπτῷ. Placuit hæc ſententia & multis aliis eruditione clariſſimis Viris, ut HOTTINGERO in not. ad GODWIN. *Moſen & Aaron.* Lib. II. cap. I. §. 17. conf. HOMBERG. *parerg.* ad h. l. DEYLINGIO Obſervat. loco ſupra laudato, ut & SCHÖTGENIO in *Hor. Heb.* Neque id magnopere mirum, cùm ut lubens fateor, ingenioſe admodum excogitata ſit, & non exiguâ ſe probabilitate commendet. Nam non malè huc quadrat ciſtarum illarum nomen, quæ ut jam monuit *Clar.* MONACHIUS, & Viri docti paſſim ex *Schekalim* cap. VI. & MAIMONID. in *hilch. Schekalim* cap. II. docuerunt, שופרות *buccinæ* appellantur, ſive jam exactè buccinarum figuram habuerint, & nonnihil recurvæ fuerint, ſive tantùm illis comparentur, quia tubarum inſtar in ſuperiori parte anguſtiores, in inferiori latiores fuerint, ut exiſtimat

mat BARTENORIENS. ad *Schekalim* VI. 1. quod propter fraudulentos homines Judæi factum ſtatuunt, quo pecunia per os anguſtum immitti, non autem eadem viâ reduci poſſet, ſive etiam שופרות non ſemper recurvæ, ſed aliquando etiam rectæ fuerint, ſive denique vox שופר cum חצוצרה nonnunquam permutetur, quemadmodum & græcum σάλπιγξ etiam tam de *buccinâ* quàm de *tubâ* aliquando adhibeatur. vid. LIGHTFOOT. in *Deſcript. templ. Hieroſ.* cap. XIX. nec non RELAND. de *Nummis Samarit.* Diſſert. V. & *de Spoliis Templi* II. cap. XII. conferantur quæ de vario vocis שופר & σάλπιγξ uſu congeſſit ſupra laudatus BUSINGIUS cap. I. §. XXIII.

Verùm quanto quanto etiam hæc ſententia ſe acumine commendet, præter illa tamen, quæ jam ſub finem com. præcedentis tetigimus, pluribus etiam incommodis, non facilè tollendis, premitur, quorum nonnulla jam *eruditiſſimus* OLEARIUS in *Obſervationibus in Matth.* attulit. Hujus generis ſunt,

1. Quòd prius probandum eſſet, ita conſtructa fuiſſe receptacula hæc, ut argento immiſſo iſtiusmodi ſonum, oſtentationi Phariſaicæ inſervientem, ediderint: neque concipi queat, iſtam eorum figuram multum ad ſonum illapſi nummi augendum conferre potuiſſe.

2. Quòd videri non poſſit, quomodo phraſis μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου accommodari queat arcæ immotæ, quæ antecedere nequeat hypocritam Phariſæum. Multò minùs

3. Explicari poſſit, quomodo σαλπισμὸς iſte locum habuerit ἐν ῥύμαις *in plateis*, in quibus nullæ hujusmodi arcæ repoſitæ, ſed Hieroſolymis quidem, uti videtur, in templo unicè collocatæ.

Quæ omnia uti inſigne pondus habent, ita addo

4. Quòd licèt arca hæc aliquâ ratione σάλπιγξ appellari poſſit, durum tamen admodum ſit, quòd hanc ob cauſam is, qui illi nummos injicit, aliquem fortè tinnitum edentes, dicatur σαλπίζειν, & quidem ἔμπροσθεν ἑαυτοῦ, qualem verbi hujus phraſeósque ſignificationem non ſolùm quis fruſtrà in univerſâ linguâ græcâ, ſed & in hebræâ aut quacunque aliâ Orientis, quam Servator fortè imitatus ſit, quæret. Quod forſan quo-

que

que intendit *acutiſſimus græcéque doctiſſimus* Elsnerus, ſcribens: *à ſonitu autem pecuniæ in ciſtulas tubæ formam referentes conjectæ, σαλπίζειν dici, haud veriſimile eſt.*

Ne jam 5. ſubjungam, quòd uti non video, magnum hîc in immiſſione nummi in ciſtam altiorem anguſtóque foramine inſtructam impetum adhiberi, majorémque tinnitum, quàm quem cadens ſuo pondere nummus ciet, excitari potuiſſe, ita neſciam, an, ubi publicâ auctoritate eorum, qui in cathedrâ Moſis ſedebant, ſecundùm quorum verba ipſe Servator Judæos facere jubet, tale medium erogandis colligendíſque eleemoſynis ſtatuerant, Servator id, quod in ſe ſanè innocuum erat, publicè improbare & carpere voluiſſe, ſatis commodè ſtatui queat.

V I I I.

Sed quid pluribus opus eſt verbis? cùm, niſi omnia me fallant, non magis ad hanc quàm ullam aliam, multis adhuc difficultatibus obnoxiam ſententiam, confugere neceſſe ſit, ſed longè certior veriórque detur, quæ proprio verborum ſenſui uſuíque non minùs, quàm omnibus circumſtantiis, egregiè ſatisfaciat. Quod ut pateat, aſſero, omninò apud Veteres in collectione atque erogatione eleemoſynarum aliquem σαλπισμὸν locum habuiſſe, & quidem quod magis eſt, ἔμπροσθεν τοῦ δόντος τὴν ἐλεημοσύνην, imò etiamnum obtinere, ſed ad illum non attendiſſe hîc loci Interpretes, quòd omnes illis præjudiciis imbuti ad verborum horum interpretationem accederent, debere hunc σαλπισμὸν ab illo, qui eleemoſynam daret, eſſe excitatum, qualem nullibi inveniebant, cùm contrà verba æquè commodè de tali accipi queant, qui coràm dante, ab illo excitatur, qui ſtipem rogat.

I X.

Hoc ut propiùs eluceſcat, obſervandum, jam antiquitùs apud multos populos moris fuiſſe, ut mendicantes ſtipem inter concentus muſicos rogarent, & partim hac ratione rem paſſim notam facerent, partim quoque populum ad liberalitatem ſuam exercendam undique convocarent, imò hac majori pompâ ad

id

Digitized by Google

id provocarent, lubentiorémque redderent. Apud Ægyptios id in ſacris Iſidis ab ejus ſacerdotibus fiebat, qui hoc pacto ISIDI STIPEM ROGARE dicebantur, variíſque hanc in rem inſtrumentis utebantur. SUIDAS in Ἀγείρει ex Veteri Auctore monet: ὁ δὲ λαθεῖν θέλων, ξυρεῖται τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ γένειον, καὶ στολὴν αἰγυπτίαν ἀναλαβὼν, ἣν οἱ τῆς Ἴσιδος θεραπευτῆρες ἤσθηνται, καὶ σεῖστρον ἐπισείων, καὶ πόλιν ἐκ πόλεως ἀμείβων, καὶ τῇ Θεῷ ἀγείρων, καὶ ἀναγκαίας τροφὰς, λιμοῦ φάρμακα ἀγαπητῶς λαμβάνων. *Ille verò latere volens, caput barbámque raſit, & Ægyptiam ſtolam aſſumens, qualem Iſidis miniſtri induunt, ſiſtrúmque quatiens, de urbe in urbem profectus, Deæ ſtipem colligit & neceſſaria alimenta, famis remedia lubenter accipit.* Ab Iſidis ſacris idem mos ad illa matris Deûm ſeu CYBELES tranſiit. De utriſque OVIDIUS Lib. I. *ex Ponto* Epiſt. I. v. 37.

Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire
Jactantem Phariâ tinnula ſiſtra manu?
Ante Deûm Matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit; exiguæ quis ſtipis æra neget?

De Matris Deûm ſ. CYBELES ſacris idem diſtinctiùs tradit LUCIANUS in *Aſino* n. 37. εἶτα τῆς πόλεως ἐξηλαύνομεν, καὶ τὴν χώραν περιῄειμεν, ἐπειδὰν δ' εἰς κώμην τινὰ προσέλθοιμεν, ἐγὼ μὲν ὁ θεοφόρητος ἱστάμην, Ὁ ΔῈ ΑΥ̓ΛΗΤῊΣ Ὅ΄ΜΙΛΟΣ ἜΦΥΣΑ ἜΝΘΕΟΝ, οἱ δὲ τὰς μίτρας ἀπορρίψαντες τὴν κεφαλὴν κάτωθεν ἐκ τοῦ αὐχένος ἑλίσσοντες, τοῖς ξίφεσιν ἐτέμνοντο τοὺς πήχεις, καὶ τὴν γλῶτταν τῶν ὀδόντων ὑπερβάλλων ἕκαστος, ἔτεμνε καὶ ταύτην· ὥστε ἐν ἀκαρεῖ πάντα πεπλῆσθαι μαλακοῦ αἵματος. —— Ἐπειδὰν δὲ κατακόψειαν οὕτως ἑαυτοὺς ἐκ τῶν περιεστηκότων θεατῶν ΣΥΝΈΛΕΓΟΝ ὈΒΟΛΟΥ͂Σ ΚΑῚ ΔΡΑΧΜΆΣ· ἌΛΛΟΣ ἸΣΧΆΔΑΣ, ΚΑῚ ΤΥΡΌΝ, ΚΑῚ ΟἼΝΟΥ ΚΆΔΟΝ ἘΠΈΔΩΚΕ, ΚΑΙ ΠΥΡΩ͂Ν ΜΈΔΙΜΝΟΝ ΚΑῚ ΚΡΙΘΩ͂Ν ΤΩ͂Ι ὌΝΩΙ. Οἱ δὲ ἐκ τούτων ἐτρέφοντο, καὶ τὴν ἐπ' ἐμοὶ κομιζομένην θεὸν ἐθεράπευον i. e. ex novâ verſione nuperæ ſplendidiſſimæ editionis. „ Tum urbe egreſſi per agros cir-
„ cumimus. Quoties verò ad vicum acceſſeramus, ego Deæ
„ gerulus inſiſtebam. Sed TIBICINUM TURBA FANATICUM QUID
„ IN-

,, INFLANTE, illi capite demiſſo cervices intorquentes, lacer-
,, tos ſibi vulnerant, & exſertam ultra dentes linguam quis-
,, que & ipſam incidunt: adeò ut breviſſimo temporis ſpatio
,, molli ſanguine plena eſſent omnia. — — Ubi verò ſe ita
,, conciderant, de circumſtantibus ſpectatoribus STIPEM, OBO-
,, LOS ET DRACHMAS COLLIGUNT. ALIUS FICUS, ET CASEUM,
,, ET VINI CADUM DEDIT, ET TRITICI MEDIMNUM ET HOR-
,, DEI ASINO. Ex his illi alebantur, geſtatámque humeris
,, meis Deam colebant". De iisdem ita APULEJUS de *Aſi-
no aureo* Lib. VIII. edit. Baſil. cum nott. BEROALD. & STE-
WECH. pag. 230. Unum de triviali popularium fece, qui
,, per plateas & oppida CYMBALIS ET CROTALIS PERSONANTES,
,, DEAMQUE SYRIAM CIRCUMFERENTES MENDICARE COMPEL-
,, LUNT." & paulò poſt, p. 250. Erat quidam juvenis ſatis
,, corpulentus, choraula doctiſſimus, collaticia ſtipe de men-
,, ſa paratus, qui foris quidem circumgeſtantibus Deum, COR-
,, NU CANENS ADAMBULABAT;" mox iterum pag. 265. Sed
,, ubi tandem fatigati, vel certè ſuo laniatu ſatiati, pulſam
,, carnificinam (vel pauſam carnificinæ) dedere, STIPES Æ-
,, REAS, IMÒ VERÒ ET ARGENTEAS, MULTIS CERTATIM OFFE-
,, RENTIBUS, SINU RECEPERE PATULO: nec non & vini ca-
,, dum, & lactem, & caſeos, & farris & ſiliginis aliquid, &
,, nonnullis hordeum deæ gerulo donantibus, avidis animis cor-
,, radentes omnia, & in ſacculos huic quæſtui de induſtria præ-
,, paratos farcientes, dorſo meo congerunt." denuò pag. 274.
,, Rurſum itaque me refertum ſarcinis planis gladiis minan-
,, tes perveniunt ad quandam nobilem civitatem: ubi vir prin-
,, cipalis, & aliàs religioſus, & eximiæ dominæ reverens,
,, TINNITU CYMBALORUM ET SONITU TYMPANORUM, CANTÚS-
,, QUE PHRYGII MULCENTIBUS MODIS EXERCITUS, procurrit
,, obviam: DEAMQUE VOTIVO SUSCIPIENS HOSPITIO, NOS O-
,, MNES INTRA CONSEPTUM DOMUS AMPLISSIMÆ CONSTITUIT,
,, NUMENQUE SUMMA VENERATIONE ATQUE HOSTIIS OPIMIS
,, PLACARE CONTENDIT. Eodem facit locus TZETZIS *Chiliad.*
XIII. cap. 475. quem contulit *eruditiſſimus* KUSTERUS ad SUI-
DÆ ſupra adducta verba. Εἰς ὄνον θέντες εἴδωλον Θεᾶς αὐτῶν

τὸ

τῆ Ῥέας ΤΥΜΠΑ'ΝΟΙΣ ΠΕΡΙΗ'ΡΧΟΝΤΟ ΤΑ'Σ ΚΩ'ΜΑΣ ΠΡΟΣΑΙΤΟΥ'ΝΤΕΣ. *Aſino imponentes ſimulacrum Deæ ſuæ Rheæ*, CUM TYMPANIS CIRCUMIBANT OPPIDA STIPEM PETENTES. Hoc idcircò appellabant *μητραγυρτεῖν*, ut patet ex DIONYS. HALICARN. Lib. II. p. 91. ubi & docet, hoc munere nunquam Romanos defunctos eſſe, ſcribens de Ideæ matris ſacris *ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ, καὶ γυνὴ Φρυγία· καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς στήθεσι καὶ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη, καὶ τύμπανα κροτοῦντες· Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις, οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως, ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν, οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς, κατὰ νόμον ἢ ψήφισμα βουλῆς.* i. e. ex edit. SYLBURGII, *Sacerdotio verò ejus funguntur Phrygii generis vir & mulier. eámque per urbem circumferunt, circulatorio ritu ſtipem Matri colligentes, & pectora plangentes, proſequentibus eos cum Matroo carmine tibiis, & tympanorum pulſu. Sed è Romanis indigenis nemo cum Matriacis vicatim ſtipem colligit, nec ad Phrygios tibiæ modos per urbem incedit variâ indutus ſtolâ, nec ex decreto Senatus Phrygia Matris orgia celebrat.* ad quem locum videatur SYLBURGIUS, qui & alium ex EUSTATHIO adducit, ubi poſt alia *μητραγυρτεῖν*, dicit eſſe *τὸ μετὰ τυμπάνων καί τινων τοιούτων περιϊέναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ ἀγείρειν τροφάς·* Ita quoque ÆLIAN. V. H. Lib. IX. cap. VIII. de DIONYSIO *juniore* ait: *Ὁ δὲ ἐν Κορίνθῳ πολλαῖς καὶ ποικίλαις χρησάμενος βίου μεταβολαῖς, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀπορίαν τελευταῖον δ' μητραγυρτῶν καὶ κρούων τύμπανα καὶ καταυλούμενος δὲ τὸν βίον κατέστρεψεν.* *Ille verò Corinthi multas variáſque vitæ viciſſitudines expertus, propter immodicam paupertatem tandem metragyrtam agens STIPEM COGENDO, TYMPANAQUE PULSANS, ET AD TIBIÆ CANTUS SE MOVENS vitam exegit.* Idem, cùm ſingulis menſibus fieret, quoque *μηναγυρτεῖν* dictum eſſe, SYLBURGIUS ad DIONYS. HALIC. & KUSTERUS ad SUIDAM docent.

X.

NON autem antiquitùs tantùm hic ſtipem colligendi modus

in Sacris obtinuit, ſed & per univerſum ferè Orientem in hunc diem usque à privatis obſervatur.

Invaluit dudum conſuetudo inter Muhammedanos, ut Sacrorum apud illos ordinum homines, non ſolùm *canticis*, ut monet SWEIGERUS in *Itiner.* p. 197. ſed & *inflatione cornuum*, collectionem eleemoſynarum peragant. Inſignis hanc in rem eſt obſervatio eruditiſſimi HYDII in præfatione libri quantivis pretii *de Relig. Vett. Perſar.* p. 2. Aliud Muhammedanorum „ eſt Religioſæ ac voluntariæ paupertatis inſtitutum „ in quo „ quivis Religioſus Deo devotus Perſicè in genere vocatur „ پارسا *Pàriſá*, Arabicè عبدال *Abdál*, & exoticâ voce „ قلندر *kalender* ſeu *kalander*, quaſi dixeris καλὸν ἄνδρα. Vel „ aliàs generaliori Titulo vulgò Perſicè audiunt درويش *De-* „ *roiſh*, Arabicè فقير i. e. pauperes, mendicantes religioſi, „ qui Eleemoſynas religionis cauſâ à populo ſemper petunt. „ Ex horum ceremoniis eſt, in uno pede diutina gyratio, „ talis quæ ab Europæis fieri non poteſt. Hi non ſunt Mo- „ nachi, ſed uxorati Religioſi, qui Mundo renunciantes, ſpon- „ taneam paupertatem, ſed religioſo habitu profitentur, vaga- „ bundi, mendicantes, atque ſubinde in Eccleſiis pernoctan- „ tes. Et Abdalorum quivis GRANDE QUODDAM CORNU AD „ LATUS APPENSUM HABET, AD INFLANDUM, ET (dum reli- „ gioſam in foro oratiunculam habituri ſunt) AD CONVOCAN- „ DUM AD SE POPULUM.

Inprimis apud Indos quoque id in quotidiano uſu eſt. DELLA VALLE *Itiner.* P. IV. Epiſt. I. poſtquàm urbe Cambaja diſceſſerat, ſcribit, *ſe in via inveniſſe multitudinem Mendicorum, QUI TUBA, quarum unusquisque ferè unam habebat, QUAMQUE INFLABANT, ELEEMOSYNAM exigebant, idque arcu atque telis armati.* Plenius rem narravit jam antea LUDOVICUS PATRITIUS *Indic.* Lib. IV. Cap. II. ubi *de moribus incolarum Cambajæ* differens, hac occaſione de iisdem illis mendicis ſcribit: " omnibus in univerſum CORNU è COLLO „ DEPENDET: illi ubi ad urbem quampiam pervenerint, in- „ colas ceu agunt apud nos cornicines, admonentes ſimul

„ omnes

„ omnes concinunt, EÓQUE CONCENTU STIPEM AB MORTALI-
„ BUS PETUNT. Ita quoque NUNO DA CUNHA in decennali Itinere claſſe inſtituto, cujus relatio inſerta eſt *Itineribus Luſitanorum in Indiam Orientalem*, Collectionis majoris Itinerar. à VAN DER AA editæ Tom. II. p. 127. refert: " Zy komen in geen Steeden, maar gelyk de zo genaamde Heydens (i. e.
„ Cingari) by ons, ze blyven daar buyten, alwaar het volk
„ haar alle haar nooddruft aanbrengt, en alsze, als gezegt
„ is, in zulk een groote menigte zyn, dan kiezenze een
„ hooft, aan dewelke zy alle gehoorzaamheid bewyzen. Ye-
„ der van haar HEEFT EEN HOORNTJE BY HEM, voornament-
„ lyk als zy alleen zyn, DAAR ZY OP BLAZEN, ALS ZY BY
„ EEN BEWOONDE PLAATS KOMEN, OP DAT MEN WETEN
„ ZOUDE, DAT HY DAAR IS, EN DAT MEN HEM ETEN EN
„ EEN AALMOES BRENGE". Nec multum abludit JOHANNES FREYER in *novem annorum Itinere per Indiam Orient. & Perſiam*, cujus verba Epiſt. III. cap. I. verſ. belg. ita ſonant:
„ Een ander zal het land doorreyzen MET EEN HOORN DIE
„ VOOR HEM GEBLAZEN WORD, en een Os om miſchien hem
„ en zyn bagagie te voeren, behalven nog een die hem met
„ een pauwen-ſtaart oppaſt, terwyl hy een groote yzere ke-
„ ten aan zyn voet vaſtgemaakt heeft, en die zo groot is
„ als waarmede de Olyfanten aan haar beenen gekluyſtert
„ zyn, ſommige wel twee ellen lang, en elke ſchakel dik-
„ ker als een Mans duym, en een handpalm in de lengte
„ zynde na zig rammelt: dit ſleepen van dezelve geeft zyn
„ nood te kennen, dewelke de arme heydenen NIET DORVEN
„ VERSUYMEN TE HULP TE KOMEN.

X I.

Omnibus his in unam ſummam collectis luce meridianâ clarius patere exiſtimo, non ſolùm antiquitùs apud alios populos, verùm inprimis, quod magis eſt, apud illos Orientis, in quotidiano uſu fuiſſe, ut mendici ſono inſtrumentorum ſtipem peterent, hominésque ad liberalitatem exercendam provocarent atque excitarent. De poſteriori aliquid etiam ſuboluit *admo-*

dum Rev. KÖLERO in *Diſſert.* ſupra laudatâ §. 34. ubi & unum alterúmque locum mihi etiam obſervatum adfert, iiſque tandem, poſtquam ſub initium monuiſſet, *aliter faciebant olim Perſæ. Apud illos enim non inflabatur buccina ſeu cornu muſicum ab illo, qui Eleemoſynam dabat,* &c. ſubjungit: Quid ſi dice-
„ remus populos hoſce hunc morem (uti multos) teſte Viro
„ Claro *P. Dan. Huet.* Prop. Evang. IV. C. 6. didiciſſe ab
„ Hebræis, ſed ex malâ intelligentiâ, perverſè inſtitutos fuiſ-
„ ſe à relatoribus ". Mens igitur ejus eſt, quòd apud Judæos qui eleemoſynam erogaret, buccinam inflârit, apud Perſas autem & alios Orientis populos ex perverſâ relatione, id ab illis qui ſtipem petebant, factum ſit. Verùm uti priſtini talis moris inter Judæos nullum planè veſtigium occurrit, ut ſupra jam monuimus, ita multò minùs ullo indicio conſtat, reliquos populos eum à Judæis acceptum, ex perverſâ relatione immutaſſe. Neque id vel minimâ ſe probabilitate commendat, cùm populi illi Judæis nimis vicini eſſent, nimíſque ſæpe occaſionem haberent publicè eorum mores conſpiciendi, quàm ut, ſi illos imitari vellent, in iiſdem errare poſſent.

X I I.

Idem autem hîc Viro illi Docto fraudi fuit, quod omnibus illis, qui de litterali ſenſu penitùs deſperârunt: Scilicet quòd exiſtimârunt, aut tanquam indubium ſuppoſuerunt, verbo σαλπίζειν hîc actum aliquem innui, ab illis, aut eorum nomine aut juſſu editum, qui eleemoſynam aliis erogare volebant, cùm non ſolùm æquè commodè, ſed & longè rectiùs de tali accipiatur, qui à ſtipem rogantibus quidem edebatur, ſed à prioribus permittebatur, vertíque adeò verba debeant: *Cùm autem dabis eleemoſynam*, NON SINAS CORAM TE BUCCINA CANI. Quem in finem obſervandum, verba activa tam apud Hebræos quàm Græcos ſæpiſſimè uſurpari pro actione, quam quis non ipſemet immediatè peragit, ſed cujus etiam quacunque aliâ ratione cauſa, ſive impulſiva, ſive inſtrumentalis, ſive occaſionalis, aut permiſſiva eſt. Quæ omnia Hebræi quoque haud rarò per formam HIPHIL ſignificare ſolent. Sic qui aliquid

per

Digitized by Google

per alium facit, jubendo, aut eum ad hunc actum conducendo, excitando, vel alio quocunque modo permovendo, actionemve approbando &c. id ipſe feciſſe dicitur. vid. 2 Sam. XII. 9. Joh. XIX. 1. conf. GLAſs. Philol. S. Lib. III. Tract. III. Can. XXII. *Cel.* LAMPIUM ad *Joh.* l. add. & quem ibidem laudat PERIZON. ad *Ælian.* V. H. Lib. XIV. Cap. XLIX. nec non ANT. BLACKWALLI *Crit. Sacr.* N. T. pag. 99. atque ibi *Clar.* WOLLIUM in not. Inprimis quoque qui aliquid fieri ſinit, permittit, non impedit, aut quacunque etiam ratione anſam aut occaſionem, licèt etiam in ſe innocuam, ſuggerit, ipſe id egiſſe dici ſolet. Hinc Deus ipſe dicebat Abimelecho Gen. XX. 6. *idcircò non dedi te illam tangere*, i. e. ut Alexandrini rectè reddunt οὐκ ἀφῆκά σε ἅψασθαι αὐτῆς. *non conceſſi, non ſivi, te eam tangere.* Eodem modo Deo tribuitur, quòd *Davidem inſtigaverit ad numerandum populum*, quòd *homines aberrare faciat à viis ſuis*, quòd *ducat in tentationem* &c. dum hæc permittit, aut ſanctè etiam innocuas occaſiones ſuggerit. vid. GLAſs. loco adducto Can. XI. & Can. XXVII. & *Eruditiſſimum* POLUM ad 2 Sam. XXIV. 1. conf. quoque OLEARIUM *in Matth.* Obſervat. XXIV. Nemo igitur ambigere poterit τὸ σαλπίζειν ἔμπροσθεν ἑαυτοῦ hîc quoque rectiſſimè & convenienter tam Græcæ quàm aliarum linguarum genio reddi, *ſinere coràm ſe buccinâ cani*, quemadmodum & pleræque recentiores verſiones, *anglica*, *belgica*, *germanica Lutheri* aliaéque illud reddunt, & Interpretes hodiè ferè plerique omnes idem accipiunt, in eo tantùm à vero verborum ſenſu aberrantes, quòd ut viſum, alludi cenſeant ad actum illius nomine aut juſſu editum, qui eleemoſynam dabat, cùm potiùs actio reſpiciatur ejus, qui eleemoſynam rogabat. Antequam hinc penitùs diſcedam, non poſſum non uno alteróve exemplo oſtendere, ipſum noſtrum σαλπίζειν aliàs quoque hoc ſenſu de clangore, quem quis non ipſemet immediatè edit, ſed per alium edi curat aut ſinit, uſurpari. Ita videtur accipi debere 2 Sam. II. 28. & XVIII. 16. quando de Joabo dicitur in verſione Alexandrinâ, καὶ ἐσάλπισεν Ἰωὰβ τῇ σάλπιγγι aut ἐν τῇ κερατίνῃ, uti enim vix probabile eſt, tam alta ſpirantem belli ducem

cem ſemet ad hoc miniſterium demiſſurum fuiſſe, ita non facilè unius inſtrumenti ſono diſperſus undique miles revocari potuiſſet. Inprimis autem 1 Sam. XIII. 3. ita neceſſariò ſumi debet, quando de Saule aſſeritur, Καὶ Σαὺλ σάλπιγγι σαλπίζει εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. Præterquam enim quod talis actus Majeſtati regiæ planè non conveniſſet, ἀδύνατον planè fuiſſet, ut unius buccinæ clangor per univerſam terram audiretur.

XIII.

Ne autem quis fortè cogitet, Evangeliſtam Matthæum uti verbo σαλπίζειν, quod propriè de tubâ adhibetur, cùm ex locis ſupra à nobis adductis pateat, potiſſimùm *tibias*, imò *cornua*, quin & *tympana* & *ſiſtra* à mendicantibus eſſe adhibita, obſervandum non ſolùm, ſufficere ad ſcopum noſtrum, quòd apud pleroſque populos, inprimis in Oriente, quondam in uſu fuerit, & adhuc ſit, ſono inſtrumentorum muſicorum ſtipem rogare, & ad illam dandam excitare, licèt hæc inſtrumenta pro diverſo populorum illorum genio, aut inſtitutis, varia eſſe potuerint, quemadmodum inter alia Suidas in voce Σάλπιγξ monet, *Indos* σάλπιγξι *non uti, ſed illarum loco ipſis eſſe flagella, quæ cum ſonitu per aërem vibrent, itemque tympana terribilem quendam bombum emittentia*: ſed & vocem græcam generalioris eſſe uſûs, & tam de *tubis* quàm *buccinis*, quin & *cornibus* adhiberi, ut fusè ſatis oſtendit Doctiſſimus Joh. Christoph. Busingius in Diſſert. ſupra laudatâ de *Tubis Hebræorum Argenteis* Cap. I. §. VIII. & XXIII. Addi denique poteſt, Servatorem ex omnibus aliis inſtrumentis σάλπιγγα, ut præcipuum & inter Judæos inprimis in hoc negotio maximè uſitatum nominaſſe, ut ſub illo reliqua omnia tacitè ſimul comprehenderet. Quod ipſum Auctor *Verſionis Perſicæ* ante oculos habuiſſe videtur, quando loco unius vocis græcæ geminam adhibet, verba reddens, *ne coram te* ناب وشاخ PISTULA *aut* CORNU *clangas*. Quid? quod dubium me adhuc hærere fateor, utrum ſub voce σάλπιγγος potiùs *buccinam*, an *tubam* præcipuè innui credam, cùm non ſolùm vox, inprimis

ſequi-

ſequioribus temporibus, utroque ſenſu uſurpetur, ſed & buccina apud Judæos ad convocandum populum tam crebrò adhibita fuerit, ut & hinc apud alios quoque Scriptores بوقا اليهود *buccina Judäica* memoretur. Sic EBN ISHAK narrat وكان رسول الله صلعم حين قدم المدينة انما يجتمع الناس اليه الصلاة لحين مواقتها فهم صلعم ان يجعل بوقا كبوق اليهود الذين يدعون لصلاتهم *Poſtquam Apoſtolus Dei .... Medinam venit, cœperunt homines ad ipſum congregari, ut preces ſtatutis temporibus perſolverent. Et quidem primò intendit, ad convocandum populum uſurpare BUCCINAM, qualis eſt JUDÆORUM BUCCINA, quando ad preces populum vocant*, ex verſ. *Cl.* GAGNIERII ad Abulf. Vit. Moham. p. 56.

XIV.

Fortè autem cui dubium videbitur, utrum hac ratione aliquid jure in illo reprehendendum veniat, qui eleemoſynam diſtribuebat, ſi non ipſe clangeret, neque alterum id facere juberet aut curaret, ſed id ab eo perageretur, qui ſtipem rogabat. Verùm qui ita rationes ſubducit, illum cogitare velim, rem eodem planè recidere, ſive ipſemet id faciat, ſive per alium fieri curet, ſive tantùm permittat aut ſinat, ut fiat. Scopus enim Servatoris tantùm erat monere, ne eleemoſynam erogaturi, quicquam ad oſtentationem faciant, quò coram hominibus videantur, ſuámque liberalitatem aliis conſpiciendam atque celebrandam præbeant. Id autem non minùs fieri poterat, ſi tales occaſiones captarent, ubi populus ad id à mendicantibus convocaretur, aut exſpectarent, donec plures, tubarum aut buccinarum ſono acciti conveniſſent, ac ſi eum in finem ipſi inſtrumenta hæc inflâſſent, aut inflari curaſſent. Imò ut cauti atque circumſpecti hypocritæ eſſe ſolent, & Phariſæi inprimis erant, ita longè credibilius eſt, illos priore illâ methodo, quâ videbatur res extra ipſos eſſe, totáque ſcena ab aliis, ipſis nihil tale expetentibus, adornari, quàm poſteriori uſos fuiſſe, quâ nimis clarè ſuperbiam, & laudem libe-

ralitate ſuâ quæſitam prodidiſſent, ſi ipſi tale quid immediatè edidiſſent, aut per alios edi curaſſent.

X V.

Præcipuè autem hîc quæri poſſe video, utrum certo conſtet, morem illum apud Judæos verè in uſu fuiſſe? Ubi quidem ingenuè fateor, me licèt non vulgari ſtudio hanc in rem inquiſiverim, quin & alios, ſive Chriſtianos, ſive Judæos, ſedulò conſuluerim, nihil hactenus certi invenire potuiſſe. Fuit quidem hîc loci aliquando converſus quidam in Talmude aliiſque ſcriptis rabbinicis ſatis verſatus, cujus cùm hac de re ſententiam rogarem, reſponſum tuli, ſe aliquando alicubi legiſſe הני מרי דבבליא כשהיו תוקעין לפני עניים בא ר׳ אליעזר מלוד ואכרכ: *Hi Viri Babylonii cum* (TUBÂ) CLANGERENT CORAM PAUPERIBUS, *venit R. Eliezer ex Lud, & probibuit eos.* Quæ verba ſi alicubi exſtarent, egregiè noſtram explicationem ſtabilirent, imò extra omnem dubitationis aleam ponerent. Verùm uti in indagandâ veritate candidè ſemper progrediendum eſt, ita diffiteri nequeo, non ſolùm hominem cùm locum ipſum mihi oſtendi, aut librum ubi exſtaret, indicari cuperem, mirum in modum fluctuaſſe, & mox hunc, mox alium expoſcentem librum, nihil tamen uſſibi invenire potuiſſe, ſed & cùm alios celeberrimi nominis Rabbinos paſſim variis in locis, ſive ipſe per litteras conſuluiſſem, aut per alios conſuli curaſſem, ſemper mihi reſponſum eſſe, hæc verba nuſpiam exſtare: ut adeò vix dubitare queam, hominem verba hæc, ſive ad captandam benevolentiam, ſive ne quid, pro ingenii talium hominum vanitate, ignorare videretur, ipſum ex cerebro confinxiſſe.

X V I.

Interim, quòd nullum hactenus hujus rei teſtimonium in Judæorum Scriptis inventum ſit, ob easdem, quas ſupra Diſſert. XIV. ad Pſalm. XL. 7. attuli rationes, cauſæ meæ parum obeſſe cenſeo. Quis enim eâ intentione omnia Judæorum quæ

quæ adhuc exſtant, ſcripta tam attentè perlegit, ut certò adfirmare queat, nullibi hujus rei mentionem adhuc exſtare? Quis non præterea fateri debet, in aliquo illorum ſcriptorum, quæ nunc perdidimus, quorum ſatis ingentem eſſe numerum, nemo ignorat, talem locum facilè exſtare potuiſſe, ſed cujus cognitio ad nos non pervenit. At ut omnia alia mittam, quot res aut conſuetudines apud alios populos, & inprimis Judæos quondam obtinuiſſe, unius Scriptoris, inprimis Sacri, teſtimonio tutò credimus, licèt nulla ejus apud alios, & ſigillatim quoque apud Rabbinos, veſtigia inveniantur, aut hactenus obſervata ſint. Addam illis, quæ hanc in rem jam loco adducto attuli, cùm maximè tantùm unicum, de conſuetudine Judæorum, quâ reus ſive generatim in feſto, ſive potiùs κατ' ἐξοχὴν in feſto Paſchatis dimitti debebat. Quis quæſo cùm ratione dubitare poterit, eam verè quondam obtinuiſſe, cùm omnes Evangeliſtæ id, & nonnulli quidem ex ipſius Pilati ore, teſtentur. Matth. XXVII. 15. Marc. XV. 6, 8. Luc. XXIII. 17. & Joh. XVIII. 39. nec verba ſine apertâ στρεβλώσει aliam explicationem admittere queant. Quis autem quæſo etiam eruditiſſimorum Virorum, hactenus vel volam hujus moris in omnibus Judæorum, aut aliorum quoque populorum, ſcriptis deprehendere potuit? Quo pacto igitur & hîc loci cum ratione ambigi poterit, ritum, ad quem tam clarè Servator alludit, verè quondam locum habuiſſe, licèt ejus cognitio fruſtra hactenus in Judæorum ſcriptis quæſita fuerit? inprimis cùm de eo inter alios populos tam certò conſtet, & in hunc diem usque, idque quod præcipuum eſt, in Oriente, adhuc obſervetur: nec minus certum ſit, Judæos quàm plurimos ritus cum reliquis Orientis populis communes habuiſſe, & qui nunc adhuc vigent, ante aliquot annorum millia plerumque jam viguiſſe.

XVII.

Licèt autem hactenus ex ſcriptis Judäicis nullum indubium teſtimonium produci queat, non leve tamen ſubſidium ad ſta-

biliendam noſtram ſententiam inde peti poteſt. Scilicet contulit dudum *Celeb.* LIGHTFOOTUS non ſolùm in H. H. in Matth. ſed & in Indice Talmudis Hieroſolymitani, cum his Servatoris verbis inſignem locum ex memorati Talmudis Cod. DEMAI f. 23. 2. En ipſa loci æquè ac Clariſſ. Viri, qui illum obſervavit, verba. *Opp. Poſt.* p. 41. גבאי צדק׳ בי״ט לא יהו מכריזין כדרך שמכריזין בחול אבל גובין בצינע׳ ונהנין לתוך חיקו וגו׳ (ita enim verba, plus uno modo typothetarum incuriâ depravata, legi debent) *Qui colligunt eleemoſynas, non proclamant die feſto, ſicut proclamant die profeſto: ſed colligunt clanculum, & reponunt in ſinum*, &c. *Quære, an hæc FACEM NON PRÆFERANT VERBIS ISTIS MATTH. VI.* 2. *Hypocritæ tuba clangunt, cum præſtant eleemoſynas in Synagogis.* Imò verò multis modis facem præferunt, longéque clariùs id ſine dubio vidiſſet Vir eruditiſſimus, ſi illo quoque præjudicio imbutus non fuiſſet, quod omnibus impedimento fuit, quò minùs ritum, ad quem verè alluditur, certiùs deprehenderent. Ex noſtrâ autem hypotheſi omnia egregiè fluunt, plurimúmque lucis locus hic Servatoris verbis fœneratur. Hinc enim clariſſimè conſtat 1. Collectionem eleemoſynarum ſono publicè edito atque reſonante factam eſſe. 2. Sonum hunc non eſſe editum ab illis, qui eleemoſynas erogabant, ſed ab illis qui eaſdem rogabant atque colligebant. Imò 3. vero admodum ſimile eſt, quòd proclamatio hæc cum ſono tubæ aut buccinæ conjuncta fuit. Certè hunc ſenſum uſus verbi כרז aut הכריז egregiè patitur. Contulerunt dudum viri docti vocem hanc æquè ac derivata cum græcis κηρύσσω, κήρυξ &c. ſive, ut vulgò cenſent, Rabbinica illa à Græcis formata ſint, ſive potiùs Græci eas ex Oriente petiverint, quod longè probabilius cenſeo, quia non ſolùm in omnibus Orientis linguis adhibentur, ſed & jam apud Danielem III. 4. כרוזא & V. 31. הכריז occurrit, neque adeò illa ex colluvie linguarum, quam Rabbini introduxerunt, demum nata eſſe potuerunt. Ubi autem κήρυκες, *Præcones*, non voce tantùm quæ in mandatis habebant

bebant denunciare, ſed & ſono tubarum aut aliorum inſtrumentorum ſilentium indicere, hominésque ad verba ſua audienda convocare ſolebant, ita & Græcorum κηρύσσω diſertè in talibus circumſtantiis adhiberi, & cum ſono tubarum atque buccinarum conjungi conſuevit. Sic Joël. II. 1. תקעו שופר בציון והריעו בהר קרשי Alexandrini reddunt. Σαλπίσατε σάλπιγγι ἐν Σιὼν, κηρύξατε ἐν ὄρει ἁγίῳ μου· conf. ib. com. 15. Denique 4. ex hoc loco quoque patet, in ipſis Synagogis, ut Servator quoque Matth. VI. tangit, iſtiusmodo ſono ſtipem expetitam eſſe. Saltem ita verba Talmudis, doctiſſimus ejus Interpres, ELIAS *F. R. Jehuda Löw* ex *Toſaphta* explicat f. 8. b. גבאי קופה אין גובין ומכריזי׳ בי״ט כדרך שגובין ומכריזין בחול ומכריזי׳ היינו שעושי׳ כרוז בבי׳ הכנסת שצריכין לצדקה וכל א׳ יבוא ויתן לקופה: *Exigentes eleemoſynam ciſtæ, non colligunt, neque proclamant in die feſto, quemadmodum colligunt & proclamant in die profeſto, hoc autem quod dicitur proclamant, ita ſe habet, quòd conſtituunt præconem IN SYNAGOGA* (qui proclamet) *quòd opus habeant eleemoſynâ, & ſinguli veniunt, atque immittunt eleemoſynam in ciſtam.* Sic poſtquam aditum ad verum phraſeos locíque intellectum, niſi omnia nos fallunt, ſtravimus, ſequens dies, aliorúmque ſedula cura forſan plura adhuc & certiora docebit.

DISSERTATIO XXII.

DE

FICU AD IMPRECATIONEM SERVATORIS EXARESCENTE.

AD MATTH. XXI. 18. ſeqq. & MARC. XI. 12. ſeqq.

I.

Quod de Prophetis generatim teſtatur IRENÆUS Lib. IV. 37. *eos non ſolùm ſermone prophetaſſe, ſed & viſione, & converſatione, & actibus, quos faciebant ſecundùm id quod ſuggerebat ſpiritus:* id meritò longéque majori jure, de ſummo illo Propheta inſtar Moſis, ex medio fratrum excitato, Sanctiſſimo Servatore noſtro, affirmatur. Non enim is tantùm futura Eccleſiæ, & illius præcipuè populi, ad quem miſſus erat, fata, verbis annunciavit, aut per viſiones Apoſtolis conceſſas manifeſtavit, ſed & illuſtrioribus ſtupendíſque factis, velut in vivâ quadam imagine pandere voluit.

Inter hæc non ultimum locum obtinet illud, quod circa ficum infrugiferam accidiſſe, Matthæus cap. XXI. 18--22, & Marcus cap. XI. 12--14. & 19--24. narrant. Quod argumentum uti non paucis difficultatibus laborat, quarum ſeptem præcipuè enumerat WITSIUS, *in diſſertatione de ficu Maledictâ*, insertâ *Meletematibus Leidenſibus*, p. 403. ſeqq. ita Virorum Doctorum ingenia mirè exercuit, quorum præter *Cel.* WITSIUM & *Clariſſimum* JOH. CHRIST. PFAFFIUM, in Diſſert. *de Chriſto verbis & factis potente*, plures enumerat *Rev.* JOH. CHRIST. WOLFIUS in *Curis Philologg. & Critic.* ad Matth. & Marc. loca adducta. cónf. & WILDESHAUSENII *Bibliotb. Diſſ. Theol. Philol.* non ita pridem à CHETHELIGIO recuſa. Quibus addi poſſunt, Celeb. VITRINGA Pater in libro *de miraculis*, aliíque qui

Digitized by Google

qui idem idiomate belgico, tentarunt, ut ANTONIDES de *miraculis*, D'OUTREINIUS in Argumentis ſubjunctis *Parabolæ de filio perdito*, Num. IV. & *Clariſſimus* ANTONIUS DRIESSEN, qui tamen potiùs paraphraſticam ejus analyſin, quam uberiorem explicationem dedit. Denique poſtquam noſter hic qualiscunque labor anno 1741. in publicum prodierat, non indoctam eidem argumento operam impendit *Eruditiſſimus* HEUMANNUS in Diſſertat. *de Exegeſi Hiſtoricâ Script. Sacræ*, *Gottingæ*, 1742. habitâ, §. XIV. & XV.

Et horum quidem Virorum junctis operis, non exigua lux huic argumento accenſa eſt, nihilominus tamen nonnulla in eodem δυσνόητα reſtant, ad quorum illuſtrationem num quid conferre forſan, ſupremi Numinis auxilio, poſſimus, præſenti diſſertatione periculum faciemus.

Quem in finem primum hiſtoriæ rei geſtæ lucem adſpergere conabimur, ídque hac lege, ut miſſis tantùm aut leviter tactis illis, quæ notiora, aut ab aliis jam fuſiùs expoſita ſunt, iis quæ obſcuriora, aut aliis minùs obſervata ſunt, potiſſimùm immoremur: tum verò ejusdem ſcopum & πνευματικὴν δήλωσιν propiùs eruere allaborabimus.

I I.

Circumſtantias loci temporíſque rei hujus geſtæ, præcedentia oſtendunt. Scilicet poſtquam Servator, ſecundùm vaticinium ZACHARIÆ Cap. IX. 9. inſidens aſinæ Hieroſolymam, inter lætos populi plauſus votiváſque acclamationes, intraſſet, ſéque inde ſequenti nocte *Bethaniam* recepiſſet, poſtero mane unà cum Diſcipulis ad urbem revertens, faméque in ipſâ viâ correptus, ex ficûs è longinquo viſæ fructibus eandem ſedare velle viſus eſt.

Primam hic difficultatem movet WITSIUS, quòd Servator jam matutino tempore famem ſenſerit, cùm non ſolùm *Bethaniæ* amicos liberaléſque hoſpites habuerit, ſed & Eccleſ. X. 16. ut indecorum conſideretur, manè cibum ſumere: *Væ tibi terra cujus Principes mane comedunt.* Ad quam difficultatem minuendam, non ſat feliciter, ut ibidem obſervat, quidam con-

conjiciunt, Servatorem tantùm famem ſimulaſſe, non autem revera ſenſiſſe, nam præterquam, quòd EVANGELISTÆ ſimplici ſtylo hiſtorico illum eſuriiſſe teſtentur, ídque eadem voce, quâ aliàs vera fames indicari ſolet, indigna certè talis ſimulatio Servatore ejúsque ſimplicitate fuiſſet.

Rectiùs itaque *Celeb.* WITSIUS vero ſimillimum arbitratur, Jeſum, cùm pridie ſero veſpere ſe Bethaniam contuliſſet, parùm forſan aut nihil cibi illic ſumſiſſe, totámque noctem, aut ejus ſaltem maximam partem, inſomnem fundendis precibus tranſegiſſe, atque hinc, cùm ſummo mane iter ingreſſus eſſet, ex conſuetis naturæ legibus, quibus æquè ac omnes alii homines obnoxius, ſpirituum aliquem defectum, nervorum in ſtomacho vellicationem, cibíque adeò appetitum ſenſiſſe.

Quæ uti ſatis benè ſe habent, ita tamen ex Judæorum inſtitutis, adhuc propiùs illuſtrari poſſunt. Conſtantis enim inter illos moris erat, imò ad tuendam valetudinem planè neceſſarium habebatur, tempore matutino, aliquid cibi pro jentaculo ſumere. Unde in BAVA KAMA f. 92. col. 2. dicitur מנא הא מילתא דאכרו רבנן השכם ואכול בקיץ מפני החמה ובחורף מפני הצינח ואמרי אינשי שיתין רהוטין רהמו ולא מטו לגברא דמצפרא כרך *Quidnam ſibi vult verbum boc, quod dixerunt Magiſtri noſtri? Comede mane, æſtate propter ſolem, & byeme propter frigus, & dixerunt, ſexaginta curſores currunt, nec tamen aſſequuntur virum qui jentaculum ſumpſit.* Idem legitur in BAVA METZIA f. 107. col. 2. ubi & ſingulare præterea encomium cibi matutini ſeu jentaculi præmittitur.

Nec mori huic repugnant modo adducta Eccleſiaſtis verba, cùm enim nullum inde damnum ſubditi populi patiantur, ſi Principes modico cibo, matutino tempore vires reficiant, non niſi de comeſſationibus, primo jam mane inſtitutis, ad corrigendam ſtomachi ex heſternâ crapulâ cruditatem, accipi poſſunt.

Mirum

Mirum itaque non eſt, ſi Servator fame correptus, Patrium morem ſequi voluerit, præſertim cum reliquo ferè toto die inſtitutioni populi vacaret, & aliàs quoque ſoleret cibum ubi opus, in viâ capere, quò minus aliquid temporis piis muneris ſui occupationibus decederet, oſtenderétque, ſe non tam terrenum cibum curare, quàm *id* præcipuè *cibum ſuum reputare, ut faceret voluntatem ejus à quo miſſus erat, ejúsque opus perficeret*. Joh. IV. 34. quod ipſum tamen non obſtabat, quò minùs diſcipuli ſibi ordinario tempore de prandio atque cœnâ proſpicerent, vid. ib. 8. unde forſan accidit, quod ipſi tunc famem non ſenſerint, ſoliúsque adeò Jesu esurientis mentio fiat.

III.

Ut igitur huic incommodo occurreretur, opportuna ſemet offerre videbatur occaſio, *cernebat enim è longinquo ficum*.

Inter præcipuos Canaanis fructus ficus fuiſſe, éámque idcircò ארץ חטה ושעורה וגפן ותאנה ורמון *terram tritici & hordei & vineæ & ficûs & Malogranati* appellari Deut. VIII. 8. imò ſummam populi in hac terrâ ſecuritatem, cum rerum omnium affluentiâ, his verbis deſcribi ישב יהודה וישראל לבטח איש תחת גפנו ותחת תאנתו *ſedebat Juda & Iſraël ſecurè quisque ſub vite ſuâ & ſub ficu ſuâ*, in vulgus notum, & ab aliis quoque jam obſervatum eſt. Præcipuè autem regio Hieroſolymitana ficubus abundabat, hinc in Maaseroт cap. 2. m. 5. legitur אמר רבי יהודה מעשה בגינת ורדים שהיתה בירושלם והיו תאנים נמכרות משלש וארבע באיסר ולא הופרש ממנה תרומה ומעשר מעולם *Dixit R. Juda: accidit aliquando in horto roſarum qui Hieroſolymis erat, ut ficus venderentur tres aut quatuor uno aſſario, neque tamen inde unquam ſeparatæ ſunt primitiæ & decimæ.* Cujus rei non obſcura veſtigia in hunc usque diem ſuperſunt. Unde Johannes Wild, *Civis Norimbergenſis*, *Itinerarii* linguâ german. à Salom. Schweigero editi Lib. II. c. 5. ait: *Circa Hieroſoly-*

nam egregia eſt conditio, *ubique hortos habet*, *in quibus multa oleæ*, FICUS, *limonia*, *& alii fructus creſcunt*, & SCHWEIGERUS ipſe *Itinerarii* ſui Lib. III. cap. 34. *Ubique circa urbem ſunt horti Olearum*, FICUUM. conf. & pag. 35. Maximè autem earundem ferax erat MONS OLIVETI, v. RAUWOLF. *Itin.* Lib. III. cap. XXI. & inprimis tractus ille *Bethphages*, per quem tum temporis Servator iter faciebat, unde ipſum nomen *Bethphages* à groſſis ficuum, quaſi בית פגו *Domus Groſſi*, deſcendere multi volunt v. LIGHTFOOT. *Cent. Chorogr.* in Matth. cap. XXXVII. FEUSTKING. *Diſſertat. de Bethphage* & CHRISTOPH. HARANT. à POLSCHITZ *Itiner.* linguâ Germ. editum Norimberg. 1678. in 4to. P. I. cap. XXIV. quam tamen appellationis rationem minus procedere aliâ occaſione oſtendemus. Ficus vero quam hîc videbat Servator, ſtabat ἐπὶ τῆς ὁδοῦ *juxta* vel *propter viam*, ut Matthæus ait. Quod cur moneat, ut intelligatur; obſervandum, Judæos reſpectu Dominii, arbores æquè ac omnes res alias ad duplex genus referre, nempe שמור *cuſtoditum* & הפקר ſ. מופקר *liberum*. Priori voce inſigniunt res, quæ *certi cujusdam Domini ſunt*, quáſque adeò nemini tangere licet: poſteriori autem, quæ *Communes* ſeu *communis juris* ſunt, quarúmque uſus omnibus promiſcuè patet, confer TALMUD HIEROSOL. *Scheviit* f. 38. 3.

Tales habebantur quæ in deſerto, fluviis aut torrentibus creſcebant, ut docet MAIMONID. in *Secija Umattana* cap. I. §. I. ההפקר כל המחזיק בו זכה · וכן המדברות והנהרות והנחלים כל שבהן הפקר וכל הקודם בהן זכה כגון העשבים והפירות של אילנות של יער וכיוצא בהן *Ad id quod communis juris eſt*, *quivis illud occupans jus habet. Hæc eſt ratio deſertorum*, *fluviorum*, *& torrentium: quicquid in illis eſt*, *communis juris eſt*, *& qui id primus occupat*, *jus ad id habet*, *ut herbæ & ligna & fructus arborum ſylveſtrium & ſimilia.* coll. MAIMON. ad *Demai* cap. I. Atque ita quoque cum illis comparatum eſt, quæ in viis publicis inveniebantur. Viæ enim publicæ

blicæ communis juris ſunt, unde & רשות רבים *Dominium plurium* ſeu *Commune* audiunt in Biccurim cap. I. m. 1. quamobrem nec de his, quæ ibi creſcebant, primitiæ aut primitiva dabantur. Imo hoc eousque extendebatur, ut ſi arbor in fundo certi cujusdam Domini plantata, extra illum ramos in viam publicam extenderet, fructus inde in viam hanc decidentes, à quocunque liberè colligi comedíque poſſent, nec decimationi quoque ſubeſſent, ut docetur in Maaseroth cap. III. m. 4. וכן תאנה שהיא נוטה על הדרך ונמצא תאנים מותרות משום גזל ופטורות מן המעשרות *Eadem quoque ratio eſt ficûs, quæ protenditur ſuper viam, ſi ſub illâ inveniantur ficus, liberæ ſunt à rapinâ & decimis.* i. e. ſi quis illas colligat, neque id pro rapinâ reputatur, neque ad decimas inde ſolvendas tenetur. Ex harum arborum, in fundo omnibus communi ſeu viâ publicâ plantatarum, numero cùm eſſet ficus hæc, ultrò patet, Servatorem, ſine ullius injuriâ, aut juris alieni violatione, ex eadem fructum quærere potuiſſe.

I V.

Hæc autem ficus præ aliis Servatorem ad ſe allicere, & remedium adverſus famem polliceri videbatur, utpote foliis prædita, ἔχουσα φύλλα, ut Marcus teſtatur. Ubi in tranſitu monemus, variam fuiſſe ficuum conditionem, quædam enim folia cum multis aliis arboribus ſub autumnum abjiciebant, & ſub initium veris nova proferebant, quod menſe *Niſan* incipere ex *Peſachim* fol. 52. b. & *Gloſſa* ad h. l. jam docuit Lightfoot. in H. H. ad Matth. XXI. 19. Aliæ autem illa per hyemem ſervabant, quod partim à regionum indole dependebat, unde id in agro Ægypti Memphitico & inſulâ Tylo in mari rubro fieri docet Theoph. *Hiſt. Plantar.* Lib. I. cap. VI. & XV. nec non Lib. IV. cap. IX. & qui ibidem in not. adducitur Plin. Lib. XII. cap. XI. partim verò ab ipſarum arborum ingenio. Huc facit præcipuè, quod Lightfootus ex ſcriptoribus Talmudicis obſervavit, ſcil. aliquod ficuum albarum genus fuiſſe בנות שוח *Benot Schuach* dictum, quod

 uti

uti ſingulis annis fructus proferebat, ſed non niſi tertio anno eosdem ad maturitatem perducebat, ita nunquam foliis, nunquam fructibus carebat. Cùm igitur hiſtoria hæc contigerit quatuor diebus ante feſtum Paſchatos, ſeu XI. menſis Niſan, quo tempore, quantum conſtat, nulla vulgaris ficus adhuc foliis veſtita eſſe potuit, vel cum LIGHTFOOTO concludendum, eam ad hanc claſſem referri debere, vel alterius cujusdam generis ficuum præcocium fuiſſe, præcipuè cùm ipſe Servator clariſſimè doceat, ficum ordinariò appropinquante demum æſtate folia emittere, Matth. XXIV. 32. *A ficu diſcite Parabolam, cùm jam ramus ejus tener fit, & folia emittit, cognoſcitis quod æſtas propinqua ſit.* coll. Luc. XXI. 29, 30. & omnes reliquæ circumſtantiæ, ut in ſeqq. ex profeſſo videbimus, idem confirment. Imò cùm ſola hæc ficus à foliis laudetur, horúmque conſpectus Servatorem invitaverit, non ſine quadam veriſimilitudine colligit idem Vir Celeb. reliquas ibidem fortè ſtantes, ejus generis fuiſſe, quæ folia abjicere ſolebant, iisque adeò illo adhuc tempore caruiſſe: fortè tamen non incommodè quoque dici poſſet, hanc reliquis Servatori viciniorem fuiſſe. Ingenio quoque non deſtituitur ſententia *Clar.* HEUMANNI, quòd, *cùm Servator ſignificaſſet diſcipulis, ſe eſurire, diſcipuli haud intelligentes, quò tendat Chriſti de fame ſuâ confeſſio, neque cogitantes, eum, qui antea tot millia hominum exiguo cibo ſatiárat, ſtatim ſe fame liberare poſſe, demonſtraverint ei ficum arborem longius remotam: è cujus lætâ foliorum ſpecie augurantes, eſſe hanc ex illo ficuum genere, quæ præcoces ferunt fructus, rogaverint Jeſum, ad illam arborem ut ſe conferret.* Quod uti haud difficulter eſſe potuiſſet, ita id tamen in eo dubii reſtat, quòd ipſa Evangeliſtarum verba nullum ejus rei indicium præbeant.

V.

Quicquid ſit, ſaltem Servator ἦλθεν ἐπ' αὐτὴν *ad eam acceſſit* propiùs, ut MATTHÆUS habet, & quidem, ut MARCUS addit, εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ *num quid in eâ inveniret*, id eſt, *viſurus, aut ut videret, num quid in eâ inveniret.* Qualem ellipſin

lipſin Hebræis æquè ac Græcis ſcriptoribus frequentem eſſe, docet GLASSIUS Lib. IV. Tr. II. Obſ. II. & pluribus JOH. BOISIUS in *collat.* p. 132. monente *Cel.* WOLFIO ad h. l.

Ita dum agit Servator, ipſo facto oſtendit, quòd iſtiusmodi fructus, ut aptos ad ſedandam hoc tempore famem agnoſceret. Quod vt rectè intelligatur, attendendum, in regionibus calidioribus ficus, & quidem recentes, gratiſſimum & maximè vulgarem cibum eſſe, quo etiam ipſo matutino tempore ſæpe, & quidem ſine omni alio additamento, homines præcipuè frugaliores aut viatores uti ſolent: hinc SUETONIUS in vitâ *Auguſti* cap. LXXVI. *Cibi (nam ne hoc quidem omiſerim) minimi erat, atque vulgaris fere. Secundarium panem & piſciculos minutos, & caſeum bubulum manu preſſum, ET FICOS VIRIDES BIFERAS MAXIME APPETEBAT: veſcebatúrque & ante cœnam, quocunque tempore & loco, quo ſtomachus deſideraſſet.* Simili ratione CHRISTOPH. HARANT à POLSCHITZ *Itiner.* loc. modo adducto, ſe cum ſociis itineris, in eadem circiter regione, ubi Servator tum verſabatur, & quidem (ut ex viæ dieíque circumſtantiis haud difficulter colligitur) antemeridiano quoque tempore, recreaſſe, his verbis teſtatur: *Ab iſthoc loco ſuſcipiebamus viam Bethaniam verſus, & quia ab alterâ montis* (Oliveti) *parte incedebamus, è longinquo ad orientem videbamus partem maris mortui: & cùm de monte deſcendiſſemus, relinquebamus montem Oliveti ad dextram, nósque Bethphagen verſus convertebamus. In viâ ad latus montis obviam nobis veniebant duæ mulieres Turcicæ ſeu ruſticæ, magnum cophinum ficuum recentium in urbem ad forum portantes. Cùm itaque itinere atque æſtu admodum defatigati eſſemus, emebamus ab illis magno deſiderio omnes illas ficus duabus Meidinis, id eſt duobus groſſis: conſidebamus ſtatim in terram circa lapidem latum, in quem easdem effundebamus, & decem noſtrûm inde magnâ cum voluptate comedebamus. Nihilominus tamen vix quartam earum partem conſumere potuimus, unde ſurgentes, relictis in hoc lapide reliquis, rectâ Bethphagen pergebamus.*

V I.

Novam hîc, eámque vel duplicem, difficultatem nectit Witsius, quomodo ſcilicet Servator quærere potuerit ficus, quibus arbor deſtituebatur? vel enim ſupponi debere, Servatorem id ignoráſſe, vel cognitum habuiſſe: Prius ſi ſtatuatur, videri ejus omniſcientiam, ſi poſterius, ejusdem prudentiam atque ſapientiam lædi, cùm ſapientis ſit nihil fruſtra facere: fruſtrà autem quæſiviſſe fructus, quos ſciret non adeſſe. Ad hoc dubium tollendum, ipſe quidem ſe in eam propendere ſententiam fatetur, quòd Servator id reverà neſciverit, neque id in ejus omniſcientiam injurium eſſe, cùm hîc conſiderari debeat, non ſecundùm divinam, ſed humanam naturam, ſecundùm quam minime omniſcius erat, ſed, ut ipſe teſtatur, diem horámque, quo illa, quæ Marc. XIII. prædixerat, eventura eſſent, ignorabat com. 32. Sed, ut verum fatear, vix in hac reſponſione acquieſcere poſſum. Licèt enim indubium ſit, talia quæ à nudâ creaturâ ſine divinâ revelatione cognoſci nequeunt, naturæ ejus humanæ quoque per ſe cognita non fuiſſe, neſcio tamen an id ſtatim etiam de iſtiusmodi rebus adfirmari debeat, quæ ab hominibus paulò attentioribus ex variis circumſtantiis ſciri poſſunt. Deinde vix probabile videtur, Chriſtum cùm ad arborem hanc appropinquaret, non jam in animo habuiſſe prodigium in eadem edere, id verò locum habere non potuit, niſi eam fructu deſtitutam eſſe jam antea ſciviſſet. Magis itaque convenit, ſi verba eo ſenſu accipiamus, quo ipſe Deus ἀνθρωποπαθῶς dicitur in aliquid inquirere, quando ita agit, uti homo, aliquid ſibi incognitum inveſtigans, agere ſolet, id eſt quando rem quaſi ad propius examen revocat, ejúsque verum ſtatum, ſive immediatè, ſive per media eum in finem ſuppeditata, coram aliis manifeſtat, quod maximè tum locum habet, quando Deus judicia exſerere vult, ut pateat, ea omni ex parte juſta eſſe, nec niſi ſecundùm demeritum irrogari. Notior res eſt, quàm ut probatione indigeat, quare tantùm unicum adferam locum, Gen. XVIII. 20,

21.

21. qui huc eò magis facit, quò magis JEHOVAH de quo illic agitur, idem FILIUS eſt, de quo ſimile quid hîc loci affirmatur. Scil. cùm is ſe *Abrahamo* manifeſtaſſet, refert MOSES: *Et dixit Jehova, quoniam clamor Sodomæ & Gomorræ magnus eſt, & peccatum ipſarum grave valde. Deſcendam nunc, & videbo, an ſecundùm clamorem, qui ad me pervenit, fecerint conſummationem, an verò non, ſciam.* Ad quem locum benè monet MUSCULUS; *poſſumus etiam hoc loco videre, quid ſit videre & cognoſcere Dei. Si homo deſcendit ad videndum & cognoſcendum, ad hoc fit, ut certam cauſæ cognitionem ipſe acquirat, ne ſiniſtrè de re incompertâ judicet. Ubi Deus deſcendere, videre & cognoſcere dicitur, intelligendum eſt, idem eſſe ac manifeſtare ac compertum facere aliis, quod ipſi omnium eſt jam antea cognitiſſimum.* Quid igitur difficultatis in eo ſupereſt, quod Servator, licèt non ignoraret, arborem fructu deſtitui, tamen ad eam acceſſerit, & propius quaſi ejus rei examen inſtituerit, quo eadem diſcipulis innoteſceret, illíſque adeò ſimul pateſceret, juſtè dirum maledictionis carmen in eandem pronunciari?

VII.

Cui rei mox anſa ſuppeditabatur, cùm ſecundùm MARCUM *ἐλθὼν ἐπ' αὐτὴν οὐδὲν εὗρεν εἰ μὴ φύλλα accedens ad eam, nihil invenit niſi folia*, ſeu ut MATTHÆUS habet, *nihil invenit in illâ, niſi folia ſolùm.* Quæ verba uti manifeſtum reddunt, ficum hanc ex præcocium, aut illarum genere fuiſſe, quæ folia etiam per hyemem ſervarent, conf. ſupra com. IV. & infr. XVIII. nihil præterea difficultatis habent. At tantò major illa eſt, quæ ex ratione à MARCO ſubjunctâ naſcitur, quando ait: *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων non enim erat tempus ficuum.* Ubi duo ab Interpretibus quæri ſolent, partim quis verus horum verborum ſenſus ſit, partim quomodo illa cum præcedentibus, imò cum totius rei geſtæ hiſtoriâ atque nexu cohæreant, & *Servator juſtè arborem maledictionis fulmine ferire potuerit, quòd fructus non haberet, quoniam non eſſet tempus ficuum.* Quidam ea reddunt: *nondum] enim erat tempus ficuum*, id eſt, quo ſecundùm conſuetum naturæ ordinem arbor ficus ferre poterat, at-

que

Digitized by Google

que hoc ſenſu rationem reddi exiſtimant, quare Servator nullas ficus invenerit. Verùm uti hæc interpretatio ſignificationi verborum non malè convenit, ita totius rei geſtæ hiſtoriæ & prudentiæ atque æquitati Servatoris nimium repugnat. Quo enim quæſo pacto, ſalvis his perfectionibus, fructum in arbore quærere potuiſſet, quem exſtare ſecundùm conſtitutas naturæ leges eo anni tempore ἀδύνατον erat? Aut quomodo idcircò innocens arbor maledictionis fulmen meruiſſet, ſi ipſe naturæ ordo fructum eo tempore negaſſet? Vel quâ ratione denique aptam imaginem geſſiſſet populi nocentiſſimi & ob defectum ſpiritualium fructuum juſtiſſimo judicio puniendi, ſi nihil hìc in ipſâ arbore culpandum fuiſſet? Quod ultimum inprimis contra illos obſervandùm, qui excipiunt, arbori ut rei brutæ & ſenſu carenti hîc nullam factam eſſe injuriam, cùm illa ut culpæ, ita & pœnæ propriæ capax non ſit. Natura enim emblematis exigebat, ut ſi arbor hæc ob fructuum abſentiam diris impetita, aptam imaginem gerere deberet populi, ob non prolatos ſuâ culpâ fructus, anathematis fulmine feriendi, etiam defectus fructuum ex quadam ipſius arboris vitioſitate, non verò ab aliâ quadam cauſâ extra illam, proficiſceretur. Unde & ſemper aliàs Servator in iſtiusmodi allegoriis vitium in ipſo ſubjecto, de quo ſermo eſt, ſupponit, ut Matth. III. 10. *Unaquæque ARBOR, QUÆ NON FERT BONOS FRUCTUS, exſcindetur & in ignem projicietur* coll. Luc. XIII. 7. ſeqq.

IX.

Tantæ hæ difficultates nonnullis viſæ ſunt, ut de commodâ loci ſolutione deſperantes, eum ἄπορον ἄλυτον, pronunciarent, & ipſe AUGUSTINUS, monente DEYLINGIO, affirmare non dubitaverit, *hoc factum niſi figuratum accipiatur, ſtultum inveniri.* Verùm ſive is AUGUSTINUS, ſive quicunque alius ſit, qui ita loquitur, incautè atque imprudenter illum loqui cenſemus. Abſit ſanè & quàm longiſſimè abſit, ut de ſupremæ Sapientiæ factis tam abjectè ſentiamus. Certè uti in factis ἀλληγορουμένοις, æquè ac in omnibus allegoriis requiritur, ut factum

ctum ipſum aptum ſit, ad rem cui depingendæ inſervire debet, tanquam in imagine repræſentandam, ita pariter ſumma Servatoris ſapientia neceſſariò laborabit, ſi ſive in ſenſu literali, ſive typico ullius *ἀτοπίας* aut abſurditatis poſtulari queat. Modeſtiùs itaque longè ſentiunt, qui dum dubia illa inſuperabilia vident, rem ſibi nondum liquere ingenuè fatentur. Laudandus hîc inprimis eruditiſſimi SCHÖTGENII cum ſingulari modeſtiâ conjunctus candor, qui in *Hor. Hebr.* ad Matth. XXI. 19. ſcribit: *Quod verò Marcus dicit, non fuiſſe tunc tempus ficuum, illud hactenus interpretari aut conciliare non poſſum. Malo enim hîc ignorantiam profiteri, quàm nugas effutiendo me aliis deridiculum exhibere.*

X.

Alii varias, difficultates has tollendi, vias iniverunt, inter quos *Celeb.* HEINSIUS pro οὐ γὰρ ἦν mutato ſpiritu, addito accentu, poſitáque diſtinctione poſt ἦν, legit οὗ γὰρ ἦν, *καιρὸς συκῶν ubi enim erat, tempus ficuum* (erat,) id eſt, illic ficus tempeſtivæ ac maturæ erant. Quæ ſententia uti ingenioſa eſt, ita KNATCHBULLO, GATACKERO, LE CENE, COLOMESIO, ALEX. MORO aliíſque Viris Doctis non diſplicuit. Quin & ipſe *Celeb.* WITSIUS eam laudat, nihílque ſibi obſtare aſſerit, quo minus ſine hæſitatione eidem aſſentiatur, quàm hoc unum, quòd conſtanti Vett. lectioni, & omnibus quotquot exſtant, ullâ in linguâ eruditis notâ, antiquis verſionibus repugnet. Verùm uti poſterius hoc, quod de antiquis verſionibus monet, per omnia non procedit, cùm verſio Gothica huic ſententiæ non parum faveat, ita plura non minoris momenti incommoda ſunt, quæ Heinſianæ lectioni atque explicationi obſtant. Primò enim, ſi οὗ *ubi* legi, & de loco accipi deberet, vel illud de loco proximo, ubi Servator tum verſabatur circa Bethphagen, oppoſitè ad alia Canaanis loca intelligendum foret, vel de totâ terrâ diſtinctè ab aliis regionibus extra illam. Prius dici commodè nequit, quia terra hæc non tam latè patebat, ut quoad fructuum maturitatem adeò magnum diſcrimen intercederet; nec poſterius, quoniam non facilè quis ſimilis con-

 ſtru-

ſtructionis apud Græcos exemplum adferet, ubi verba οὗ ἦν de certâ quadam regione cum excluſione aliarum accipiantur. Præcipuè autem id nimis frigidè hîc adjiceretur, *ubi erat*, i. e. Canaane *tempus* (erat) *ficuum*, cùm nemo ignoraret Servatorem in Canaane, non extra illam verſari. Ne jam dicam, totam locutionem, οὗ γὰρ ἦν, καιρὸς συκῶν, *ubi enim erat*, *tempus ficuum*, pro *in illo loco*, *aut regione*, *ubi verſabatur*, *ficus maturæ erant*, neſcio quid duri, coacti & græcis auribus inſueti habere. Denique & totum adſertum, quod tum ficus præcoces maturæ eſſent, ſi de tempore plenæ maturitatis generatim accipiatur, minus firmo talo nititur, cùm ut §. IV. viſum, tempus hoc non tam vernum, quàm æſtivum fuerit. v. & §. XVI. Nec contrarium evincit teſtimonium PLINII, quò provocat, aſſerentis, *primo menſe*, (qui Hebræis NISAN erat) *in Oriente ficus naſci*, aut SALOMONIS Cant. II. 13. inter veris ſigna numerantis, quod *ficus protulit groſſos ſuos*, aliud enim longè eſt *ficus naſci* aut *groſſos proferre*, aliud, *ficus maturas eſſe*, aut *groſſos ad eſum idoneos habere*, quorum illud utique *Veris*, hoc demum *Æſtatis* eſt. Præterquam quòd ne certò quidem hactenus conſtet, vocem פגים, qua Salomon utitur, *groſſos* denotare, quâ de re opportuniori loco nobis diſquirendum erit.

X I.

Meliùs itaque rem inſtituunt, qui receptam lectionem retinendam cenſent, ſed & hi in diverſa abeunt. Quidam ſolutionem in voce καιρὸς quærunt, quam non de tempore, quo ficûs maturæ, ſed de καιρῷ εὐφόρῳ ſeu *anno ficuum feraci*, aut *ferendis ficubus opportuno*, accipiunt. Quod præcipuè placuit D'OUTREINIO, & ante ipſum HAMMONDO, CLERICO & HOMBERGIO ad h. l. nec non GOESGENIO in diſſert. *de ficu maledicta* §. 44. tum quoque ZELTNERO in *Bibliis Altorfinis*. Verùm non immeritò & hanc ſententiam cum KNACHTBULLO, L. BOS, DEYLINGIO, WOLFIO, quin & quem ipſe D'OUTREINIUS jam nominavit, D'ESPAGNE, rejicimus. Hactenus enim cum DEYLINGIO & WOLFIO adhuc exemplum illius ſignificationis vocis

Digitized by Google

vocis καιρῦ ſ. *temporis* deſideramus, cùm licet καιρὸς *tempus* rei alicui *opportunum* denotat, minimè tamen inde ſequatur, καιρὸν σύκων aut aliorum fructuum, *annum eorundem feracem* ſignificare, Hinc ipſe *Celeb.* HEUMANNUS, licèt teſtatus eſſet, ſe, ſi quis ZELTNERO aſſentiri maluerit, non multum repugnare, fateri tamen ſimul cogitur, *ſe ignorare, an illius ſenſûs capacem eſſe hanc phraſin, è Græcis ſcriptoribus demonſtrari queat.* Deinde & hac ratione non hæc ſola arbor, ſed & omnes aliæ eandem pœnam meruiſſent. Denique, quòd rei caput eſt, ſi ita ſe res habuiſſet, non jam culpa penes arborem, ſed penes annum fuiſſet, neque adeò arbor, ſed annus potiùs maledictionis fulmine percuti debuiſſet. Unde mirum ſanè eſt, *Rev.* D'OUTREINIUM §. XLII. ita rationes ſubducere: *Zo dan, Chriſtus een boom vol bladeren ziende, kon met regt derwaarts gaan om vygen aan dezelve te zoeken*; *want indien 'er aan den boom geweeſt waren, zy zouden der toen ryp geweeſt zyn. Maar hy vond niet dan bladeren. En waar quam dat van dan? om dat het toen geen welgelegen en voorſpoedige tyd voor de vygen was, en de vygen doorgaans zeer ſchaars waren angeſchlagen. En zo was 'er dan eenige reden om den boom te vervloeken, om dat 'er ter regter tyd geen vrugt aan hem gevonden wierd, en hy alzo de begeerte van den hongerigen Jeſus te leur ſtelde.* Cum ex his præmiſſis, hæc potiùs ſequeretur concluſio, *Zo was 'er dan geen reden altoos om den boom, maar het jaar te vervloeken, om dat wegens deszelfs onvrugtbaarheid geen vrugt aan den boom gevonden wierd, en hy alzo noodzaaklyk de begeerte van den hongerigen Jeſus moeſt te leur ſtellen.*

XII.

Alio pacto hoc incommodum levare anniſus eſt, Vir noſtro ſeculo Græcè peritiſſimus, L. Bos in *Exercit.* in h. l. dum verba MARCI ita accipit, *quòd tempus ficuum jam præterierat.* Verùm licèt negari nequeat, phraſin ὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων *non enim erat tempus ficuum*, quæ ut mox videbimus, propriè denotat, *non eſſe tempus, ubi ficus maturæ*, tam de tempore quod maturitatem ficuum ſequitur, quàm quod illud antecedit, ac-

cipi poſſe, minimè tamen hæc explicatio reliquis difficultatibus tollendis ſatisfacit. Meritò enim & hîc quæritur, quomodo Servator cùm tempus ficuum jam præteriiſſet, easdem prudenter quærere aut jure exigere, & quia non invenirentur, innoxiæ huic arbori, & quidem huic ſoli, malè precari potuiſſet, cùm tamen fortè jam ſatis frugiferam ſe juſto tempore præbuiſſet, conf. CLERICUS *Biblioth. Select.* Tom. XV. p. 350.

XIII.

Sententiam à FRID. ROLOF, ſed dubitanter, propoſitam, in diſſert. *de ficûs imprecatione*, non moramur, licèt illa non diſplicuerit MAJO in *Obſervat.* quando verba interrogativè ſumi poſſe ſuſpicatur, *Nonne enim erat tempus ficuum?* Nam non omni ſolùm Veterum verſionum & Interpretum auctoritate deſtituitur, ſed & nimis frigida atque coacta eſt, & omnium, inprimis verò Sacrorum Scriptorum genio repugnat, in mediâ narratione hiſtoricâ, ad aliquid ſimpliciter recenſendum, imò rationis inſtar præcedentibus ſubjungendum, rem ſine ullâ datâ occaſione aut emphaſi, interrogativè proponere, quod ſi admittatur, nulla amplius ſatis certæ interpretationis norma ſupererit, ſed pro lubitu licebit ex medio orationis filo verba affirmativè propoſita, per introductas interrogationes in contrarium planè ſenſum detorquere. Ne addam, totam orationem hiulcam eſſe, nec vel ſic verba cum antecedentibus ſatis cohærere.

XIV.

Celeb. HEIDEGGERUS, quem ANTONIDES ſequitur, verba *non enim erat tempus ficuum*, de reliquis ficubus in illâ regione fortè ſtantibus accipit, quæ ejus fuerint indolis, ut non niſi ſerius ad maturitatem pervenirent, cùm contra hæc ejus generis eſſet, quod ficus habere poſſet & deberet. Verùm ut alia hujus ſententiæ incommoda taceam, nullo planè indicio conſtat, Evangeliſtam hîc de aliis ficubus hac ſolâ excluſâ loqui, nec probabile eſt, eum vocem, unde totius orationis ſenſus dependet, omiſſurum fuiſſe, cùm, dicendo non enim erat

erat tempus *aliarum*, vel *reliquarum* ficuum, omnia clara & perſpicua reddere potuiſſet. Præterea, quid quæſo intererat, utrum reliquarum ficuum illic fortè ſtantium tempus eſſet néc-ne, cùm non de illis, ſed de hac quæreretur: & quantò re-ctiùs ſi id Servator voluiſſet, non de reliquis negativè, ſed de hac affirmativè dixiſſet, *bujus enim tempus* erat?

X V.

In omnia alia abit *Clariſſ.* SCHMIDIUS, eadem verba ad hanc ficum ſolam excluſis reliquis reſtringens, unde illa ſupplenda eſſe cenſet per pronomen relativum *αὐτῆς* vel *αὐτῇ*, ut ſenſus ſit, *non enim erat ejus* (ſcil. arboris) *tempus ficuum*, vel, *non enim erat*, vel *advenerat illi tempus ficuum.* Verùm, quod pace Viri, cujus merita in Philologiam S. maximi facio, dictum ſit, hæc ſententia mihi quidem omnium minimè probatur. Quis enim 1. unquam ita in ullâ linguâ locutus eſt aut loquitur? *Non eſt ejus* (ficus, ceraſi, aut mali arboris) vel, *illi* (ficui, ceraſo aut malo) *tempus ficuum, ceraſorum aut malorum*, pro, *non eſt tempus ut illa tales fructus babeat.* Certè ſi locutio hæc aliquâ ratione toleranda aut à tautologiâ liberanda foret, minimùm dicendum eſſet, *non enim ejus erat tempus.* 2. *Vir Celeb.* phraſin *tempus ficuum*, de *omni tempore, quo arbor ficus ſive maturas ſive immaturas baberet*, accipit, quod tamen falſiſſimum eſſe, nec aliud quàm tempus, *quo ficus maturæ ſunt & decerpi ſolent*, eâ locutione innui, com. XVII. ex profeſſo oſtendemus. 3. Laborat ſententia hæc eodem incommodo quo præcedens, neque enim magis patet, cur generaliora Evangeliſtæ verba ad hanc ſolam ficum in oppoſitione reliquarum, quàm ad reliquas in oppoſitione hujus reſtringi debeant? 4. Tota applicatio hujus ſententiæ ad ſcopum, & inprimis ratio quam ſubjungit, quare Servator arbori maledixerit, adeò planè non quadrat, ut operam me perdere crederem, ſi illi refellendæ ulteriùs inhærerem.

X V I.

Non longè ab utraque ſententiâ proximis duobus commati-

bus memoratâ, ſi rem ipſam ſpectes, diſcedere videtur *Celeb.* Heumannus, niſi quòd neque de reliquis ficubus hac excluſâ cum Heideggero, neque de hac ſolâ excluſis reliquis cùm *Clar.* Schmidio, verba accipiat, ſed de omnibus potiùs illic loci creſcentibus generatim, quas ejus indolis fuiſſe cenſet, ut nondum fructus illo anni tempore habere poſſent. En ipſa ejus verba! *Nondum enim erat tempus, quo ficus illius generis, quod ibi proveniebat, fructus edunt. Quæ enim eo loco naſcebantur ficus, non vernæ erant, ſed ſerotinæ.* Verùm ignoſcat mihi Vir Amiciſſimus, quòd & in hac ejus explicatione acquieſcere nequeam. Urgere eum in finem poſſem, quòd, ſi verba generaliùs propoſita, de omnibus fructibus, tam maturis quàm immaturis, intelligi vellet, quemadmodum ipſe eorum ſonus primâ fronte non ſolùm, ſed & inprimis ablegatio ad *Celeb.* Elsneri *Obſervationes*, id poſcere videtur, probandum quoque adhuc *Viro Docto* foret, adhibitam à ſe notionem græciſſimam, ut exiſtimat, eſſe, cùm mihi ſaltem hac de re nihil hactenus certi conſtet, & quæ ſtatim com. XVII. allata ſunt, contrarium arguere videantur. Verùm difficultatem hanc hîc loci movere nolo, quoniam ipſe dein in litteris ad me de hoc argumento datis ſententiam ſuam ad fructus maturos reſtrinxit. At nec ſic tamen omnis mihi ſcrupulus exemptus eſt. Semper enim id quod in multis aliis ſententiis deſideravi, remanet, quo pacto Servator prudenter, & cum quadam ſpecie juris arborem exſecrari potuerit, quòd fructus non haberet, cùm tamen illos ſecundùm hypotheſin *Viri Celeb.* habere non poſſet, quia ex illarum genere erat, quæ eo anni tempore fructus non habebant, juſta autem exſecrationis ſententia, culpam, aut in re inanimatâ & ratione carente, qualis hæc arbor erat, ſaltem aliquid culpæ analogum requireret. Cùm hac de re ad *Clar.* Heumannum perſcriberem, reſpondit mihi in hunc modum: *Jure requiris aliquid culpæ analogum. Ac fateor me id indicare oportuiſſe. Facilè autem illud culpæ analogum invenio. Fefellerat ſcilicet ficus illa largè foliata diſcipulos Chriſti, ut putarent reperturos ibi ſe eſſe cibum. Ergo pro hac deceptione puniebatur quaſi ficus à Chriſto, ſignificante,*

Digitized by Google

eante, Judæos eſſe tales arbores, quæ folia gerant externæ pietatis, ſpem autem Dei fallant, nihil quippe habentes verorum pietatis fructuum. Tandem novam hanc ſubjungit paraphraſin, PUTABANT DISCIPULI, HANC FICUM ESSE EX EARUM FICUUM GENERE, QUÆ ILLO TEMPORE JAM HABEBANT FRUCTUS MATUROS. AT FALLEBANTUR: ERAT ENIM HÆC ARBOR EX ILLO FICUUM GENERE, QUÆ ILLO TEMPORE MATUROS FRUCTUS NONDUM HABEBANT. *Supplenda igitur eſt ellipſis, & hoc ſibi voluiſſe credendus eſt Marcus*, NONDUM FUISSE TEMPUS, QUO HÆC ARBOR ET HOC GENUS ARBORUM HABERE SOLEBAT MATUROS FRUCTUS. Verùm licèt hæc ingenioſè ſatis dicta ſint, non tamen, ſi quid ego quidem perſpicio, nodum ſolvunt. Quæ enim quæſo erat ratio quòd arbor hæc nullos maturos fructus habebat? non vitium in arbore, ſed quia ex illo ficuum genere erat, quod illo anni tempore nondum maturos fructus ferebat, imò ſecundùm conſtitutum à Deo naturæ ordinem ne habere quidem abſque miraculo poterat. Nihil ergo hîc in arbore culpæ analogum inveniebatur. Sed fefellerat tamen ſpem diſcipulorum, (quemadmodum Vir eruditiſſimus verba Evangeliſtarum ſupplet.) Verùm conceſſo jam hoc ſupplemento, quænam quæſo cauſa erat, cur fallerentur diſcipuli, non ſanè arbor, quæ convenienter naturæ legibus ſuaéque indoli fructus maturos dare nondum poterat, ſed diſcipuli potiùs ipſi, qui ante rem claré & diſtinctè cognitam judicium de hac arbore acceleraverant. Quid igitur, iterum quæro, culpæ analogum hîc in innocuâ arbore deprehenditur. Quid? ſi quis è longinquo malum arborem videns ejus generis quæ non niſi circa autumni finem matura poma gerit, at ex earum numero illam reputans, quæ mox poſt autumni initium fructus ad maturitatem perducere ſolent, mitia jam in eadem poma quærat, haberétne is, quòd ſe ab arbore deceptum quereretur, vel an non id ſuæ potiùs imprudentiæ adſcribere deberet, quòd antequam in arboris genus inquiſiviſſet, è longinquo de ejus indole judicium tuliſſet, aut an is idcircò aliquâ juris ſpecie arborem, quòd ſe fefelliſſet, exſcindere poſſet? Quæ omnia ſi ritè ſe habeant, quæro denuò, quo pacto non

non ſolùm innocua arbor prudenter, imò ſub ſpecie juris exſecrationis fulmine feriri, ſed & in emblema nocentiſſimi populi, judiciiſque eidem ab æquiſſimo judice ſummo jure infligendi, ſapienter conſtitui potuerit?

XVII.

Ad nos itaque quod attinet, ut omnem difficultatem tollamus, verúmque ſenſum & mentem Evangeliſtæ eruamus, totam rem paucis theſibus complectemur. Et quidem, 1. ut ab ipſius phraſeos genuinâ ſignificatione initium faciamus, à cujus determinatione verus loci ſenſus maximam partem dependet, illis aſſentimur, qui per καιρὸν συκῶν *tempus ficuum* intelligunt *tempus quo ficus maturæ ſunt*, ita enim (ut remotiora de *tempore pluviarum*, *tempore meſſis*, &c. quæ ab aliis jam allata ſunt, taceam) tales locutiones in omnibus linguis uſurpantur. Sic Matth. XXI. 34. ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν TEMPUS FRUCTUUM eſt *quo fructus maturi* ſunt: ſic זמנא דאביבא Rabbinis TEMPUS eſt MATURESCENTIUM FRUGUM. in *Sanhedr.* fol. 2. Huc facit *arbor quæ plantata ad rivos aquarum fructum fert* בעתו IN TEMPORE SUO. Pſalm. I. 3. conf. MUSLAD. SAD. *in Roſar. polit.* p. 529. Nec Latinis eadem locutio aliter uſurpatur, ut apud MACROB. *Saturn.* Lib. VI. cap. 8. *Nam & in frugibus & in pomis matura dicuntur, quæ neque cruda & immitia ſunt, neque caduca & nimium cocta, ſed TEMPORE SUO temperatè adulta.* Unde & *maturos fructus TEMPESTIVOS* appellare ſolent. Ita quoque, quod propiùs huc facit, ipſa hæc locutio καιρὸς συκῶν *tempus ficuum* ſæpius occurrit. Inſignem hanc in rem locum jam attulit *Celeb.* Bos *in exercit.* ex ATHENÆO: ἁλίσκονται δ' αὗται τῷ τῶν συκῶν καιρῷ *capiuntur autem hæ TEMPORE FICUUM* i. e. *cùm tempeſtiva eſt ficus, vel, maturæ ſunt ficus.* Alium non minùs egregium addidit *Celeb.* ELSNER. *in Obſervat.* ex ARTEMIDORO, ubi contrà locutio παρὰ καιρὸν *præter tempus* adhibetur de tempore, quo ficus maturæ non ſunt: Σῦκα παρὰ καιρὸν φαινόμενα συκοφαντίας καὶ ἐπηρείας προαγορεύει. *Ficus præter tempus* (quo maturæ ſunt) *viſæ, calumnias ac delationes portendunt.* Ubi tamen nimium

mium liberalis eſt *Clar.* Elsnerus, quando, abſque ullo exemplo, phraſin de omni eo tempore, quo ficus ſive maturæ ſive immaturæ in arboribus conſpiciuntur, accipi poſſe pronunciat. Addam & ipſe alium eúmque vel geminum ſatis luculentum ex *Geoponicis* à Cass. Basso collectis Lib. X. cap. LI. τὰ δὲ σῦκα πεπαίνεται θᾶττον ΤΟΥ ΚΑΙΡΟΥ, ἐὰν περιστερᾶς κόπρον καὶ πέπερι καὶ ἔλαιον μίξας ἐπιβάλλης. *Ficus autem matureſcunt ANTE TEMPUS, ſi ſtercus columbinum & piper atque oleum mixta adjeceris.* Et paulò poſt: Ἐι δὲ θέλεις ΠΡΟ ΤΟΥ ΚΑΙΡΟΥ ἐσθίειν σῦκα, κόπρον περιστερῶν καὶ πέπερι μίξας ἐλαίῳ ἐπέχριε τοὺς ὀλύνθους. *Si verò vis ANTE TEMPUS ficus comedere, ſtercus columbarum & piper oleo mixta alline groſſis.* Eodem modo de tempore ficuum loquuntur *Judæi*, ut Abarban. ad Mich. VII. 1. לא היתי אני מתאוה כי אם הבכורה והיא תאנה המבשלת בעתה *Non deſideravi ego niſi Biccura, hæc autem eſt ficus cocta IN TEMPORE SUO*; nec abludit Raschi ad eundem locum ad vocem בכורה ſcribens: תאנה טובה המבשלת בעתה Atque hæc præcipuè contra *Clariſſ.* Hombergium obſervanda ſunt, aſſerentem: *ficus non habere certum tempus quo fructum ferant, nulliúsque adeò utilitatis eſſe, de tempore ficuum loqui, cùm nullum in naturâ ſit dabile.* Addit quidem *Vir Celeb.* quòd, *non ſemel in anno, ut reliquæ arbores, fructus ferant, ſed maturos habeant & maturitati proximos, & iis adhuc pendentibus novi propullulent, qui caput vix efferant.* Verùm non probat hoc quod probare debebat: præterquam enim quod in pleriſque arboribus id uſu venire videamus, ut non omnes fructus eodem die aut hebdomade, ſed quidam citiùs, alii ſeriùs, matureſcant, in calidioribus præcipuè regionibus, nihil frequentiùs eſt, quàm ut ficus, mala aurantia, aliaéque arbores, bis aut ter in anno fructum ferant, aut etiam ex prioribus annis ſimul ſervent, ut infra videbimus, quod tamen non impedit, quò minùs, qui ſimul propullulârunt, eodem anni tempore ad maturitatem perveniant, unde eo quoque illarum collectio inſtitui, hócque adeò *eorundem tempus* appellari, conſuevit. Quod ipſum huic

 locu-

locutioni novum lumen accendit. In Canaane enim ordinariò hæc ficuum collectio בקיץ in *æſtate* inſtituebatur, unde ficus in ſacris *fructus æſtivi* appellantur, Amos. VIII. 1, 2. & Mich. VII. 1. ſeqq. & in Talmude קייץ *æſtas*, *illud tempus eſſe dicitur quo ficus maturæ in corbes colliguntur*, ut ex *Nedarim* VIII. 4. jam monuit Reland. *Antiq. Sacr.* Lib. IV. cap. I. §. X. & propiùs illuſtravit Deyling. l. c. §. V. Cujus tamen obſervatis pauca adhuc addere liceat, ex quibus patebit, quòd cùm aliàs apud Judæos קיץ *æſtas* appelletur integrum illud bimeſtre ſpatium, quod dimidium menſis *Sivan*, integrum *Tammutz* & dimidium *Ab* complectitur, & maximam partem dimidio noſtro *Majo*, integro *Junio* & dimidio *Julio*, nonnunquam autem ex parte *Junio* & *Auguſto* cum integro *Julio* reſpondet, propriè tamen initium hujus temporis ſit, tempus quo ficus maturæ, & non ſingulæ, ſed pleræque omnes, à toto populo decerpi atque colligi in corbes ſolebant. Ita Maimonid. ad hunc locum commentatur קיץ שם לימי השרב אבל מפורסם זה השם אצלם על זמן בשול תאנים וכשבה״היל זמן אכילה״ם *Æſtas ſignificat dies caloris, ſed explicatur nomen hoc apud illos de TEMPORE MATURITATIS FICUUM, & quando incipit TEMPUS COMESTIONIS ipſarum.* Raschi: קיץ זמן לקיטת פירות תאני׳ וקרי לה קיץ לפי שקוצין אותו ביד *Kajitz* (æſtas) *eſt TEMPUS COLLECTIONIS FRUCTUUM FICUUM, dicitur autem* קיץ *quia decerpunt illos manu:* Rabbenu Nissim, עד קיץ עד שעת לקיטת תאנים או שאכר עד שיהא הקיץ שניה׳ משמע דאינו אסו׳ אלא שיתחיל העם להכנים תאני בכלכלות וזהו בתחילת הקיץ (Qui dicit interdictum mihi hoc ſit) *usque ad meſſem*, i. e. *usque ad TEMPUS COLLECTIONIS FICUUM, aut ſi dicat, usque dum erit meſſis, utrumque idem dicit, ſcil. quòd non ſit ipſi interdictum, niſi donec incipiat populus colligere ficus in corbes, atque hoc eſt IN INITIO ÆSTATIS.* Et Rabbenu Ascher עד הקיץ עד שיהא קיץ גם קיץ אין זמנו קצוב הלכך

הלכך בכל ענין שיתחיל *usque ad æſtatem*, i. e. *usque dum erit æſtas: quoniam autem æſtatis tempus definitum non eſt, idcircò neceſſariò locutio hæc accipi debet, donec INCIPIAT (ÆSTAS)* & paulò poſt, ad verba: *usque dum populus incipit colligere in corbes* לא שיקוצו עראי אלא שיקוצו הרבה וככניסין בכלכלות *non quando decerpunt ſingulas, ſed plurimas, eásque colligunt in corbes.*

XVIII.

2. Quoniam autem verba hæc, ſi cum immediatè præcedentibus conjungantur, nullum idoneum ſenſum fundunt, ut ex omnibus à nobis refutatis ſententiis abundè liquet, rectiùs non ſolùm *Celeb.* HEINSIUS, COLOMESIUS, quíque præterea HEINSII ſententiam ſequuntur, ſed & KIDDERUS in *demonſtr. Meſſiæ* Part. II. & GUSSETIUS in *Refutat. libri Chiſſuk Emunah* Part. II. jam monuerunt, illa per Synchyſin ad remotiora referenda eſſe, quòd nempe Servator ad arborem acceſſerit, viſurus numquid in illâ inveniret, *quia nondum erat tempus ficuum.* Cujus Synchyſeos exempla jam à Viris modo laudatis ex Marc. XVI. 3, 4. & aliis locis, ſunt adducta. Quo autem res certior manifeſtiórque evadat, ipſemet nonnulla ſubjungam. Sic apud eundem Marc. XII. 12 de Proceribus Judæorum dicitur, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε· *Et quæſiverunt ipſum prehendere, ſed metuerunt populum: Noverant enim quòd in ipſos parabolam hanc dixiſſet.* Ubi verba ultima, non ad immediatè præcedentia, ſed ad remotiora ſpectant, non enim idcircò metuebant populum, quia nôrant Jeſum in ipſos parabolam dixiſſe, ſed *idcircò potiùs eum quærebant prehendere.* Sic & poſtquam Matth. VI. 13. abſoluta eſſet Oratio Dominica, quam Servator diſcipulis præſcripſerat, ſubjungitur ſtatim com 14. *Si enim remiſeritis hominibus offenſiones ipſorum, remittet & vobis Pater veſter cæleſtis* &c. quæ ratio, cùm nihil planè commune habeat cum ſextâ petitione & clauſulâ totius Orationis, quæ com. 13. continentur, neceſſariò ad com. 12. ubi Ser-

vator juſſerat orare, & *remitte nobis debita noſtra, quemadmodum & nos remittimus debitoribus noſtris*, referri debet. Ita Act. I. 20. cuivis legenti ad oculum patebit, verba, *Scriptum enim eſt in libro Pſalmorum* &c. non ad ultima commata, quibus præcipua Judæ fata enarraverat Petrus, ſed ad com. 16. *Viri Fratres oportuit impleri ſcripturam hanc* &c. ſpectare, conf. & Exod. XXXIII. 3. Præcipuè autem id locum habet, quando ratio ſubjuncta non tantùm remotiora reſpicit, ſed & ad univerſam orationem aut rem geſtam, relationem habet, ut optimè jam monuit, & pluribus exemplis confirmavit *Clariſſ.* Vitringa in *Commentar. ad Jeſ.* VIII. 23. Ut adeò *Marcus* his verbis non tantùm oſtendere velit, quare illo tempore fructus non ſolùm prudenter in hac arbore quæri, & ab eadem exſpectari, ſed & cùm non invenirentur, arbor ob vitium aliquod illi adhærens, meritò exſecrationis fulmine peti potuerit.

X I X.

Cujus aſſerti ratio ut pateat, 3. neceſſariò ſtatuendum eſt, arborem hanc ejus generis fuiſſe, ut fructum habere potuerit & debuerit. Egregiè eum in finem, ut §. IV. jam verbo tetigimus, dudum à Lightfooto obſervatum eſt, in Canaane certum ficuum genus fuiſſe בנות שוח *Benoth Schuach* dictum, quòd ſingulis annis quidem fructus ferret, ſed non niſi tertio, illos ad maturitatem perduceret, ita ut quovis anno non ſolùm ficus maturas haberet, ſed & trium annorum fructus, præſentis nempe, proximè elapſi & tertii, ſimul in illo invenirentur, vidd. quæ hanc in rem ex ſcriptis Rabbinicis prolixè attulerunt Lightfoot. H. H. in Matth. XXI. Edzard. in *præfat.* Cap. I. Cod. *Avoda Sara* p 46. ſeq. & in not. p. 284. ſeqq. nec non Schmidius loc. adducto §. 21. ſeqq. conf. & Maimonid. in *hilch. Schemitta* cap. IV. §. 10. & quem ibidem Majus in not. adducit, Guiſius ad *Schevit* V. 1. Objicit quidem Schmidius huic ſententiæ, quòd hoc ficuum genus matureſcat demum ſicut aliarum, in æſtate aut autumno, ita ut Servator medio menſe Niſan ſeu Martio, inde fructus maturos aut maturitati proximos quærere non potuerit, ſed rationes

res quibus id evincere conatur, infirmæ ſunt, nec probant, quod probare deberent, deinde ſi vel maximè ſe res ita haberet, nihil ſanè mirum eſſet, quòd ex fructibus præteriti aut tertii anni, quidam jam tantum cocti eſſe potuerint, ut ad eſum non inepti eſſent. Conferantur quæ mox de diſcrimine menſium Judaicorum & noſtrorum dicentur. Denique & illud negligi minimè debet, quod ſaltem omnium optimè ex harum ficuum genere colligatur, arborem, cùm trium annorum fructus in eâ inveniri deberent, ſi nullos penitùs haberet, neceſſariò planè infrugiferam eſſe debere, utpote quæ tribus ſucceſſivè annis nihil tuliſſet. Non ineleganter id illuſtrari poſſet, ex malis aurantiis aut citreis, quæ in noſtris regionibus quoque trium annorum fructus ſimul ferre ſolent, quorum minimi hoc demum anno nati, mediocres præcedenti, maximi verò tertio jam retrò anno producti, hoc demum plenam maturitatem conſequuntur. Quod ſi igitur talis arbor ſatis annoſa ſit, neceſſariòque cultu non deſtituatur, neque tamen, licèt foliis luxurians, ullius anni fructus exhibeat, omnium judicio, meritò pro infrugiferâ aut vitio quodam laborante reputatur. Interim pondere quoque non deſtituitur ſententia Schmidii, qui hîc potiſſimùm de *ficubus biferis* cogitari debere exiſtimat. Scil. *biferæ ficus* appellabantur, quæ bis in anno fructus ferebant, quorum priores cum meſſe, poſteriores cum vindemiâ matureſcere, Plinius Lib. XV. cap. XVIII. ſcribit vidd. & Macrob. *Saturn.* Lib. II. cap. XVI. Athenæus Lib. III. & Torrent. ad Suet. *vit. Auguſt.* cap. LXXVI. conferantur & de *ficubus biferis* Crenius in not. ad Columel. *de cultu hortorum* Lib. X. vſ. 403. editionis præſtantiſſimæ *Scriptorum de Re Ruſticâ*, quam litteratus orbis induſtriæ ſummi in humanioribus litteris Viri J. M. Gesneri debet p. 736. Quales & in Canaane fuiſſe, & Judæis דיופרא *Dejophera* (quaſi δυόφορα dicas) appellatas eſſe, idem doctè evicit, conf. Cohen de Lara in *Ceter Cehunna.* & in *Ir David*, nec non & David de Pomis in *Lexico* in h. v. Cùm igitur meſſis inceperit jam medio menſe *Niſan*, & usque ad medium *Sivan*, ſeu *à feſto Paſchatis* usque *ad feſtum Pentecoſtes* duraverit, ut docetur in

Bava Metzia f. 106. 2. mirum ſanè non eſt, ſi jam circa feſtum Paſchatis ficus quædam maturæ aut maturitati propinquæ inventæ fuerint, inprimis quia, ut idem SCHMIDIUS rectè ex Judæis monet, jam à XV. *Schebar* ſeu Januarii potuerunt nonnunquam ficus protrudi, & ordinariò primitiva ex iisdem jam in *feſto Pentecoſtes* adducebantur, & denique, uti in omni arborum genere uſu venire videmus, nonnullæ ſolent præcoces fructus reliquis ſæpe ad non exiguum temporis ſpatium præmittere, unde & ficuum præcocium mentio in ſacris paſſim injicitur, v. Jer. XXIV. 2. Hoſ. IX. 10. & Nah. III. 12. His omnibus adhuc addi poteſt, quòd non ſolùm menſes Judaici ſæpe inæquales, multúmque à noſtris diverſi ſint, ita ut licèt menſis *Niſan* plerumque cum noſtro *Martio* conveniat, ſæpe tamen & in *Aprilem*, imò aliquot ejus dies nonnunquam in ipſum *Majum* inciderint, ut docuit RELANDUS *Antiq.* P. IV. cap. I. §. XII. ſed & Judæi aliquando integrum menſem *Veadar* ſeu alterum Februarium in anno intercalari inſeruerint, v. eundem §. III. & SELDEN. de *ann. civ.* cap. V. & ſeqq. Denique neque hoc negligendum, quòd non opus ſit, ut jam ficus planè maturæ fuerint, cùm & ante maturitatem groſſi ſæpe comedi ſolerent, ut non ſolùm ex MACROBII & SUETONII locc. adductis, ſed & ex SCHEVIIT IV. 7. & MAIMON. in *hilch. Schemitta* cap. V. §. XIV. patet, ubi dicitur הפגין של תאנים משיזהירו אוכל ברן פתו בשדה *Groſſos ficuum licet edere in agro cum pane, ex quo rubuerint.* Hæc igitur omnia ſi in unam ſummam colligantur, nihil planè difficultatis remanet, ſive ſententiam LIGHTFOOTI de *Bene Schuach*, ſive SCHMIDII de *ficubus biferis* eligas, (inter quas fateor hactenus perarduam optionem eſſe) quod jam tempore Paſchatis, in alterutrius generis arbore, fructus maturi ac groſſi ad eſum apti, ſummo jure quæri potuerint. Ut taceam, mitiorem hyemem clementiúsque ver inſuper adhuc ad fructus maturandos plurimùm conferre potuiſſe. conf. THEOPHRASTUS apud ATHENÆUM Lib. III.

XX.

Digitized by Google

X X.

Si quæ hactenus diſputavimus, ritè ſe habeant, jam facilè 4. eluceſcet, quomodo ratio hæc ſtringat, quòd Servator ad arborem hanc acceſſerit propiùs, fructúsque in illâ quæſiverit, *quia nondum erat tempus ficuum*, imò quare cùm fructus non inveniret, arborem jure exſecratus ſit. Scilicet ſi jam tempus quo ficus maturæ eſſent, adveniſſet, potuiſſet arbor hæc ſatis frugifera fuiſſe, ſed fructus ejus collecti aut à prætereuntibus direpti eſſe, præcipuè cùm propter viam ſtaret & communis juris eſſet, vel etiam ficus ob nimiam maturitatem ultrò deciđiſſe potuiſſent, quod omnibus promiſcuè arboribus facilè accidere ſolet, v. Philo in libro *de Sacrif. Abelis & Caini* p. 152. at omnium maximè ficubus, unde Cass. Bassus in *Geopon.* Lib. X. cap. LVI. ex Africano docet, Τὰ σῦκα οὐ δύνανται μετὰ τὴν πέπανσιν μένειν ἐπὶ δένδρων, καθάπερ ἡ ἄλλη ὀπώρα, ἀλλ' ἀφ' ἑαυτῶν ἀποῤῥεῖ, κἂν μηδεὶς αὐτὰ ἀφαιρῇ· *Ficus non poſſunt, poſtquam maturuerunt, in arbore manere, ut alii fructus molles, ſed ultrò defluunt, licèt nemo illas decerpat.* Sed quoniam tempus, quo ficus maturitatem conſequebantur, nondum advenerat, neque tamen ulli in arbore fructus inveniebantur, alterutrum neceſſe erat, vel ut arbor planè ſterilis eſſet, nullósque adeò fructus protuliſſet, vel ut eosdem jam antequam ad maturitatem perveniſſent, excuſſerit. Utrumque vitium arboribus non infrequens eſt. Priori quæ laborant, infœcundæ aut ſteriles ſunt, qualis illa, de quâ Servator Luc. XIII. 7. ſeqq. & hujusmodi ficum Judæi *ficum malam* appellare ſolent. Sic. Jom Tobh in *Toſaphot* ad *Tamid* II. m. 3. תאני' רעות דלא עבדי פירי אליבה *Ficus malæ ſunt, quæ non ex voto fructus tulerunt.* Poſterius quoque haud raró quibusdam accidit, quæ fructus quidem producunt, ſed immaturos iterum abjiciunt, ſícque colonûm vota eludunt. De ſalice id refert, eámque idcircò ὠλεσίκαρπον *frugiperdam* appellatam adfirmat Theophrast. *Hiſt. Plant.* Lib. III. cap. I. Aliis quibusdam arboribus, & inprimis *ficubus*, idem tribuit Plinius Lib. XVI. cap. XXVI. *Perdunt facillimè* (fructum) *ante maturita-*

turitatem, *palma*, *ficus*, *amygdala*, *malus*, *pyrus*, &c. Imò omnium facillimè id *ficui* atque *palmæ* accidere auctor eſt THEOPHRASTUS Lib. II. cap. IX. Ἀποβάλλει δὲ πρὶν ἢ πέψαι τὸν καρπὸν, ἀμυγδαλῆ, μηλέα, ῥοὰ, ἄπιος· καὶ μάλιστα δὴ πάντων συκῆ καὶ φοῖνιξ. *Abjicit autem, antequam coquat fructum, amygdalus, malus, punica, pirus. MAXIME AUTEM OMNIUM FICUS ET PALMA:* contra quod malum ἐρινασμὸν *caprificationem* inſtitui ſolitam, mox ſubjungit. Hoc autem vitium eſt arbori ipſi inhærens, quare id uni alicui nonnunquam accidere videas, dum reliquæ eodem anno fructus ſervant. Hinc Judæi tales arbores colore rubro notari & lapidibus onerari conſueviſſe tradunt, in TALMUDE HIEROSOL. *Scheviit* f. 35. c. Quemadmodum contrà ut arboris ingenuæ ſignum apud Geoponicos reputatur, ſi non ſolùm abundè fructus ferat, ſed & eosdem probè ſervatos ad maturitatem perducat. Talis illa erat, quam deſcribit VIRGIL. *Georg.* Lib. IV. 141. 142.

Quotque in flore novo, pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.

Quicquid autem horum duorum hîc locum habuerit, patet, id ignobilioris vitioſaéque arboris ſignum fuiſſe, unde & Servator ſine morâ in illam dirum exſecrationis carmen pronunciavit.

XXI.

Narrat rem his verbis MARCUS: *Reſpondens autem JESUS dixit:* Μηκέτι ἐκ σοῦ εἰς τὸν αἰῶνα οὐδεὶς καρπὸν φάγαι, *Nemo ex te æternùm fructum comedat.* Vel ut MATTHÆUS habet: Μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα. *Nunquam ex te æternùm fructus edatur.* Quæ verba primâ fronte quidem ut nil niſi perpetuam ſterilitatis pœnam inferre videntur, ſed cùm vix arbor adeò ſterilis ſit, quæ non, ſi ad plures adhuc annos vivat, aliquando vires recipiat, & ſaltem quosdam, licèt pauciſſimos fructus ferat, abſolutus & perpetuus fructuum defectus, non niſi cum ipſius arboris interitu exſpectandus eſt. Atque hunc verbis illis intendiſſe Servatorem, eventus ipſe comprobavit, nam

nam ut MATTHÆUS ſubjungit, *ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ exaruit illicò ficus.* Quod meritò inter maximè memoranda prodigia numeratur, inprimis cùm id ad *nudum Servatoris verbum, ſine intervenientibus cauſis ſecundis,* imò *ſine morâ, illicò* factum ſit, non enim minor potentia ad id requiritur, ut ſolo juſſu arbor in pleno vigore conſtituta, momento omni ſucco & vitâ privetur, quàm ut emortua iisdem imbuatur, & efficaci verbo foliis luxuriantibus exornata ſiſtatur, unde & diſcipuli prodigio hoc viſo, admirabundi exclamabant: *quomodo illicò exaruit ficus!*

X X I I.

Nova autem hîc ex MATTHÆI cum MARCO collatione, naſcitur difficultas. Scilicet MATTHÆUS refert non ſolùm, ſtatim exaruiſſe ficum, ſed & uno halitu ſubjungit, diſcipulos admiratione perculſos exclamaſſe, *Quomodo ficus illicò exaruit.* MARCUS autem teſtatur, Servatorem pronunciatâ imprecatione cum diſcipulis Hieroſolymam conceſſiſſe, ejectíſque illic ex templo emptoribus atque venditoribus, & everſis Trapezitarum menſis, veſperi urbe egreſſum, tum verò cùm poſtero mane eodem reverteretur, diſcipulos ficum arefactam vidiſſe, Petrúmque ejus rei Servatorem admonuiſſe. Imò cùm MARCUS totam expurgationis templi hiſtoriam prodigio in ficu edito poſtponat, MATTHÆUS illam huic præmittit, ipſúmque prodigium in craſtinum mane rejicere videtur comm. 17, 18. Hæc autem omnium optimè facillíméque conciliantur, ſi obſervetur, MATTHÆUM plerumque in rerum geſtarum narratione, non tam ſeriem hiſtoriæ & temporis, quàm res ipſas, quas ſecundùm ſcopum ſuum referre ſibi propoſuit, curare, cùm contrà MARCUS, qui poſt illum æquè ac LUCAM ſcripſit, id ſibi negotii præcipuè datum eſſe credat, ut non ſolùm ab illis prætermiſſa ſuppleat, ſed & omnia ad ordinem naturalem & filum hiſtoricum redigat, ut fuſè demonſtravit *Celeb.* BURMANNUS *Harm. Evang.* p. 15. & *introduct. in Marcum* p. 172 ſeqq. atque ita MATTHÆUS, ut regium Servatoris ingreſſum, cum ſolemni receptione à populo factâ eò luculentius panderet, tam quæ in

viâ eum in finem, quàm quæ in templo acciderant, conjungit, à 1 -- 11. & 12 - 16. atque tum demum prodigium in ficu editum ſubnectit com. 18. ſeqq. Interim tamen quæ de geſtis in templo narraverat, prodigio hoc ſeriùs accidiſſe, ipſe haud obſcurè innuit, dum hiſtoriam expurgationis templi, cum iis, quæ exſecrationem ficûs ſequuntur, disertè connectit com. 23. Neque obſtat, quod com. 18. dixit, quæ circa ficum acciderant, *πρωΐας manè* contigiſſe. Non enim vox hæc de *craſtino mane*, ſed *ipſius illius diei*, quo Servator inter votivas acclamationes urbem ingreſſus erat, accipi debet, ut Joh. XVIII. 28. cùm contrà quando de *craſtino* agitur, dici ſoleat *πρωΐας τῆς γενομένης poſtquam mane factum eſſet.* v. Matth. XXVII. 1. & Joh. XXI. 4. Atque hinc verba Matthæi com. 18. *Πρωΐας δὲ ἐπανάγων εἰς τὴν πόλιν ἐπείνασε*, nihil aliud dicere volunt, quàm *ipſo autem illo mane cùm urbem ingrederetur, eſuriit:* quæ verò Matthæus de colloquio diſcipulorum cum Servatore tangit, ſecundùm filum à Marco ſervatum, ita accipi debent, ut diſcipuli ſequenti die eundem locum prætereuntes, Petro ut ſæpe aliàs, ſermonem incipiente, admirationem ſuam prodiderint, quòd ut ex circumſtantiis ipſiúsque arboris adſpectu facilè perſpiciebant, arbor ad imprecationem heri factam, ſtatim exaruerit.

XXIII.

Atque hæc quidem quod ad ſenſum litteralem miraculi attinet, monenda præcipuè habebamus, quibus paulò diutius immorari, tantò magis operæ pretium duximus, quo plures difficultates non ſolùm multi Chriſtianorum Interpretum hîc adhuc ſupereſſe cenſent, ſed quò impudentiùs etiam anonymus quidam Judæus, Servatoris ſapientiam aut æquitatem impugnare auſus eſt, quòd innocentem arborem exſecratus ſit, quoniam cùm tempus ficuum non eſſet, nullos fructus haberet: cujus tamen ferociam uti jam retudit *Summus* Coccejus in *Conſiderat. Quæſt. Judaic.* cap. L. nec non Kidderus & Gussetius locis ſupra jam tactis, ita ſi, quæ fuſius à nobis diſpu-

diſputata ſunt, æquâ lance ponderentur, vix in objectione verpi hujus, aut dubiis ab aliis motis, aliquid momenti ſuperfuturum eſſe ſperamus.

XXIV.

Operæ autem nunc pretium erit, ut & verbum de miraculi hujus ſcopo atque ſpirituali ſenſu ſubjungamus. Ubi tamen non curabimus Veterum quorundam æquè ac recentiorum commenta, (ut rectè illa appellat HEIDEGGERUS) quòd CHRISTUS Veteres in ficu inimicitias aperuerit, eíque imprecatus ſit, ſive quod Protoplaſti in ficûs fructu, contra Dei præceptum delibando, peccaverint, ſive quòd ficûs foliis nuditatem tegere ſtuduerint. Quæ partim incertiſſimâ illâ hypotheſi, quòd infelix Paradiſi pomum de ficu decerptum fuerit, nituntur, partim verò tam jejuna ſunt, ut refutationem non mereantur. Rectiùs longè CHRYSOSTOMUS cum aliis nonnullis Patrum cenſuit, Servatorem hoc miraculo luculentum divinæ potentiæ ſignum edere, eóque diſcipulorum animos contra ſcandalum ex traditione ejus in poteſtatem hoſtium & morte oriturum, munire voluiſſe. Quod breviter ſed nervoſè ſatis ADAMUS REISNERUS in *deſcript. Hieroſol.* per JOH. HEYDENUM Lat. redditâ Lib. VII. cap. 27. his verbis complectitur: *Juxta literam autem Dominus paſſurus in populis, & bajulaturus ſcandalum crucis debuit Diſcipulorum animos ſigni anticipatione firmare* &c. Imò eam ob cauſam Servatorem potiùs ſignum in ficu, quàm in ullâ aliâ arbore edidiſſe, ſcitè obſervavit idem CHRYSOSTOMUS, quod hæc inter omnes arbores ferè ſucco maximè abundet, miniméque adeò apta videatur, ut tam ſubitò exareſceret. Quæ uti ſatis piè dicuntur, nihílque abſonum continent, ita immeritò à SIMONE EPISCOPIO carpi, WITSIUS jam rectè monuit. Quod non parum confirmat ipſa miraculi hujus à Servatore facta applicatio, quando diſcipulis ob id admiratione perculſis reſpondet: *Amen dico vobis, ſi habeatis fidem & non dubitetis, non hoc tantùm quod in ficu accidit, facietis, ſed & ſi monti huic dicetis: Tollitor & in mare projicitor, id fiet.* Matth. XXI. 21.

X X V.

Verùm etſi hæc excludenda non ſunt, in iisdem tamen ſubſiſti minimè debet. Non enim Chriſtus tantùm hoc miraculo potentiam ſuam exſerere, ſed & quod probè notandum, judicium aliquod exercere voluit, dum arborem in pœnam ſterilitatis diro hoc maledictionis fulmine percuſſit. Cùm autem propriè dicta pœna non magis quàm culpa in arborem, ut rem brutam & rationis expertem cadat, neceſſe eſt, ut ſi Servatoris ſapientiam ſartam tectam conſervare velimus, eum hoc prodigio tanquam vivâ imagine, judicium aliquod, in tales, qui culpam ſterilitati arboris hujus non abſimilem admiſiſſent, depingere voluiſſe ſtatuamus. Quâ de re eò minus dubitari poteſt, cùm ex innumeris aliis miraculis certò certiùs conſtet, Servatorem ſub illis rerum aliarum picturam exhibere ſolitum eſſe, ut pluribus argumentis ſolidè demonſtratum dedit *Celeb.* VITRINGA in *libr. de Miraculis* in init.

X X V I.

Uti autem hoc plurimi Interpretes agnoſcunt, ita eorum multi in generalioribus & ſenſu morali ſubſiſtunt, exiſtimantes hoc emblemate judicium talium hominum depingi, qui prærogativis à Deo conceſſis gaudentes, fructibus pietatis & bonorum operum nihilominus deſtituuntur, quod JOH. HEYDENUS l. c. his verſibus complexus eſt:

En ficus folioſa tibi ſine fructibus adſtat,
Protinus à Chriſto quæ maledicta fuit.
Florentes refert homines extrinſecus arbor,
Interno quorum corda decore vacant.

Quæ uti non malè dicuntur, ita tamen ſapientiæ Servatoris omnibúsque circumſtantiis non ſatisfaciunt, ſed propiùs ſcopum feriunt, qui Servatorem hîc corruptiſſimum populi Judaici illo tempore ſtatum ſecuturúmque brevi judicium, tanquam in vivâ tabellâ depingi cenſent. Ita enim ſolent non ſolùm pleraque alia miracula, in populo hoc à Servatore edita, ad

ejus

Digitized by Google

ejus ſtatum & fata reſpicere, ſed & multæ peculiares hujus miraculi circumſtantiæ, cum ſententiâ in arborem hanc pronunciatâ, non ſatis commodè in omnes promiſcuè homines infrugiferos, iisdémque exſpectandum judicium quadrant, cùm contrà omnes cum circumſtantiis populi Judaici & ſupplicio illi immiſſo, omni ex parte conveniant, ut ex propiori ſingularum partium elucidatione atque applicatione, diſtinctiùs pateſcet. Adde quòd & ſubjunctæ mox huic miraculo parabolæ, de *duobus filiis*, *quorum alter Parentis juſſa facere recuſans dein tamen faciebat*, *alter contrà eadem ſe facturum ſpondens*, *illa nihilominus contemnebat*, nec non de *agricolis*, *quibus vinea elocata erat*. Matth. XXI. 28. ſeqq. coll. Marc XII. 1. ſeqq. ipſo Servatore Interprete, ad Judæos ejus temporis, & ſupplicium illis inflictum reſpexerint, v. Matth. l. c. com. 31. & 45. Denique & ἀνάκλησις πνευματικῶν conſuetáque aliàs Spiritui S. emblemata idem extra omnem dubitationis aleam ponunt.

XXVII.

Nihil enim notius in ſacris eſt, quàm non ſingulos tantùm homines, ſed inprimis integros populos, & maximè populum Judaicum, ſub emblemate *arboris*, *Vitis*, *Oleæ* & ſigillatim *ficûs*, proponi. vid. Joſ. V. 1. Pſalm. LXXX. 9. Jer. XI. 16. Rom. XI. 7. & præcipuè Luc. XIII. 6. *dixit autem hanc parabolam: Ficum quis habuit plantatam in vineâ ſuâ* &c. ubi per ficum intelligi populum Judaicum, ex nexu manifeſtum eſt, commate enim præcedenti 5. dixerat Servator: *Dico vobis*, *niſi reſipueritis*, *omnes eodem modo interibitis*. Convenientias inter ficum & populum hunc intercedentes non moramur, cùm præcipuas jam eruerint *Cel.* Vitring. loc. adducto & d'Outreinius in *parabolâ de ficu infrugiferâ* ad Luc. XIII. p. 365. ſeqq. neque eæ etiam magnopere hujus loci ſint, ſed potiùs ad illas circumſtantias attendere juvat, quas ipſe Servator hîc commemoravit.

XXVIII.

Harum prior eſt, quod ficus hæc ſtabat *propter viam*: ad quam non ſolùm quidam minùs attendunt, ſed & nonnulli eandem in ſignificatione myſticâ planè pervertunt, dum de culturâ ficuum in hortis & vineis loquuntur, quod à circumſtantiis hujus miraculi planè abludit. Hæc enim ficus potiùs in agro ſtans, culturâ & Domino deſtituta, omnibúsque fortè prætereuntibus expoſita erat: Quod non ſolùm eleganter nos admonere poteſt, ſitus populi Judaici in terrâ *Canaan*, quæ ordinaria via erat omnibus populis circumjacentibus, quâ qui ex *Meſopotamia*, *Chaldæâ*, & reliquis Orientis regionibus, aut *Syriâ*, *Aſiâ* minori & aliis plagis ſeptentrionalibus in *Ægyptum* tendebant, vel hinc contra in illas oras proficiſcebantur, incedere debebant, ſed uti cultura in hortis macerie cinctis, frequens emblema eſt providæ curæ, quam Deus huic populo quondam impendit, ita contrà ſitus propter viam ſine Domino, curâ & macerie, quo arbor hæc tranſeuntium violentiæ patebat, illum populi hujus ſtatum adumbrat, quo Deus ejus curam jam abjicere, tutelam atque defenſionem eidem ſubtrahere, viciníſque omnibus & prætereuntibus compilandum exponere cœpit. Talis erat populi ſub templo II. & maximè circa tempora Christi conditio, cùm non ſolùm mox à *Syris*, & *Ægyptiis*, ſed tandem præcipuè à Romanis infeſtabatur, inprimis quoties hi ex *Syriâ* in *Ægyptum* aut contrà armatâ manu progrediebantur. Huc faciunt conſuetæ illæ apud Prophetas locutiones, Jeſ. V. 5. *Et nunc notum faciam vobis, quod facturus ſum vineæ meæ. Removendo removebo ſepem ejus, & erit in depaſtionem, diruendo diruam maceriem ejus, & erit in conculcationem.* Pſalm. LXXXIX. 42, 43. *Diſrupiſti omnes ſepes ejus, poſuiſti munitiones ejus conſternationem. Diripuerunt eum omnes TRANSEUNTES VIAM, fuit opprobrium vicinis ſuis.* Præcipuè autem Pſ. LXXX. 13. *Quare perfregiſti maceries ejus, & decerpſerunt illam OMNES TRANSEUNTES VIAM?* Quæ loca eò magis huc faciunt, cùm ea,

ut

Digitized by Google

ut ab optimis Interpretibus dudum obſervatum eſt, clariſſimè de fatis populi Judaici præſidio Dei deſtituti, durioribúsque caſibus quos ſub templo II. à Syris præcipuè & Romanis expertus eſt, agant. vid. VITRING. ad Jeſ. V. 5. & XXIV. 3. quod tam manifeſtum eſt, ut ipſi Judæi id agnoſcant: unde in *Midraſch Tehillim* f. 37. c. ad verba Pſ. LXXX. 13. *quare perfregiſti maceries ejus?* dicitur: כשם שהכרם הזה שנפרץ הכל עולין בו ובוזזין אותו כך ישראל בבל מדי יון ארום· בא שלטון בוזזו בא שר הצבא בוזזו שנא' וארוה כל עוברי דרך: *Quemadmodum in vineam hanc diſruptam omnes aſcendunt, eámque diripiunt, ita ſe res habuit cum Iſraële, & Babyloniis, Medis, Græcis* (i. e. Syris) *atque Edom* (i. e. Romanis) *Venit Rex & diripuit illum, venit dux exercitûs & diripuit illum, quemadmodum dictum eſt, & DECERPSERUNT ILLAM OMNES TRANSEUNTES VIAM.*

XXIX.

Arborem autem hanc *eſuriens Jeſus è longinquo vidit.* Quemadmodum fides, bona opera & omnia quæ Deo, & inprimis Chriſto, grata atque accepta in hominibus ſunt, ut cibus ejus conſiderantur, eáque edere dicitur, quando in illis ſanctè acquieſcit, iisdémque quaſi cum voluptate perfruitur, Cant. IV. 16. & V. 1. coll. Apoc. III. 20. ita ut eſuriens proponitur, quando illa appetit atque deſiderat. Hoc eſt quod Jeſ. V. 2. & 4. dicitur: *Dominum exſpectaſſe à vineâ ſuâ uvas bonas.* Eodem facit profanis Scriptoribus frequentiſſimum emblema, quo fames de vehementi rei alicujus deſiderio uſurpatur, ut pluribus oſtenderunt PFOCHENIUS, GATAKERUS aliique laudati WOLFIO in *Cur. Crit.* ad Matth. V. 6. Quòd autem eſuriens Servator eam è *longinquo videret*, D'OUTREINIUS quidem explicat, quòd populus qui quondam Domino propinquus fuerat, tunc ab eodem jam abalienatus ſit. At minus tamen id conveniens videtur: propinquus enim Deo dicebatur in relatione ad fœdus Sinaiticum in quod cum ipſo intraverat, & cultum quem eidem in medio ſui habitanti exhibebat, nec non in oppoſi-

poſitione gentium ab his prærogativis excluſarum, quæ relatio nondum erat ſublata, licèt maxima Judæorum pars illi minùs dignè reſponderet, & corde ſuo longè abeſſet à Domino, quod tamen hîc in cenſum non venit. Unde & PAULUS adhuc Servatore Evangelium annunciante Judæos conſiderat, ut *qui propè erant*, in oppoſitione gentium, *qui longè aberant*. Epheſ. II. 17. Rectiùs itaque hoc conſpectu ficûs è longinquo antequam ad eam accederet, innui cenſeo, quod jam diu populo huic attenderit, oculósque in illum quaſi conjecerit, antequam ad repoſcendos ipſo actu fructus, & ſupplicium illis deficientibus ſumendum, ſe propius accingeret.

X X X.

Appropinquatio itaque ad arborem, ad quærendos fructus, depingit nobis ipſum adventum Servatoris ad Judæos, non ſolùm per manifeſtationem in carne, ſed præcipuè per muneris publici inter illos obeundi initium atque adminiſtrationem, quâ ratione propriè VENIT AD SUOS, *ſed à ſuis receptus non eſt*. Joh. I. 11. Clariùs id patet ex Luc. XIII. 7. ubi in ſimili parabolâ teſtatur, *ſe tres annos venientem jam quæſiviſſe fructum ex hac ficu*. In quibus tribus annis determinandis fruſtra ſe multi Interpretum torquent, cùm omnia plana ſint, ſi de tribus annis miniſterii Servatoris accipiantur, qui quartum illum Servatori emortualem præcedebant. Quamvis fortè ſimul alludi queat ad illud ficuum genus, quod ut diximus §. XVIII. trium ſimul annorum fructum gerere ſolebat: quæ non pugnant, ſed ſibi mutuò commodè ſubordinari poſſunt. Scopus itaque adventûs hujus erat *fructum in hac ficu quærere*, quod in ſimili parabolâ *fructum vineæ repoſcere ab agricolis*, dicitur, Matth. XXI. 34. coll. 37. *Fructus* arborum communiſſimum in Sacris emblema eſſe *operum*, & quidem *bonos operum bonorum*, *malos malorum*, tum quoque quando generatim tantùm fructuum mentio fit, bonos intelligi ſolere, notius eſt, quàm ut vel monere opus ſit. v. Matth. VII. 16. ſeqq. XII. 33. Pſ. I. 3. &c. confer. & *Excerpta Gemaræ* apud WAGENS. in *Sota* cap. IX. num. II. Verùm quemadmodum id tum locum

cum habet, quando ſinguli homines arboribus comparantur, ita ubi integer populus ſub emblemate arboris proponitur, *fructus* repræſentant *homines ipſos*, & quidem *fructus boni*, vel aliquando etiam abſolutè & ſine addito epitheto, *fructus*, *homines bonos* & *pios*, qui Deo accepti aliíſque utiles ſunt, *mali*, *malos*. Sic Jer. XXIV. 2. ſub ſymbolo *ficuum bonarum valdè*, quales ſunt *præcoces ficuum*, repræſentabat Deus Prophetæ deportatos in terram Chaldæorum, & ſub ſymbolo *ficuum malarum*, ZEDEKIAM cum *Principibus* ejus & reſiduis Hieroſolymæ &c. conf. comm. 5. & 8. & XXIX. 17. Atque hinc defectus fructuum depingit talem ſtatum, ubi Viri pii & boni non ampliùs ſuperſunt. Ita res diſertè proponitur, & ab ipſo Prophetâ explicatur, Mich. VII. 1, 2. *Væ mihi*, *quia ſum ut in collectionibus æſtatis*, *ut in racemationibus vindemiæ. Non eſt botrus ad comedendum*, *& præcoqua quam appetit anima mea. Periit juſtus à terrâ*, *& rectus non eſt inter homines: omnes inſidiantur ſanguini*, *alter alterum venatur ſagenâ.* Quem locum non malè *παραφράζει* CHALDÆUS וי לי כי הויתי כבכף טבייא בעדן דאבדו חסידייא מן ארעא הא כסיופי קיטא כעוללן בתר קטוף לית גבר דביה עובדין טבין לטבייא חמדת נפשי *Væ mihi*, *quoniam fui ut colligens bonos tempore quo pii perierunt à terrâ. Hi ſunt ſicut extremi fructus æſtatis*, *ſicut racemi poſt vindemiam. Non eſt Vir in quo opera bona: bonos deſiderat anima mea*: & RASCHI אין אשכול לאכול כתרגומו לית גבר דביה עובדין טבן (ubi nota, in Buxtorfianis per errorem typographicum legi אובדין) *non eſt botrus ad comedendum*, *id eſt*, *ut Chaldæus interpretatur*, *non eſt Vir in quo ſint opera bona*: R. D. K. eadem verba explicat: *non eſt ſanctus & rectus*, *cujus opera diſcam.* Eodem facit quod legitur in *Sota* IX. m. IX. משמת יוסי בן יועזר איש צרידה ויוסי בן יוחנן איש ירושלים בטלו האשכולות שנאמר אין אשכול לאכול בכורה איותה נפשי *Ex quo Joſe F. Joëſer Zeredenſis mortuus & Joſe F. Jochananis Hieroſolymitani*, *ſublati ſunt botri:*

tri:

tri: (vel ut WAGENS. reddit, *Viri botruoſi*) *quemadmodum dictum eſt* (Mich. VII. 1.) *Non eſt botrus ad comedendum, præcocem fructum deſiderat anima mea.* conf. quæ ex *Gemara* ad loci hujus interpretationem adfert WAGENS. p. 933.

XXXI.

Exaggeratur autem hoc quia ficus hæc foliis abundabat, & Servator *nihil inveniebat niſi folia.* Folia, quæ arboribus ſingularem elegantiam conciliant, & in ubere ſolo atque arbore ſucci plenâ, copioſè provenire ſolent, in ſacris aliquando emblema gerunt *externæ felicitatis ex abundanti rerum copiâ profluentis.* v. Pſ. XXXVII. 35. Dan. IV. 8, 9, 11. coll. 18. ſeq. quemadmodum contra ſummæ infelicitatis deſcriptio eſt, *& ramus ejus non virebit*, Job. XV. 32. Deinde folia quoque imaginem gerere ſolent *externæ confeſſionis & exercitiorum religionis*, unde ſi cum *fructibus* conjuncta ſint, in bonum ſenſum ſumuntur, ut Pſ. I. 3. & Jerem. XVII. 8. ſed *nuda folia* absque fructibus aut in oppoſitione fructuum, nihil niſi nudam confeſſionem cum externis religionis exercitiis, gloriatione in externis prærogativis, ſtudio propriæ juſtitiæ & hypocritico faſtu, *quo quis ſpeciem pietatis aſſumit, cujus vim tamen abnegat*, 2. Tim. III. 5. exiſtimationem coram hominibus quærit, aut ſemet ipſum effert, repræſentant. conf. Pſ. XXXVII. l. c. & Jeſ. mox adducenda. Huc pertinent *folia ficulnea*, quibus Protoplaſti nuditatem ſuam tegere quærebant. Gen. III. 7. Omnia hæc non incongruè cum priori ſignificatione terrenæ felicitatis conjungi poſſunt. Quoniam autem, ut vidimus, ubi arbor totum populum repræſentat, fructus ſingulorum hominum imaginem exhibent, natura emblematis flagitat, ut & folia ſimili ratione accipiamus, quemadmodum & aliàs paſſim apud Prophetas homines *foliis arborum* comparari ſolent. v. Jeſ. I. 30. XXXIV. 4. LXIV. 6. Atque ita jam arbor hæc foliis luxurians, ſed fructibus deſtituta, repræſentabit nobis populum Judaicum carnalem, multis quidem bonis gaudentem, ſed abundantem hominibus, confeſſione oris, gloriatione in externis prærogativis, templo ejúsque cultu, origine ex Abrahamo,

Digitized by Google

hamo, zelo pro lege patriâ, rigidâ obſervatione præcepti carnalis, ſtudio & præſumtione propriæ juſtitiæ, ſemet hypocritico faſtu efferentibus, ſed interim veræ pietatis cultoribus penitus deſtitutum. Hæc eſt facies populi illius temporis, inprimis fermento Phariſæorum & Scribarum imbuti, qualis illa paſſim apud Prophetas & præcipuè in N. T. à Chriſto & Apoſtolis exhibetur. v. Joh. VIII. 33. ſeqq. Matth. XXIII. 15, 23. Luc. XVIII. 11, 12. Rom. IX. 31. 32. atque huc præcipuè querela modo jam tacta Mich. VII. 1. ſeqq. cujus hæc hiſtoria quaſi quædam explicatio atque implementum eſt, & parabola *de ficu infrugiferâ* Luc. XIII. 6. ſeqq. ſpectant.

XXXII.

Meritò tamen Servator fructum quærere poterat, non ſolùm quia populum hunc tot prærogativis cumulaverat, omnibúsque gratiæ mediis abundè inſtruxerat, conf. Jeſ. V. 1. ſeq. cujus rei evidens ſignum erat florentiſſimus arboris ſtatus, ſed &, *quia nondum erat tempus ficuum*. Hæc verba interpretibus plurimum negotii faceſſiverunt, unde multi illa ſicco pede prætereunt, interim tamen non adeò applicatu difficilia ſunt, modo totum ſchema emblematis ritè in oculis ſervemus. Scilicet quod frugibus agri *tempus maturitatis* & *meſſis* eſt, id arboribus eſt *tempus, quo fructus maturi decerpuntur atque colliguntur*. Quemadmodum autem tempus, arationis, occationis, rigationis agrorum, æquè ac plantationis, inſitionis, humectationis, purgationis arborum & vitium, imaginem in Sacris exhibere ſolet temporis gratiæ, quo per varia media, Eccleſia ad ſpiritualem fertilitatem præparatur, vid. Jeſ. V. 1. ſeqq. & XXVIII. 29. & ad utrumque locum *Celeb.* VITRING. in *Comment.* conf. Matth. XXI. 33. ſeqq. & Joh. XV. 1. ſeqq. ita Tempus *meſſis* conſtans emblema in Sacris eſt temporis inſtantis judicii, quo Deus veros confeſſores à falſis ſeparat, & ſeparatos colligit quaſi in horrea, ut eò rectiùs in falſos, qui paleæ & Zizaniorum rationem habent, juſtis pœnis animadvertere queat. Res notior eſt, quàm ut ferè probatione

 indi-

Digitized by Google

indigeat, inprimis cùm ipſe SERVATOR Parabolam Matth. XIII. 24. ſeqq. ita explicet comm. 39. ſeqq. *Meſſis eſt conſummatio ſeculi, meſſores ſunt angeli. Quemadmodum igitur colliguntur Zizania, & igne comburuntur, ita erit in conſummatione ſeculi. Emittet filius hominis angelos, & colligent ex regno ejus omnia ſcandala & qui faciunt iniquitatem &c.* quod *cum collectione piorum, ut boni tritici in borrea eccleſiæ conjunctum eſſe*, patet ex com. 30. & Matth. III. 12. Atque hoc non tantùm tempore ultimi judicii locum habebit, quò à multis Parabola illa applicatur, ſed & de judiciis particularibus ſæpiſſimè uſurpatur. v. Jer. LI. 33. & Joël. III. 13. Talis meſſis Judæis quondam evenerat, in judicio, quod Deus regno Iſraëlitico per Aſſyrios, & Judaico per Babylonios immiſit, de quo Hoſeas VI. 11. *etiam Judæ poſuit meſſem.* v. VITRING. *comment. in Jeſ.* P. II. p. 133. Talis adhuc Servatore in terris obambulante inſtabat, *quo tempore agri jam albi erant ad meſſem*, Joh IV. 35 *ſive metendi verbo Evangelii, ſive carpendi gladio & falce Romanorum, cùm finis Reipublicæ Judææ & Oeconomiæ Veteris jam properaret. emblema enim utroque modo ſumitur.* Sunt verba ejusdem ſolidiſſimi ſcripturæ propheticæ Interpretis, ib. p. 134. Idem autem quod in frugibus per meſſem, in arboribus & vitibus per collectionem fructuum aut vindemiam depingi, clariſſimè patet ex utriusque emblematis conjunctione Apoc. XIV. 14. ſeqq. *Et vidi, & ecce nubes candida, & ſuper nube ſedens quidam ut Filius hominis — — & in manu ſuâ* (habens) *falcem acutam. Et alius angelus prodiit è templo clamans — — Mitte falcem tuam & METE; quia VENIT TIBI TEMPUS METENDI, QUIPPE ARUIT MESSIS TERRÆ. Et miſit qui inſidebat nubi falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra. Et alius Angelus prodiit è templo — — habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus prodiit — — dicens: Mitte falcem tuam acutam, & VINDEMIA BOTROS TERRÆ, NAM MATURUERUNT UVÆ EJUS. Miſit igitur Angelus falcem ſuam acutam in terram, & VINDEMIAVIT VINEAM TERRÆ* &c. ad quæ

ultima

ultima verba rectè ſæpius laudatus *Celeb.* VITRINGA: *Emblema per omnia reſpondet ſuperiori, éſtque idem fere utriusque bujus imaginis ſymbolicæ ſenſus*, & dein p. 674. *Planè cum Medo ſic ſentio, utrumque boc judicium Meſſis & Vindemiæ adbuc exſpectandum eſſe. Utrumque inquam, imò verò unum idémque. Quando enim banc propbetiam diligentiùs contuli cum Oraculo Joëlis III.* 13. *in quo utrumque emblema ad idem refertur judicium; nullam vidi rationem bæc emblemata de diverſis judiciis interpretandi.* Vid. & Jeſ. XVIII. 5. Cùm itaque tempus illud collectionis fructuum, quo Deus pios ab impiis ſeparaturus, ad judicium poſterioribus infligendum, nondum advenerat, neque tamen in ficu populi carnalis fructus invenirentur, ſed tantùm folia externorum confeſſorum & hypocritarum, manifeſtum erat, arborem hanc peſſimæ indolis, & vel planè infrugiferam eſſe, vel fructus excuſſiſſe debere. Neque eſt, ut quis objiciat, diſcipulos tamen Servatoris & primos Chriſtianos ex Judæis fuiſſe. Hi enim non pertinebant ad populum carnalem, qui per hanc arborem repræſentatur, imò Judæi omnes tales dudum quaſi abjecerant, & communione ſuâ excluſerant, cùm decretum conderent, *ſi quis Jeſum confiteretur Chriſtum, illum Synagogâ ejiciendum eſſe*, Joh. IX. 22. quod & dein continuârunt. Joh. XVI. 2.

XXXIII.

Atque hinc ſimul manifeſtum evadit, quàm juſtè Servator arborem hanc exſecrationis fulmine percuſſerit, ipſáque adeò protinùs exaruerit. Cui rei non opus eſt, ut immoremur, cùm mox ſecuta populi hujus fata id ſatis clarè teſtentur, quando non ſolùm omni priſtinâ gloriâ privatus, everſáque per Romanos Republicâ & templo, per totum orbem diſperſus eſt, ſed & ſubtractis gratiæ mediis, effuſóque ſpiritu ſoporis, & corde obeſo reddito, omni vitâ ſpirituali eſt privatus, regnúmque Dei ab ipſo ablatum eſt. v. Jeſ. V. 5. ſeq. VI. 10. ſeq. XXIX. 10. Matth. XXI. 43. conf. Matth. III. 10. & Luc. XIII. 7, 9. Qui ſtatus eò rectius arbori arefactæ ſeu

emortuæ comparatur, quò magis Spiritus S. ipſe eum mortem appellare ſolet. Ezech. XXXVII. 1. ſeq. & Rom. XI. 15. quemadmodum idem quoque non minorem primis Evangelii præconibus ſtuporem injecit, aut etiamnum omnibus ad illum ritè attendentibus, injicit, quàm contemplatio aridæ arboris Apoſtolis. Duo tantum hîc verbo adhuc expedienda ſunt. 1. Quòd dubium videri queat, quomodo id protinus factum dicatur, cùm tamen Reſpublica adhuc XL circiter annos, poſt mortem Servatoris, ſteterit. 2. Quâ ratione Servator dicere queat, æternùm ex hac arbore nullum fructum iterum comedendum eſſe, cùm tamen reſtitutio Judæorum ultimis temporibus ſecundùm vaticinia Prophetarum certò exſpectanda ſit. Ad primum reponimus, mox poſt conſummationem Chriſti per paſſiones & effuſionem Spiritûs, tremendum hoc ſupplicium initium ſumſiſſe, maximè cùm Judæis ſemet ipſos vitâ æterna indignos reputantibus, Apoſtoli ſe converterent ad gentes, Act. XIII. 46. in Hieroſolymæ everſione autem tandem eſſe conſummatum. Ad alterum: nunquam carnalem illum populum eſſe reſtituendum, ſed divinâ manu, poſteros *propriæ oleæ* (quæ nempe in majoribus quondam ipſorum fuerat, ſed à quâ ad tempus exciſi) *poſtliminiò iterum inſerendos eſſe*. Rom. XI. 24. Sícque novum populum creatum iri, qui licèt ſecundùm carnem ex hac gente deſcendens, non tamen progenies horum degenerum Parentum, ſed potiùs piorum Majorum, ipſiúsque Abrahami, Iſaaci, & Jacobi ſemen, novæ vitæ ex mortuis particeps evaſurus erit. Ezech. XXXVII. 5. & Rom. XI. 15.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XXIII.

DE
LEGE MOSIS, PROPHETIS ET PSALMIS.
AD LUC. XXIV. 44.

I.

Quàm facilè quámque nervoſè, in tantâ præcipuè luce, quæ priſcis ævi oraculis cùm maximè affuſa eſt, præeunte ipſo Servatore Luc. XXIV. 44. demonſtratur, quòd impleri debuerint πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς περὶ αὐτοῦ· *omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de ipſo*: tam obſcurum támque incertum hactenus manſit, quid triplici hac denominatione Servator propriè indicare voluerit. Quare operæ pretium erit in hanc rem paulò penitiùs inquirere.

II.

Plerique Interpretes hîc digitum intendi exiſtimant in triplicem illam apud Judæos vulgò receptam totius Codicis Veteris Inſtrumenti diviſionem in תורה נביאים וכתובים *Legem*, *Prophetas & Hagiographa*, de quâ conſuli poſſunt, quos fuſè laudat Wolfius *Bibl. Hebr.* P. II. p. 41. ſeqq. Sententiam hanc inprimis ornare anniſus eſt Ligthfootus in H. H. ad Matth. XXVII. 9. & Luc. loc. adductum. Cùm autem verba hæc ab illis Servatoris in eo præcipuè differant, quòd in illis *Hagiographorum*, apud Lucam autem *Pſalmorum* fiat mentio, Pſalmos hîc pro integro Hagiographorum volumine nominari exiſtimant, quod à Pſalmis, ut primam ejus partem conſtituentibus, antiquitùs denominatum fuerit. Atque hoc il-

luſtrare

luſtrare quærunt loco Matth. XXVII. 9. ubi vaticinium apud ZACHARIAM cap. XI. comm. 12. & 13. occurrens, ſub JEREMIÆ nomine allegari volunt, quoniam à Jeremiâ, qui antiquitùs in fronte voluminis Prophetarum collocatus fuerit, integrum Prophetarum volumen appellari arbitrantur. Quæ ſententia tantò impenſiùs ipſis placet, quò magis loco aliàs inſolubili viſo, commodiſſimam hac ratione medelam adferri arbitrantur. Nec diffiteri poſſum, me quoque dum certiora cognita non haberem, diu in eadem ſententiâ fuiſſe.

III.

At poſtquam omnia exactiori trutinæ appendi, non contemnendas rationes inveni, quæ me illi nuncium mittere coëgerunt.

Primò enim, totum ſententiæ hujus fundamentum, de loco, quem Pſalmorum liber inter hagiographa obtinuerit, non tam firmo, quàm vulgò putatur, fundamento nititur. Nam licèt cùm maximè in bibliis hebräicis impreſſis plerumque reliquis hagiographis præmitti ſoleat, apud antiquiores tamen id non usque adeò obſervatur. In cod. Talmudico BAVA BATHRA ſanè f. 14. 2. (quo nullus hactenus inter Judæos antiquior locus, de hoc argumento agens, obſervatus eſt) apud MAIMONID. nec non in quibusdam MSc. bibl. ex. gr. HUNTINGTONIANO Vol. XI. & XII. primus locus libro RUTH conceditur. Unde non immeritò REV. WOLFIUS l. c. p. 48. ait: *Pſalmi quoque olim ſi eidem codici Bava Bathra fides habenda eſt, non primum inter hagiographos locum tenuerunt, ſed potius liber* RUTH, *quo ipſo ſiquidem ille ordo univerſalis fuiſſe credendus eſſet, concideret virorum Doctorum ſententia, qui Luc. XXIV. 44. à Sanctiſſimo Servatore noſtro Pſalmorum nomine, totum Hagiographorum volumen, tanquam cujus initium illi facerent, indicatum cenſent.* In gemino Catalogo HIERONYMI, *Proleg. in Reg.* CANON. APOSTOL. ita dictis. Can. LXXXV. apud CYRILLUM HIEROSOL. GREGOR. NAZIANZENUM, AMPHILOCHIUM, EPIPHANIUM, LEONTIUM, JOH. DAMASCENUM alióſque, Liber JOBI Pſalmis præponitur. Alii denique præſertim codd. MSC. libris Chro-

Chronicorum primum locum concedunt, de quibus omnibus, Indices librorum Vett. Inſtrumenti ab Hodio de *textibus Original. bibl.* pag. 644. & Wolfio *Bibl. Hebraic.* P. II. p. 50. ſeqq. exhibiti, ex profeſſo conſuli poſſunt.

I V.

Deinde 2. ſi vel maximè ordo ille certus & indubius eſſet, minùs rectè tamen inde concluderetur, Pſalmos pro integro hagiographorum volumine, cujus initium fecerint, uſurpari, cùm nullum hujus locutionis exemplum, non ſolùm ex Sacris litteris, ſed & omnibus Judæorum ſcriptis hactenus allatum, imò ne ſimilis quidem phraſeos ſpecimen, vel aliunde adductum ſit. Quod enim Humphridus Prideaux *Vir Celeb.* in egregio opere, quod, *Connexionem Vet. & Nov. Teſtam. cum hiſtoriâ Judæorum & vicinarum gentium*, inſcripſit, Tom. I. p. 419. & 420. verſ. German. provocat ad morem Judæorum, quo integros libros à vocibus initialibus denominant, ut primum librum Moſis *Bereſchit* &c. huc planè non quadrat, cùm aliud longè ſit, uni cuidam libro aut ſcripto, peculiari titulo deſtituto, nomen diſtinctionis cauſâ, à vocabulis initialibus dare, quod paſſim aliàs quoque obtinet, quemadmodum ex. gr. eadem ratione *conſtitutiones Pontificiæ* à primis vocibus denominantur, ut *Conſtitutio*, Unigenitus &c. aliud pluribus diverſi generis ſcriptis, quæ ſingula ſuis titulis, argumento eorundem convenientibus, gaudent, & à ſe invicem diſtinguuntur, in unum volumen compactis, unius libri in fronte collocati appellationem communem facere, cujus rei non facilè ullum exemplum ſive ex ſacris, ſive ex profanis adductum iri credo, ſaltim hactenus nullum adductum eſt. Illuſtrabo rem exemplo: Cicero triplicis potiſſimùm generis ſcripta nobis reliquit, *Oratoria*, *Epiſtolica* & *Philoſophica*. Poſteriora diverſiſſimi argumenti ſunt, diverſis titulis, quos ſingula in fronte gerunt, indicati, *de Officiis*, *de naturâ Deorum*, *de divinatione* &c. quæ ſingula ſi quis in unum volumen combinata ederet, illúdque quod primum nominavimus, in fronte collocaret, num integram hanc librorum philoſophicorum collectionem idcircò

auderet *libros de Officiis* appellare, aut quiſquam, ſi id factum videret, non inconſultò & præpoſterè factum crederet? Applica jam id huic negotio, & quàm exactè huc quadret, ultrò intelliges. Fruſtra igitur eſt *Clariſſ.* SURENHUSIUS in βίβλῳ καταλλαγῆς Lib. II. de modis, ſecundùm quos priſci Hebræorum Theologi Scripturas allegârunt, Theſ. III. ſcribens: *Moris námque fuiſſe apud Veteres primum librum allegare pro reliquis in eodem volumine comprehenſis, patet ex allegatione Chriſti apud Lucam XXIV. 44. ubi is librum Pſalmorum pro reliquis libris Hagiographis allegat.* Cùm enim nullum planè hujus moris exemplum adduxerit, neque, ut firmiter credo, adducere potuerit, quàm illud ex Lucâ, quod adhuc in quæſtione eſt, nihil aliud egit, quàm ut incertum per æquè incertum, aut falſum per æquè falſum probaret.

V.

Inprimis verò 3. ipſa illa diviſionis Sacri Codicis ratio Judæis penitùs inuſitata eſt. Non audeo quidem cum REV. WOLFIO loco adducto, tripartitam diviſionem S. Codicis in *Legem*, *Prophetas* & *Hagiographos*, Chriſti ætate in dubium vocare, cùm ea jam multis retrò ſeculis uſitatiſſima ſit, nec ſeriùs demum inventam eſſe conſtet, quin imò non obſcura ejuſdem veſtigia apud SYRACIDEM & JOSEPHUM, locis à WOLFIO ipſo adductis inveniantur, verùm id potiùs intendo, atque audacter adfirmo, nunquam in illâ Pſalmorum mentionem injici. Quis igitur credat, Servatorem, qui ubique ſermonem ſuum recepto in gente judaicâ loquendi mori accommodat, in re tam obviâ, ſine omni ratione ab eo recedere voluiſſe. Non ignoro quidem *Cel.* TRIGLANDIUM in *Diatribe de Sect. Karræor.* cap. IX. poſtquam verba R. SCHALMONIS *Karræi* attuliſſet, affirmantis, *quæ R. Saadias Gaon adduxerat de notitiâ ultimi termini redemtionis, atque huic conterminæ reſurrectionis mortuorum, commemorari ac contineri in canticis, Prophetis omnibúsque videntibus*; ita commentari: " Notare licet, quum *Karræi* aſ-
„ ſerunt, *Redemtionis* Characteres & *temporum Signa*, in *Pro-*
„ *phetis*, *omnibus Videntibus*, & *Hymnis* paſſim & abundè ha-
„ beri,

„ beri, eos ſic ſtabilire fundamentum Evangelii; & fere ge-
„ mina dicere cum *D. Jeſu*, *Luc.* 24: 44. de Meſſiâ eſſe
„ *ſcriptum in Lege*, *Prophetis ac Pſalmis*. conf. Wolf. *Cur.*
„ *Philol. & Critic.* ad locum Lucæ. Verùm unus quisque facilè vel me tacente intelligit, *Virum Celeb.* minimè ipſam Judæi phraſin cum hac Servatoris ut *ἰσοδύναμον* componere, cùm Judæus ne verbulo quidem *Legis* mentionem injiciat, nec Servator ullos *videntes* diſtinctè à *Prophetis* memoret, ſed id tantùm innuere velle, quòd, quemadmodum Servator ad neceſſitatem & veritatem perpeſſionum & ſecuturæ gloriæ confirmandam, ad libros Vet. Inſtrumenti provocaverit, ita & Judæus characteres temporis redemptionis & reſurrectionis mortuorum ex eodem fonte conſtare aſſeruerit. Quod propiùs ex ſequentibus patet, ubi ſtatim pergit Triglandius: „ *Et Pe-*
„ *tro* (ſcil. gemina dicere Karræum) *Huic omnes Prophetas*
„ *perhibere teſtimonium*, &c. Act. 10: 43. ubi neque *videntium* neque *Pſalmorum* mentio fit, ſed tantùm *Prophetarum*. Ad rem ipſam igitur *Vir Clariſſ.* in hac collatione reſpexit, non autem ad formulam quâ in allegandis his fontibus, vel Servator & Petrus, vel *ſcriptor* Karræus uſus fuit. Quòd ſi quis exiſtimet, Triglandium inſuper eò reſpicere, quòd *Karræus* triplicis generis Scriptores memoret, unde loca deſumantur, ut *Servator*, tum quoque inter illos æquè, quàm quos Servator laudat, *Prophetas* & *Hymnos* ſeu *Pſalmos* numeret, non magnopere quidem refragabor. Verùm neque ſic formula tamen, ut ex dictis patet, eadem eſt, neque conſtat aut probabile eſt, *Hymnos* pro integro Hagiographorum volumine poni.

VI.

Majorem ſpeciem primâ fronte habere videtur illuſtris Josephi locus, lib. I. *contra Appion.* pag. 441. edit: *Haverkamp.* quem idcircò quoque præcipuè hîc confert Prideaux loco ſupra adducto. *Ὀυ γὰρ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ᾽ ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων· δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία, τὰ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως θεῖα πεπι-*

ςευμένα. καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι τὰ Μωϋσέως, ἃ τούς τε νόμους περιέχει, καὶ τὴν τῆς ἀνθρωπογονίας παράδοσιν, μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς. οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρισχιλίων ὀλίγον ἐτῶν. ἀπὸ δὲ τῆς Μωϋσέως τελευτῆς μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς, οἱ μετὰ Μωϋσῆν προφῆται τὰ κατ' αὐτοὺς πραχθέντα συνέγραψαν ἐν τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις. αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσιν. *Non enim myriades librorum ſunt apud nos, diſſentientium & inter ſe pugnantium: duo autem ſolùm ſupra viginti libri totius temporis deſcriptionem continentes, qui meritò creduntur divini. Et horum quinque quidem ſunt Moſis, qui leges complectuntur & conditi hominis traditionem, usque ad mortem ejus* (Moſis.) *Hoc tempus paulò minus tribus annorum millibus conſtat. A Moſis autem morte usque ad imperium Artaxerxis Regis Perſarum, qui Xerxi ſucceſſit, Prophetæ poſt Moſem, quæ ſuo tempore geſta ſunt, conſcripſerunt tredecim libris: reliqui autem quatuor continent hymnos in laudem Dei, & præcepta ad vitam humanam ritè inſtituendam.* Verùm nec hic locus quicquam ad rem facit. Sive enim per quatuor illos, *Pſalmos*, *Proverbia*, *Eccleſiaſtem* & *Canticum Canticorum*, ut plerique omnes volunt, ſive quoſcunque alios intelligat, quod mihi hîc perinde eſt, 1. non dicit tertium hoc volumen *hymnorum nomine appellari*, ſed *hymnos continere*, & quidem 2. non *hymnos* ſolos, ſed *hymnos in Deum*, & *præcepta ad vitam humanam ritè inſtituendam*. Neque eſt, ut quis objiciat, hymnos generatim pro *libris poëticis* poni, nam præterquam quod valdè dubitem hunc ſenſum phraſi *hymni in Deum* vindicari poſſe, nunquam in univerſâ antiquitate quatuor librorum poëticorum in Codice Sacro fit mentio, ſed Judæi eorum tantùm tres, *Jobum*, *Proverbia* & *Pſalmos*, memoriali voce אמ״ת comprehenſos, Chriſtiani autem quinque, additis nempe *Eccleſiaſte* & *Cantico Canticorum*, numerant, ut rectè Rever: Wolfius ibidem monuit ſubſect. VI.

VII.

Alii itaque, ut ipſe Wolfius tam in *Bibl. Hebr.* quàm *Cur: Phil.*

Phil. in Luc. & quos priori loco ſibi ὁμοψήφους laudat, SERVATOREM non ad triplicem illam diviſionem, ſed potiùs conſuetam ipſi æquè ac Apoſtolis, διχοτομίαν in *Legem* & *Prophetas* reſpexiſſe volunt, inprimis autem poſt Prophetas, *Pſalmorum* mentionem facere, quia inter ſcripta Prophetica præcipuè in Pſalmis clariſſima perpeſſionum & ſecuturæ gloriæ Chriſti vaticinia exſtent, unde verba interpretanda eſſe contendunt. *Omnia debent impleri, quæ ſcripta ſunt in Moſe, in Prophetis*, & inprimis *in Pſalmis*, eodem modo, uti verba Angeli Marc. XVI. 7. *Ite & dicite diſcipulis ejus & Petro*, explicanda ſint, & inprimis *Petro.* Sed nec huic ſententiæ calculum adjicere poſſum. Præterquam enim quòd non duo hîc commemorentur, ut fieri ſolet, quando uni ex laudatis prærogativa quædam datur, ſed tria eodem ordine & in eadem relatione collocentur, MOSES, PROPHETÆ ET PSALMI, non video, quare Servator Pſalmos inprimis hîc diſtinctè à Prophetis commemorare voluerit, cùm ſanè in Prophetis, ut præcipuè Jeſaiæ cap. LIII. ſi non clariora & illuſtriora, certè non minùs luculenta & memorabilia exinanitionis & exaltationis Chriſti, cum cauſis, circumſtantiis, & fructibus utriusque, teſtimonia occurrant. Denique nec ullum ſimilis allegationis fontium Vet. Inſtrumenti exemplum in omnibus Judæorum ſcriptis occurrit. Quòd ſi igitur eadem, aut ſimillima phraſis, apud Judæos alio ſenſu, qui & loco Lucæ ſatis conveniat, uſurpata inveniatur, dubitari ſanè cum ratione non poterit, quin is hoc loco quoque præferendus ſit.

VIII.

Ad nos itaque quod attinet, mediâ viâ incedendum eſſe exiſtimamus, ut neque verba hæc à διχοτομίᾳ deſumta eſſe ſtatuamus, cùm disertè hîc loci tria, diſtinctè in eadem ad ſe invicem relatione collocentur, neque ad vulgarem illam τετραχοτομίαν reſpici credamus, cùm id & naturæ rei adverſetur, & omni planè exemplo careat, Pſalmos pro integro Hagiographorum volumine uſurpare. Quare locutionem quidem, triplicem illam diviſionem pro fundamento habere cenſemus,

 ita

ita ut duo priora volumina Sacri Codicis generatim, ſub conſuetâ appellatione Legis, ſeu Mosis, & Prophetarum memorentur, ex tertio autem ſolus Liber Psalmorum, cujus diſerta mentio fit, adducatur. Id enim

1. Ipſe verborum ſonus flagitat, ſimplicitati litteræ exactè convenit, cùm ſic verba ordinariâ & conſuetâ ſignificatione, ſine ullâ vi ac coactione, accipiantur.

2. Id ad rem ipſam optimè quadrat, cùm ex *Hagiographis*, *Pſalmorum* præcipuè *Liber*, ut mox videbimus, loca ſcopo Servatoris apta, ſuppeditaret.

3. Id ſolùm recepto apud Judæos loquendi mori convenit, eóque tantùm confirmari poteſt.

At hoc ipſum ſine dubio tibi propiùs demonſtrari deſiderabis, cùm nemo hactenus ullum, phraſi Servatoris ſatis conveniens, exemplum attulerit. En itaque tibi aliquod clariſſimum omníque exceptione majus ex Maimonidis *Hilcbot Schophar* cap. III. §. 8. ubi Vir Doctus, qui ſolus teſte S. *Scaligero* inter Judæos ineptire deſiit, ſcribit: וצריך לומר בכל ברכה מהן עשרה פסוקין מעין הברכה שלשה פסוקין מן התורה ושלשה מספר תילים ושלשה מן הנביאים ואחד מן התורה משלים בו: *Et dicere debet, poſt unamquamque harum benedictionum decem loca biblica, unde benedictio illa deſumta: tria loca* ex Lege, *tria ex* libro Psalmorum, & *tria* ex Prophetis: *tum verò uno ex Lege finem imponit.* Vides hîc B. L. eadem illa tria, quæ Servator commemorat, manifeſtiſſimè non ſolùm conjungi, ſed & cùm *Moſes* & *Lex* in ſacris litteris æquè ac Judæorum ſcriptis alternent, idémque planè ſit, utrum *Pſalmos*, an *librum Pſalmorum* nomines, ſi ſolum ordinem excipias, quo apud Maimonidem *Pſalmi*, *ſecundo loco*, apud Lucam autem *tertio* ponuntur, (cujus rei rationem infra reddemus) locum hunc illi Lucæ planè παράλληλον eſſe.

I X.

Cùm primùm in hæc verba Maimonidis inciderem, eóque adhuc præjudicio imbutus eſſem, Servatorem ſub Pſalmorum nomine

nomine totum volumen Hagiographorum complecti, non dubitabam., & MAIMONIDEM eodem ſenſu phraſin adhibere, impenſéque adeò gaudebam, tandem fruſtra hactenus à Viris doctis quæſitum locutionis hujus exemplum, in ipſis Judæorum ſcriptis inventum eſſe, ídque tantò magis, quia primo intuitu videbatur idem MAIMONIDES dein *librum Pſalmorum* cum כתובים *Hagiographis* permutare, quando mox eodem loco pergit: ואם אמר פסוק אחד מן התורה ואחד מן הכתובים ואחד מן הנביאים יצא: *Quòd ſi unum locum ex* LEGE *recitaverit, unum ex* HAGIOGRAPHIS, *unúmque ex* PROPHETIS, *res ſe legitimè habet.* Gemina his habet MAGGID MISCHNE ad h. l. imò BARTENORIENSIS ad *Roſch haſſchana* cap. IV. m. 6. priora illa verba, quæ MAIMONIDES exhibet, adducens, diſertè loco Pſalmorum Hagiographos nominat, dicens: ג׳ פסוקי׳ משל תורה· וג׳ משל כתובים· וג׳ משל נביאים· ואחד משל תורה שבשלים בו: *Tria loca ex Lege: & tria ex* HAGIOGRAPHIS: *& tria ex Prophetis: & unum ex Lege, quo finem imponit.* Quin & ipſa *Gemara*, unde omnia illa deſumta ſunt, hac in parte præit, in *Roſch haſſchana* f. 32. a & b. ubi ſæpius ſimiles locutiones occurrunt, ſed plerumque Hagiographorum fit mentio. Eadem ratione in ARBA TURIM Ord. *Orach Chajim* f. 280. b. dicitur ומ״ם נוהגין כת״ק לומר עשרה ומתחיל ואומר בשל תורה ככתוב בתורתך ואומר ג׳ של תורה ואחר כך ובדברי קדשך כתוב לאמר ואמר שלשה של כתובים ואח״כ ועל ידי עבדיך הנביאים כתוב לאמר ואומר שלשה של נביאי׳ וחוזר ואומר ובתורתך כתו׳ לאמר ומסיים בשל תורה ואם סיים בשל נביא יצא. *Et omninò conſueverunt ſecundùm ſententiam prioris Doctoris pronunciare decem* (loca) *ita ut* (illas recitaturus) *incipiat ex lege, dicens, quemadmodum ſcriptum eſt in lege tuâ, pronunciátque tria* (loca) *ex Lege: deinde* (pergit) *& in verbis ſanctitatis tuæ ſcriptum eſt dicendo,* (ſicque) *recitat tria* (loca) *ex Hagiographis: poſt hæc iterum ait, & per manus ſervorum*

vorum tuorum, Prophetarum, ſcriptum eſt, dicendo, (ſicque) *pronunciat tria* (loca) *Prophetarum: tandem denuò ait, & in Lege tuâ ſcriptum, dicendo,* (ſicque) *finem imponit loco ex Lege, quòd ſi finiat loco ex Prophetis, res quoque ſe legitimè habet.*

X.

Verùm licèt hæc ſpeciem habeant, ipſéque primùm exiſtimaverim, MAIMONIDEM loco adducto Librum Pſalmorum pro omnibus Hagiographis ponere, mox tamen cùm in rem ipſam propiùs inquirerem, deprehendi, eum phraſin hanc non niſi ordinario ſenſu de ipſo Pſalmorum volumine adhibere. Quod ut mecum intelligas, B. L. obſervandum, MAIMONIDEM loqui de ter denis illis locis biblicis, quæ in *feſto Novi Anni, die Expiationis* & *Jubilæo*, poſt ſingulas ברכות ſeu ſolemnes benedictionum formulas recitari ſolent. Sunt autem hæc ſemper tria ex *Lege*, tria ex *Pſalmis*, & totidem ex *Prophetis*, quibus dein unus ex *Lege* iterum ſubjungi ſolet. Scilicet, I. poſt primam benedictionem.

ex Lege { Exod. XV. 18.
Num. XXIII. 21.
Deut. XXXIII. 5.

ex Pſalmis { Pſalm. XXII. 29.
Pſalm. XCIII. 1.
Pſalm. XXIV. 7 -- 10.

ex Prophetis { Jeſ. XLVI. 6.
Obad. com. 21.
Zach. XIV. 9.

Tum iterum ex Lege Deut. VI. 5.

II. poſt benedictionem ſecundam

ex Lege { Gen. VIII. 1.
Exod. II. 24.
Lev. XXVI. 42.

ex Pſalmis { Pſalm. CXI. 4.
Pſalm. CXI. 5.
Pſalm. CVI. 45.

ex Prophetis { Jer. II. 4.
Ezech. XVI. 60.
Jer. XXXI. 20.

Tum iterum ex Lege Lev. XXVI. 45.

III. Poſt tertiam benedictionem,

ex Lege { Exod. XIX. 16.
Ibid. com. 19.
Exod. XX. 18.

ex Pſalmis { Pſalm. XLVII. 6.
Pſalm. XCVIII. 6.
Pſalm. LXXXI. 4.

ex Prophetis { Jeſ. XVIII. 3.
Jeſ. XXVII. 13.
Zach. IX. 14, 15.

Tandem iterum ex Lege Num. X. 10.

Quâ de re fuſiùs agunt Libri *Precum Judaicarum*, inter formulas in feſto Novi Anni uſitatas.

Ex dictis itaque manifeſtum eſt, ex nullis aliis libris Hagiographorum, quàm ex ſolo volumine Pſalmorum, ulla hîc loca recitata eſſe, atque adeò locutiones מן הכתובים *ex Hagiographis* & מספר תהלים *ex libro Pſalmorum* minimè idem dicere, multò minùs Maimonidem totam ſeriem *Hagiographorum*, nomine *libri Pſalmorum*, inſignire voluiſſe; ſed potiùs quoties in hoc negotio *Legis*, *Hagiographorum* & *Prophetarum* fit mentio, generatim tantùm indicari, ex quanam trium illarum claſſium, in quas omnes Veteris Inſtrumenti libri ordinariò diſpeſci ſolent, omnia illa loca deſumta fuerint, quando autem Maimonides

diſtinctiùs pro *Hagiographis Librum Pſalmorum* commemorat, eum propiùs tradere, ex quonam claſſis Hagiographorum libro ſigillatim, illa loca, quæ aliàs generaliori illo vocabulo adduci ſolent, petita ſint; nempe ex *Libro Pſalmorum.*

Quod ipſum luculenter confirmatur verbis *Rabbenu* ASCHER ad *Gem. Babyl. Roſch haſſchana* f. 40. col. 3. quibus ſimul rationem reddit, quare in hoc negotio loca ex Pſalmis petita, illis ex Prophetis præmittantur, cùm ceteroquin in ſerie librorum ſacrorum hagiographi Prophetis poſtponi ſoleant, quia ſcilicet David tempore prior fuerit Prophetis illis, ex quibus loca hîc adducta ſunt.

En ipſa ejus verba! וכן תניא בתוספת מתחיל בשל תורה ומסים בשל תורה ואומר נביאים וכתובים באמצע אע״ג דמזכיר של נביאים תחיל׳ אנו נוהגים לומר של כתובים התחלה משום שאנו אומרי׳ פסוקים הכתובים בספר תהילים ודוד קדי׳ להני פסוקים דנביאים דאמרי׳ ; *Atque ita vides in Toſaphta: incipit verbis ex Lege petitis, & verbis ex Lege finem imponit, & inter hæc recitat loca ex Prophetis & hagiographis: Licèt autem* (Auctor Toſaphta) *primùm memoret Prophetas, in more tamen poſitum eſt, ut* (in hoc negotio) *primum recitemus loca ex hagiographis petita* (ante illa quæ ex Prophetis) *quoniam loca* (ex hagiographis) *quæ hîc adducimus,* OMNIA SCRIPTA EXSTANT IN LIBRO PSALMORUM, *David autem tempore prior fuit illis Prophetis, ex quorum ſcriptis, hîc loca adferuntur.*

Eadem ratione poſtquam hac de re in libro COLBO f. 71. c. fuſè actum eſſet, ſubjungitur כתב ה״ר נתן ז״ל דמשום דדוד קדים לנביאי אקדמינן לפסוקי דכתבי לפסוקי דנביאי וכן כתב ה״ר אשר ז״ל בשם ה״ר שמואל ב״ר דוד׳ : *Scribit R. Nathan B. M. quòd quoniam David tempore prior fuit Prophetis, præmittere ſolemus loca ex Hagiographis, locis ex Prophetis. Ita quoque ſcribit R. Aſcher B. M. in nomine R. Samuelis Filii R. David.*

Addi his omnibus adhuc poteſt, quòd aliàs quoque Judæi nonnunquam eodem ordine ſub triplici illo titulo *Legis, Hagio-*

giographorum & Prophetarum, loca ex *Moſe*, *Pſalmis* & *libris Prophetarum* adducere conſueverunt. Sic R. ABRAHAM HAROPHE in optimæ frugis libro *Schilte Haggibborim* inde à fol. 127. usque ad fol. 130. commendans, quæ loca ſingulis hebdomadis diebus, ut & primis feſtorum & quibusdam jejuniis mane & veſpere legere expediat, ſemper triplici illa denominatione utitur, licèt in omnibus locis Hagiographorum, ne unicus quidem aliunde quàm ex libro Pſalmorum, adducatur.

X I.

Qui ad hæc omnia ritè attendit, ſine dubio jam ultro perſpiciet

1. Illum qui loca quædam ex Pſalmis adducit, rectè generaliori phraſi dici poſſe, ea adducere ex Hagiographis, quia Pſalmorum liber ex horum numero eſt, neque planè ineptam aut inconvenientem eſſe hanc locutionem, inprimis ſi ſimul quædam ex *Lege* & *Prophetis* adferat, ut hac ratione ordinariam illam codicis Vet. Inſtrumenti diviſionem retineat: contrà autem, ſi non ex Pſalmis ſolis, ſed pluribus Scriptis Hagiographis loca alleget, minùs rectè dici poſſe, ea omnia allegaſſe *ex Pſalmis*, quia locutiones hæ ex *Hagiographis* & *Pſalmis* minimè æquipollent, & prior quidem tanquam genus pro poſteriore, ut ſpecie, quam ſub ſe comprehendit, recte adhiberi, poſterior autem, ut ſpecies pro priori, ut genere, legitimè uſurpari, minimè queat. Inprimis cum iſtiusmodi locutio exemplo omni careat.

2. Atque hinc quoque ſimul evidens erit, quòd, ſi Servator ad *Pſalmos ſolos* unà cum *Lege* & *Prophetis* provocaverit, monens quæ in illis de ſe ſcripta ſint, impleri debere, non absque ratione aut uſu gentis ſuæ, dicere potuerit, omnia impleri debere, quæ de ſe ſcripta ſint ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις, καὶ ἁγιογράφοις, imò fortè etiam aliquo pacto phraſi ECCLESIASTICI in *Prologo* ἐν τῷ νόμῳ καὶ προφήταις καὶ τοῖς ἄλλοις βιβλίοις· Si autem contrà auditores ad alios quoque libros ex hagiographorum claſſe ablegare voluerit, neque convenienter verborum ſignificationi, neque eorundem apud Judæos uſui locutus fuiſ-

ſet, ſi *Pſalmorum* tantùm mentionem injeciſſet, utpote qui & ex genuino vocis ſenſu & conſtanti uſu nullos alios libros quàm propriè dictum Pſalmorum librum ſignificent aut ſignificare poſſint. Cùm igitur Servator poſteriore hac voce uſus ſit, eodem quoque ſenſu illum accipi debere, manifeſtum eſt.

X I I.

Colophonis loco tandem ſubjungo, hanc nativam, propriam, imò ſolam vocis hujus ſignificationem, etiam ipſis circumſtantiis verborum Servatoris optimè reſpondere. Scilicet ſcopus ejus erat, ad diſcipulos in fide confirmandos, & auferendum inprimis ſcandalum crucis, demonſtrare, *ſe talia debuiſſe pati, atque ita introire in gloriam ſuam.* Hoc circumſtantiæ flagitabant, hoc idcircò quoque antea diſcipulis Emauntem euntibus ex *Moſe* & *Prophetis* oſtenderat comm. 26, 27. Eum in finem igitur & hîc loci congregatos diſcipulos ablegabat non ſolùm ad *Moſen* & propriè dictos *Prophetas*, ſed & diſtinctiùs ad tertiam quoque librorum ſacrorum, *Hagiographorum* nempe, claſſem. Ex hac autem claſſe, ad nullum alium quàm *Pſalmorum librum* provocat, quoniam ex nullo alio, quod Servator de perpeſſionibus ſuis & ſecuturâ gloriâ demonſtrare volebat, certiùs clariúſque, inprimis pro captu diſcipulorum, illo tempore, evinci poterat. Nemo autem mihi objicere debet, Danielis tamen librum, qui in ſerie Hagiographorum exſtat, & ad quem quoque ipſe Servator Auditores ſuos remittit Matth. XXIV. 15. inſigne quoque vaticinium de Meſſiâ continere cap. IX. comm. 25, 26. Verùm reſpondeo

1. Hæc duo, *quòd pati deberet & reſurgere ex mortuis*, quæ demonſtrationis hujus ſummam conſtituebant, non adeò ex loco illo Danielis deduci poſſe.

2. Tum quoque Daniel commodè ſub Prophetis comprehendi potuit, inprimis cùm non ſatis conſtet, illum Servatoris tempore jam inter Hagiographos collocatum eſſe, locúſque Joſephi ſupra com. VI. adductus ferè contrarium docere videatur.

3. De-

Digitized by Google

3. Denique quicquid etiam hac de re ſit, id ſaltim certum eſt, Apoſtolos, qui ſine dubio eandem methodum quam Servator in docendo obſervaverat, ſecuti ſunt, eandem veritatem de exinanitione & exaltatione Chriſti, vel generatim ex *Prophetis*, aut ex *Moſe* & *Prophetis*, vel etiam ſigillatim ex *Pſalmis*, nunquam autem ex ullo alio Hagiographorum ſcripto demonſtraſſe. Prioris exempla vide Act. III. 18. ſeqq. XXVI. 22. XXVIII. 23. Poſterioris, ibidem cap. II. 25, 26. ſeqq. & XIII, 33, 35. ſeqq.

DISSERTATIO XXIV.

DE GENUINA VOCIS MUNDI SIGNIFICATIONE.

AD JOH. I. 29.

ET ALIORUM PLURIMORUM LOCORUM ILLUSTRATIONEM.

I.

Longè diverſa eſt quæſtio, quando de dogmate quodam, quàm cùm de genuino hujus illiúsve loci aut phraſeos ſenſu, controvertitur. Poſſunt enim, qui in dogmatibus ipſis conveniunt, in quorundam peculiarium locorum aut vocum explicatione, à ſe invicem diſſentire, qui autem in his idem ſentiunt, in illis contrà in omnia alia abire. Imò haud rarò accidit, ut ad ſententiam aliquam adſtruendam, aut ad argumentum adverſariorum enervandum, minùs commoda quorun-

dam locorum phraſiúmve explicatio in auxilium advocetur, quæ cauſam ipſam ſæpè ſuſpectam reddit, & adverſariis eandem, ut infirmo fultam tibicine, explodendi, anſam præbet. Haud leve hujus rei ſpecimen, cùm maximè in vocis MUNDI in ſcriptis N. F. uſu, & locis quàm plurimis, quorum verus ſenſus ex illius determinatione pendet, dabimus.

I I.

Scilicet cùm Scriptura, quando de gratiâ Dei in Chriſto, & objecto meritorum ſanctiſſimi Servatoris, loquitur, MUNDI, imò TOTIUS MUNDI mentionem facit, univerſalis gratiæ Patroni, in his locutionibus, ſibi haud debile argumentum, pro adſtruendâ ſententiâ ſuâ, inveniſſe videntur, dum in illis exiſtimant, gratiam & merita Chriſti, ad omnes & ſingulos homines, ſine ullâ exceptione aut limitatione, extendi. Ad hoc autem telum habetandum, multi, iſque magni Eccleſiæ noſtræ Doctores, vocem MUNDI ita reſtringunt, ut eam ad *ſolos electos* ſpectare velint, háncque ob cauſam de *mundo electorum* loqui ſoleant. Verùm uti ingenuè fateor, me hanc explicationem hactenus planè concoquere non potuiſſe, cùm non ſolùm eam multis incommodis laborare, ſed & dogmatibus Eccleſiæ noſtræ magis obeſſe, quàm prodeſſe cernerem, ita operæ pretium duxi, in eam pauló propiùs inquirere. Hinc igitur quivis ultrò intelliget, me non de ipſo dogmate hîc diſputare velle, ſed tantùm oſtendere quòd hæc explicatio minùs conveniens ſit, tum verò quòd locutio illa tamen cauſam eorum, qui in negotio gratiæ à nobis diſſentiunt, nihil juvat, neque adeò etiam opus ſit, ad illam confugere.

I I I.

Non evagabimur hîc in omnes vocis κόσμυ ſignificationes, quibus vel *ornatum*, vel *totum rerum creatarum complexum*, vel κατ᾽ ἐξοχὴν *terram noſtram*, vel denique *res terrenas*, denotat, cùm conſtet, in eo, quod excutiendum nobis ſumſimus, argumento, ſigillatim, de incolis orbis noſtri ratione præditis, intelligi. Indubium quoque eſt, & ab omnibus paſſim agnoſcitur,

tur, vocem eo ſenſu adhibitam, *univerſitatis* notionem involvere. Verùm quæſtio, de quâ controvertitur, in eo verſatur, an univerſitas illa ad *omnes & ſingulos homines*, ſeu ad *individua ſingulorum*, an verò ad *omnes electos* ſigillatim, referri debeat? Neutrum horum jure adfirmari poſſe, ut demonſtremus, à poſteriori faciemus initium.

I V.

1. Igitur obſervo, ſignificationem illam ex ipſâ phraſi minimè ſequi, aut deduci poſſe. Neque enim idea *mundi* in ſe quicquam cum conceptu *electionis*, aut *electorum*, commune habet, neque quisquam erit, qui dum vocem *mundi* nuncupari audit, inde anſam ſumat, de *electione* quorundam ex medio aliorum cogitandi. Imò contrà hi conceptus videntur potiùs ſibi invicem repugnare, quia, cùm vocabulum *mundi* tacitè *univerſitatem* quandam omnium confeſſione involvat, eo ipſo ideæ *electionis*, quâ certa quædam ſubjecta, ex plurium communione aut multitudine eximuntur, refragatur, quoniam per electionem potiùs fit reſtrictio ad certa quædam individua. Nec objici debet, & electos quandam univerſitatem conſtituere, háncque totam tum innui, quando in hac relatione vox adhibeatur. Non enim vox *mundi* generatim *quamcumque univerſitatem* denotat, ſed ſemper, quando de univerſitate quadam adhibetur, in illâ tale quid locum habet, ob quod commodè illi hæc appellatio dari, hicque adeò ſenſus ab unoquoque ultrò intelligi poteſt, quemadmodum mox in ejus uſu, de *toto humano genere*, aut *de gentibus* ſigillatim videbimus. Tale quid autem nemo facilè in *univerſitate electorum* oſtendet. Fruſtra ſanè eò à nonnullis trahitur, quod ipſi naturâ *pars mundi*, & quidem inprimis *mundi in malo jacentis*, aut quòd deinde *per univerſum mundum*, præcipuè inter gentes, quibus nomen mundi κατ' ἐξοχὴν datur, *diſpergendi* fuerint. Ad prius enim quod attinet, in hac relatione utique ipſi non peculiarem aliquam univerſitatem conſtituunt, multò minus hoc nomine à reliquis diſtingui poſſunt, ſed potiùs ad ipſum mundum in malo cubantem pertinent, ex quo per electionem exemti ſunt, quare in hac

hac relatione conſiderantur, ut qui *ad mundum non pertinent*, Joh. XV. 19. XVII. 9, 14, 16. tantùm abeſt, ut ipſi præ aliis ſigillatim *mundus* appellari queant. Ad alterum quod ſpectat, etiam hoc ſenſu electi ſeorſim nullam univerſitatem conſtituunt, *mundi* nomine commodè inſigniendam, quia ex hypotheſi *mundo permiſcendi*, tum verò neque gentes ob electionem, ſed aliam planè cauſam, ut mox patebit, *mundi* nomine veniunt, neque adeò etiam electi, quà electi, in appellationis hujus, quæ aliam planè rationem habet, communionem transire poſſunt.

V.

Accedit 2. quòd, cùm verba valeant uſu, ut nummi, & ſecundùm optimas regulas hermeneuticas, is præcipuè, in ſignificatione voci alicui tutò aſſignandâ, præſtrui debeat: nullæ planè ſuppetiæ inde huic explicationi ferri queant. A profanis ſcriptoribus græcis certè hîc fruſtra quis auxilium expetet, nam uti illi divinæ electionis dogma, quod ex revelatione nobis innoteſcit, ignorârunt; ita nunquam quis oſtendet, illos, etiam quando de alia quacunque electione loquuntur, ſubjectis, per eandem ex medio aliorum ſegregatis, nomen *κόσμου* tribuere. Nec ex Judæis, quorum ſtilum Scriptores Novi Foederis imitari ſolent, quisquam hactenus vel unicum locum produxit, aut, ut credo, unquam producet, ubi vox עולם eo ſenſu adhibeatur. Provocarunt quidem nonnulli ad verba MAIMONID. in *hilch. Biccurim.* cap. IV. §. 3. ubi ad explicationem verborum, quibus Deus dixerat ABRAHAMO: *Patrem multitudinis gentium conſtitui te*, ſubjungitur ארי הוא אב כל העולם כלו שנכנסי תחת כנפי שכינה: *Ecce ipſe eſt Pater totius mundi* (ſcil. illorum) *qui ſe recipiunt ſub alas divinæ majeſtatis*. Verùm quis non videt locùm obtorto collo eò trahi? Non enim certè hîc dicitur, vocem *mundi* denotare *electos*, ſed potiùs indicatur, in quibus generalior illa promiſſio de *hæreditate gentium & mundi*, implementum ſuum ſit conſecutura, nempe *in credentibus* & *piis*. conf. quæ infra comm. XII. XIII. adhuc propiùs de hoc loco monebuntur. Adde quòd & ipſa

phraſis

phraſis *ingredi* ſeu *recipere ſe ſub alas Schechina*, Judæis nihil aliud denotet, quàm *miſſâ idololatriâ gentium*, *ſe ad Deum Iſraëlis & foedus ejus conferre*, *proſelytum fieri*, cet. ut dudum docuit J. R. CRAMERUS in not. ad MAIM. *bilch. Biccur*. pag. 126.

V I.

3. Non plus præſidii ſententiæ huic in ſacris eſt, quin contrà conſueto Scripturæ ſtilo planè repugnat. Solet enim illa, non tantùm voce mundi generatim de *hominibus in mundo*, aut κατ' ἐξοχὴν de *gentibus* uti, ut mox diſtinctiùs oſtendemus, ſed & ſæpiſſimè de *hominibus glebæ adfixis*, *mundana tantùm ſapientibus* aut *curantibus*, ſeu, uno verbo, *corruptioni obnoxiis*. Hic eſt *ille mundus*, *qui in malo cubat* 1 Joh. V. 19. *Mundus qui Chriſtum*, & *Patrem non cognoſcit*, ſed odit. Joh. I. 10. XV. 18. XVII. 25. 1 Joh. III. 1. Hinc ETYMOLOGICI M. AUCTOR ait: σημαίνει καὶ τὸν πρὸς πλάνην καὶ ἡδονὰς ἄγοντα, ὡς παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ. Ὅτι δὲ ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ ἐστὲ, ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου: — Καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω — ἐκ τῆς ἑρμηνείας τοῦ κατὰ Ἰωάννην, ἐνταῦθα κόσμον τὸ πλῆθος φησὶ τὸ διεφθαρμένον καὶ τοῖς γηΐνοις προσεστηκὸς πράγμασι, τὸν χυδαῖον καὶ ταραχώδη καὶ ἄνετον λαόν. — Καὶ, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν: — κόσμον δὲ ἐνταῦθα τοὺς πονηροὺς φησί. Huic autem mundo electi adverſâ fronte ſunt oppoſiti, unde Chriſtus teſtatur, quod velit *ſemet illis manifeſtare*, *non mundo*. Joh. XIV. 22. eadem ratione uti iiſdem prædicit *triſtitiam*, *cùm* MUNDUS *gauderet*. XVI. 20. Sic iidem electi *judicabunt* MUNDUM. 1 Cor. VI. 2. *caſtigantur*, *ne cum* MUNDO *pereant*. XI. 32. *effugerunt inquinamenta* MUNDI. 2 Pet. II. 20. & MUNDUS *illos quoque non novit*, ſed *odio habet*. 1 Joh. III. 1, 13. Quòd ſi igitur, qui prudenter loquitur, nunquam rebus oppoſitis idem imponit nomen, cùm nihil magis diſtinctis rerum conceptibus excitandis repugnet, quantò minùs à ſapientiſſimo Spiritu in verbo loquente exſpectandum, ut *filios lucis* & *tenebrarum* eodem titulo inſigniat? Neque objici mihi debet, aliàs quoque unum idémque vocabulum planè diverſas, imò oppoſitas ſigni-

ſignificationes habere, quemadmodum ſic vulgò dicitur, ברך Potam *benedicendi* quàm *maledicendi* ſenſu adhiberi, quod ipſi Pocockio, ſummo in Orientis litteris Viro, placet in *not. Miſcell.* cap. II. p. 19. quémque in eo ſequitur Kromayer. *de uſu Ling. Arab.* p. 89. Atque hoc Glassius aliique κατ' ἀντίφρασιν fieri cenſent. Sed ut verum fatear, illa quoque hypotheſis, de iſtiuſmodi ἀντιφράσει mihi ſemper admodum incongrua viſa eſt. Non enim animum inducere poſſum, ut credam, ullam linguam, nedum ſanctam, quâ Deus ipſe uſus eſt, tantâ imperfectione laborare, ut res adverſâ fronte oppoſitas, uno eodémque vocabulo innuat, cùm nihil excogitari queat, quod linguæ ſcopo atque uſui, qui ſine dubio eſt, ut cogitata noſtra cum aliis convenientiſſimo modo, &, quantum fieri poteſt, clariſſimè communicemus, magis repugnet. Certè in hoc exemplo verbi ברך, quod tamen ſine dubio omnium, pro ἀντιφράσει adferri ſolitorum, præcipuum eſt, minimè opus eſt, ut illa admittatur. Cùm illud propriè *valedicere* innuat, atque ſic etiam in malam partem κατ' εὐφημίαν adhibeatur ſenſu ſecundario, quo *valere* jubemus *ea*, quæ *rejicimus*, *ſeponimus*, *amandamus*, *parum curamus*, notione vel intenſâ, vel remiſſâ pro variis circumſtantiis, ut poſt Cocceium inprimis oſtendit *Cel.* Schultensius in *Commentar. ad Jobi.* I. 5.

VII.

Sed quid opus eſt rem fuſiùs adſtruere, cum 4 Servator ipſe, & ſcriptores ſacri aliàs disertè non ſolùm *electos*, quà tales, à *mundo* diſtinguant, ſed *ex mundo electos eſſe*, atque idcircò *ad mundum non pertinere*, aut non *ex illo eſſe*, doceant. Joh. XV. 19. *Si* EX MUNDO ESSETIS, *mundus quod ſuum eſt, diligeret, quoniam autem* NON EX MUNDO ESTIS, SED EGO ELEGI VOS EX MUNDO, *idcircò mundus vos odit.* XVII. 9. *Non oro pro mundo, ſed pro illis, quos mihi dediſti.* com. 14. *Ego dedi ipſis verbum tuum, & mundus illos odio habet, quia* NON SUNT EX MUNDO, *quemadmodum & ego non ſum ex mundo.* conf. & com. 16. Quid igitur quæſo magis inconveniens excogitari poſſet, quàm, quòd electi ſimul dicantur *electi ex mundo*, eámque

eámque ob cauſam *ex mundo non eſſe*, & nihilominus ſimul *mundi* nomine veniant, ídque, quod magis eſt, in eodem non ſolùm orationis filo, ſed & paúcis ſemet mutuò ſubſequentibus commatibus? ut patet ex Joh. XIV. 31. & inprimis ipſo illo capite XVII. com. 21. *ut mundus credat, quòd me miſeris*, & com. 23. *& ut* MUNDUS *cognoſcat quòd tu me miſiſti*, ubi ex hypotheſi illorum qui *mundum electorum* ſtatuunt, mundus hos denotat, cùm tamen paulò ante Servator dixiſſet, illos *ex mundo non eſſe*.

VIII.

Denique; vel hoc ſolum ſufficere poteſt, quòd nullus hactenus ex ſacris productus eſt locus, ex quo de hac vocis ſignificatione certò conſtet. Adferuntur quidem eum in finem nonnulla, ut inprimis, quando Servator appellatur, *agnus qui tollit peccatum mundi* Joh. I. 29. quando idem dicitur *dare vitam mundo* cap. VI. 33. quando Abraham appellatur *hæres mundi* Rom. IV. 13 hócque explicatur non ſolùm, ibidem com. 17. quòd ſit conſtitutus *πατὴρ πολλῶν ἐθνῶν pater multarum gentium*, ſed & hæ gentes com. 12. reſtringuntur ad illos, *qui inſiſtunt veſtigiis fidei patris noſtri Abrahami in præputio*, adde loca modo laudata ex Joh. XIV. 31. & XVII. 21, 23. Verùm uti ad poſteriora loca jam oſtendi, in illis hunc ſenſum admitti non poſſe, ita nunc propiùs ad eadem æquè ac omnia reliqua, & quæ præterea adferri ſolent, moneo, multos magníque nominis Viros ſæpe mirum in modum falli, quando univerſaliorem vocis cujuſdam aut phraſeos ſignificationem, pro conditione nonnullorum particularium ſubjectorum, quibus illæ nonnunquam tribuuntur, reſtringunt, cùm tamen illis non tribuantur ob particularem illam relationem, quâ ab aliis diſtincta ſunt, ſed ob communem illam quam cum aliis ejusdem univerſalitatis membris, aut ad illa habent. In talibus igitur, non ipſa vocis aut phraſeos ſignificatio mutatur aut reſtringitur, ſed tantùm illa ad certa ſubjecta per accidens refertur; licèt nihilominus generalem ſuum ſignificatum retineat. Sic ex. gr. Paulus Rom. III. 29, 30. aſſerit, *quòd Deus etiam gentium Deus ſit*,

quia & præputium ex fide juſtificet. Nemo hîc negare poteſt prærogativas, de quibus Apoſtolus loquitur, non niſi *in credentes* cadere, unde & addit διὰ τῆς πίστεως. At toto tamen coelo erraret, qui inde colligeret, voces *gentes* & *præputium*, *credentes* denotare, cùm hæc minimè æquipolleant, neque omnes *gentes* aut *omne præputium* contrà *credentes*. Hinc igitur in hoc loco generalior & receptus vocis *gentium* & *præputii* uſus manet, ut nempe denotet tales qui extra πολιτείαν Iſraëlis degebant, licèt bonum, de quo hîc agitur, ut ex adjunctis imò toto nexu patet, non competat, niſi illis ex gentibus qui verâ fide Chriſtum receperunt. Non autem illi hîc appellantur *gentes*, aut *præputium*, quia credebant, ſed quia ex populis, extra communionem Iſraëlis degentibus, originem habebant, juſtificatio autem ipſis concedebatur ex fide illâ quâ Chriſti meritum amplexi erant, verùm hæc in ideâ & appellatione *gentium* aut *præputii* non continebatur, neque adeò pro ſignificatione vocum harum jure venditari poteſt. Ut omnis tibi B. L. eximatur ſcrupulus, attende quæſo tantùm paulò propiùs ad locum ipſum. In eo ſanè nullo verbo de *gentibus credentibus* aut *incredulis* agebatur, ſed quærit Apoſtolus, *an igitur Deus tantùm eſt Deus Judæorum*? uti nempe, quondam tantùm ſub oeconomiâ veteri fuerat, & reſpondet, *non*, *verùm & gentium*, hócque eo ipſo confirmat, *quia etiam præputium velit juſtificare ex fide.* Vides hîc non eſſe oppoſitionem inter *credentes* & *non credentes*, ſed inter *Judæos* & *gentes*. Neque eſt ut objicias, verè tamen nullos alios ex gentibus juſtificationis participes evadere, quàm credentes, hoc enim verum quidem & indubium eſt, at non ex voce *gentium* ſequitur, ſed ex *naturâ* & *indole juſtificationis*, quæ coram Deo valet. Et nec ſic generalior illa ſignificatio vocum *gentes* aut *præputium*, excluditur aut mutatur. Quando enim quæſtio eſt, utrum Deus ſit tantùm Deus Judæorum, an etiam gentium? id quæritur, utrum Deus nunc porrò ſolos Abrahami poſteros ſecundùm carnem pro populo ſuo agnoſcere, ſéque illis fruendum dare velit, an verò etiam gentes, illorum communione quondam excluſas, ad has prærogativas admittere? Hîc igitur fides planè in cenſum

ſum non venit, atque adeò quando reſpondetur, *non*, *verùm & gentium*, quæſtio hæc, nullo quoque reſpectu ad fidem habito, adfirmativè deciditur. Dein quando pro ratione ſubjungitur, *quia & præputium juſtificat;* ratio iterum manifeſtò, in eo latet, quia & gentes præcipui boni, per quod ſe ut Deum alicujus demonſtrat, imò quod fundamentum omnium reliquorum eſt, vult participes facere. Quod autem addit, ipſum juſtificare *præputium per fidem*, id ad ipſum modum juſtificationis ſpectat, ſubjungitúrque inprimis, quia per illum juſtificationis modum Deus ſe luculentiſſimè ut Deum peccatoris demonſtrat, imò quia Apoſtolus in totâ hac epiſtolâ Doctrinam de gratuitâ juſtificatione ex fide adſtruebat, & ab objectionibus vindicabat. Eadem igitur ratione generalior vox MUNDI in iſtiusmodi exemplis, de quibus hac Diſſertatione agere conſtituimus, quidem adhibetur, ubi circumſtantiæ docent, rem quæ de mundo prædicatur, propriè in *electis* & *credentibus* locum habere, at minimè inde concludere licèt, ergo ipſa vox *mundi*, *electos* aut *credentes* ſignificat. Cùm enim ipſi electi & credentes ad mundum generaliori ſenſu ſumptum pertineant, rectè quod in illis *κατ' ἐξοχὴν* in certis circumſtantiis locum habet, generaliori ſignificatione de mundo, cujus ipſi pars quædam ſunt, prædicatur. Imò in hoc exemplo vocis *mundi* id multò magis obſervare neceſſe eſt, quàm in altero illo vocis *gentium*, & ſimilium, quæ longè adhuc generalioris uſûs ſunt, ut adeò non incommodè poſſint diverſiſſimi generis ſubjectis, bonis æquè ac malis, adplicari, quia generalius illud MUNDI vocabulum, uſu ſimul ad certam hominum claſſem, *mundanorum* nempe & *malorum*, jam determinatum atque reſtrictum eſt, unde planè inconveniens foret, cautelaéque in prudenti ſermone, ad claras & diſtinctas ideas excitandas neceſſariò obſervandæ, penitùs repugnaret, idem ſimul, ſenſu planè contrario, de *electis*, *credentibus* & *piis*, adhibere.

IX.

Ut igitur tandem clarè oſtendam, quæ vocis hujus ſignificatio, in locis de quibus quæſtio eſt, prævalere debeat, diver-

Digitized by Google

ſos ejus uſus, prius in clariori luce collocare quæram. Quem in finem obſervo, MUNDUM & TOTUM MUNDUM, generatim homines in mundo viventes innuere. Et quidem nonnunquam omnes ſine ullâ exceptione, atque adeò univerſum humanum genus nemine excepto. Hoc ſenſu, *Deus* dicitur *judicaturus* τὸν κόσμον *mundum* Rom. III. 6. pro quo Act. XVII. 31. eſt τὴν οἰκουμένην. & Rom. III. 19. ait Apoſtolus: *ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ, καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ, ut omne os obturetur & totus mundus Deo reus ſit.* Non abludit uſus vocis latinæ MUNDUS aut phraſis TOTUS MUNDUS. Sic SILIUS ITALICUS Lib. XVII. vſ. 475.

> *Ut cum fulminibus permixta tonitrua* MUNDUM
> *Terrificant.*

Eadem ratione de toto mundo loquitur PETRONIUS, quando communes omnium ferè hominum mores perſtringens in *fragmentis*, ait: TOTUS *ferè* MUNDUS *mimum videtur implere.* & ſtatim, *dum conſtet inter nos, quòd ferè* TOTUS MUNDUS *exerceat biſtrionem.* Ita quoque paſſim Judæis vox עולם & כל עולם aut, quod adhuc majus eſt כל העולם כלו uſurpatur. Sic in *Sepher Schaare Zedeck* f. 30. col. 3. וכשהשם יתברך כועס על עולמו מצד מעשיהם הרעים אזי מוציא כלי זעמו ומתלבש בגדי נקם וגמל לכל אחד מאנשי עולם אותו הדין שהוא ראוי׃ *& quando Deus Benedictus iratus eſt* MUNDO SUO *propter mala eorum opera, tunc producit arma excandeſcentiæ ſuæ, & induit veſtes ultionis, & retribuit unicuique hominum mundi, exactè prouti ipſe meruit.* conf. & *Schaare Orah* fol. 37. col. 3, 4. & in *Cad Hakkemach* f. 5. col. 4. quando de univerſali omnium hominum corruptione ab Adamo orta, ejúsque ſequelis agitur, dicitur ואם כן ענין המיתה הזו היא דרך לכל העולם *quod ſi ita ſit, mors hæc via eſt* TOTIUS MUNDI.

X.

Nonnunquam autem *homines*, non quidem omnes & ſinguli, ſed promiſcuè, & generatim abſque diſcrimine, iiſdem locutionibus

nibus indicantur, idémque tum valent ac *quicunque*: quin & hoc ſenſu haud raró de *magnâ hominum parte* aut *multitudine* adhibentur. Ita diſcipuli appellantur τὸ φῶς τοῦ κόσμου *lux mundi* Matth. V. 14. Sic, de magno aſſeclarum Servatoris numero dicitur Joh. XII. 19. ἴδε ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν, *ecce mundus* (i. e. ut rectè poſt Syrum quoque LUTHERUS & eruditi BELGÆ reddiderunt, TOTUS MUNDUS) *poſt illum abiit.* Eodem facit, quando quæ publicè coram quibuscunque obviis hominibus fiunt aut dicuntur, *fieri* aut *dici* aſſeruntur *mundo.* ut Joh. VII. 4. *Si hæc facis*, MANIFESTA TE MUNDO. & VIII. 26. *Et ego quæ audivi ab illo*, *hæc* LOQUOR εἰς τὸν κόσμον AD MUNDUM, coll. XVIII. 20. *Ego cum parrheſiâ* LOCUTUS SUM MUNDO. Hæc quoque Latinis non inuſitata ſunt.

LUCAN. Lib. II. 383.

Nec ſibi ſed TOTI *genitum ſe credere* MUNDO.

& Lib. IX. 443.

—— *ſic cum* TOTO *commercia* MUNDO,
Naufragiis Naſamones habent.

Inprimis verò Judæis nihil eſt frequentius. Obſervavit eum in finem jam eruditiſſimus LIGHTFOOTUS in *Hor. Hebr.* ad Joh. III. 17. hac ratione illos non ſolùm diſtinguere עניי אותו העיר *pauperes alicujus civitatis* & עניי העולם *pauperes mundi*, i. e. quoscunque & undecunque adventantes, ſed & in *Bava Mezia* dici כולי עלמא *totum mundum* (i. e. quoſcunque ſine diſcrimine) *reliquiſſe Miſchnam & ſecutum eſſe Gemaram*: tum verò innumeris locis aſſeri כולי עלמא מודה *totus mundus fatetur* & כולי עלמא לא פליגי *totus mundus non diſſentit.* Res omnibus qui Judæorum ſcripta verſârunt notiſſima eſt, quæ & ſine dubio ratio eſt, quod Lightfootus nullum planè exemplum attulit. Si tamen fortè aliquod deſideres, unum tantùm ex JOM TOVII ad *Biccur.* cap. I. m. 3. verbis, unde mox plura adducam, dabo. Ita autem ſcribit: אבל כולי עלמא מודי דלא נתחלקה הארץ לגרים

TOTUS

Totus *autem* mundus (i. e. omnes ſine diſcrimine, aut unusquisque) *fatetur, quòd non ſit terra* (Canaan) *diſtributa peregrinis.*

X I.

Peculiaris 2. harum dictionem, in ſacris æquè ac Judæorum ſcriptis, uſus eſt, quo de *gentibus* diſtinctè à Judæis adhibentur. Originem is traxiſſe videtur ab illâ orbis, quæ quondam obtinebat, diviſione; quà, cùm Judæi ſolam Canaanem inhabitarent, diſpeſcebatur in הארץ *terram*, aut ארץ כנען *terram Canaanis*, vel ארץ ישראל *terram Iſraëlis* & חוצה לארץ *extra terram*, aut עולם *mundum* vel שאר העולם *reliquum mundum.* Hinc enim dein factum, ut quemadmodum regiones ipſæ ſæpe pro incolis ponuntur, ita totum humanum genus diſtingueretur in ישראל *Iſraëlem* & העולם *mundum* aut אומות העולם *gentes mundi.* Sic priori ſenſu *reliquum mundum* terræ Iſraëlis opponit R. Alscheich in *Romemot El*, ad Pſalm. XXIV. 1. quando ad verba: *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, ita commentatur: הארץ ומלאה היא ארץ ישראל — *terra & plenitudo ejus, hæc eſt terra Iſraëlis:* & paulò poſt addit אף שאר העולם הוא תבל וישבי בה *etiam reliquus* mundus, *hic eſt orbis & plenitudo ejus.* Pro quibus breviter Raschi habet ליי הארץ ארץ ישראל ותבל שאר ארצות *Domini eſt terra, hæc eſt terra Iſraëlis; & orbis, hæ ſunt reliquæ regiones.* Eodem ſenſu, vel etiam ſimul pro *gentibus, reliquas regiones extra Canaanem incolentibus*, voce hac עולם *mundus* utitur, & per illam, ipſam vocem גוים *gentes* explicat idem Raschi, quando ad verba Ezech. V. 5. *hæc eſt Hieroſolyma, in medio gentium collocavi illam*, adnotat בתוך הגוים שמתיה בתוך העולם *in medio gentium* &c. i. e. *collocavi illam in medio mundi.* Inprimis autem Judæi uti hunc in finem ſolent phraſi אומות העולם *gentium mundi.* Monuit id dudum pluribúsque exemplis jam confirmavit Lightfootus in H. H. ad Joh. III. 17. Ne igitur illa abſque neceſſitate nimis cumulem, neque tamen etiam ipſe huc planè ἀσύμβολος accedam, unicum tantùm addam, in quo ſæpius eadem locutio, & quidem inprimis in ipſâ hac oppoſitione

ſitione occurrit. Exſtat is in Rabboth. fol. 171. col. 2.

אמ׳ ר׳ יצחק אומות העולם אין להם סומכין שנ׳ ונפלו סומכי
מצרים׃ ישראל יש להן סומכין שנא׳ וסמכו זקני העדה׃ אומות
העולם נקראו עדה שנאמ׳ כי עדת חנף גלמוד ישראל נקראו
עדה שנאמ׳ וסמכו זקני העדה׃ א״ה נקראו אבירים עדת אבירים
בעגלי עמי׳ וישראל נקראו אבירים שמעו אלי אבירי לב׃ אומות
העולם נקראו אדירים אתה ובנות גוים אדירים וישראל נקראו
אדירים ואדירי כל חפצי בם׃ אומו׳ העולם נקראו חכמי׳ והאבדתי
חכמי׳ מאדום׃ ישראל נקראו חכמים׃ חכמים יצפנו דעת׃
אומות העולם נקראו תמימים ותמימי׳ כיורדי בור וישראל
נקראו תמימים ותמימים ינחלו טוב׃ אומות העולם נקראו צדיקים
(צדיקים) המה ישפטו אותהם׃ ישראל נקראו צדיקים ועמך כלם
צדיקים׃ אומות העולם נקראו אישים אישים פעולי און ישראל
נקראו אישים אליכם אישים אקרא׃ אומות העולם נקראו גבורי׳
מה תתהלל ברעה הגבור׃ וישראל נקראו גבורים גבורי כח עושי
דברו׃ *Dixit R. Iſaac, pro gentibus mundi nemo imponit manus, quemadmodum dictum eſt* (Ezech. XXX. 6.) *& cadent qui nituntur* (manus imponunt) *Ægypto:* pro *Iſraëlitis ſunt, qui imponant manus, quemadmodum dictum eſt* (Lev. IV. 15.) *& manus imponent ſeniores coetûs. Gentes mundi appellantur Coetus,* q. d. (Job. XV. 34.) *nam coetus hypocritarum erit dura ſilex. Iſraël dicitur Coetus, ut dicitur* (Lev. IV. 15.) *& manus imponent Seniores coetûs. Gentes mundi appellantur robuſti* (Pſalm. LXVIII. com. 31.) *coetus robuſtorum cum vitulis populorum: Etiam Iſraëlitæ appellantur robuſti.* (Jeſ. XLVI. 12.) *attendite mihi robuſti corde. Gentes mundi appellantur magnificæ* (Ezech.

 XXXII.

XXXII. 18.) *tu & filiæ gentium magnificarum : etiam Iſraëlitæ appellantur magnifici* (Pſ. XVI. 3.) *& magnifici in quibus eſt omne beneplacitum meum. Gentes mundi appellantur ſapientes*, (Obadiæ I. 8.) *& perdam ſapientes ex Edom:* (etiam) *Iſraëlitæ appellantur ſapientes* (Proverb. X. 14.) *ſapientes recondunt ſcientiam. Gentes mundi appellantur integri* (Prov. I. 12.) *& integros, ut deſcendentes in foveam ; etiam Iſraëlitæ appellantur integri* (ibid. XXVIII. 10.) *& integri hæreditario jure bonum poſſidebunt. Gentes mundi appellantur juſti* (Ezech. XXIII. 45. omiſſa autem hîc ſine dubio eſt in edit. Cracovienſi quâ utor, vox צדיקים quam idcirco textui in parentheſi inſerui) *& juſti illos judicabunt:* (etiam) *Iſraëlitæ appellantur juſti* (Jeſ. LX. 21. *& populus tuus omnes juſti erunt. Gentes appellantur Viri* (Pſ. CXLI. 4.) *Viri facientes iniquitatem: Iſraëlitæ appellantur Viri* (Prov. VIII. 4.) *ad vos Viri clamo. Gentes mundi appellantur fortes* (Pſ. LII. 3.) *quid gloriaris in malo fortis? etiam Iſraëlitæ appellantur fortes* (CIII. 20.) *fortes robore, facientes verbum ejus.*

X I I.

Eaſdem autem has locutiones Scriptores Novi Foederis paſſim imitantur. Poſteriori occurrit Luc. XII. 30. *Hæc enim omnia* τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητεῖ GENTES MUNDI *quærunt :* pro quo Matth. V. 32. generatim τὰ ἔθνη *gentes* habet. At frequentior tamen iiſdem eſt prior, quâ vox MUNDI ſola pro gentibus ponitur. Multa pro hoc ſignificatu exempla ex ſcriptis Novi Inſtrumenti congeſſit ALTINGIUS peculiari Diſſertatione, quæ ſexta eſt *Heptados* V, & inſcribitur, *de Mundo Gentilium.* Verùm cùm non pauca eorum ſint, de quibus adhuc dubitare licet, utrum eò ſatis quadrent, illa tantùm ſeligemus, de quibus id extra controverſiam conſtat. Huc præcipuè ſpectat Rom. IV. 13. Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ, ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου. *Non enim per legem promiſſio facta Abrahamo aut ſemini ejus, ut ſit* HÆRES MUNDI. Ubi manifeſtiſſimum eſt per MUNDUM, GENTES intelligi, quia Apoſtolus non ſolùm mundum hunc à Judæis diſtinguit,

guit, imò certâ ratione illis opponit, quin & inde deducit com. 16. *ex fide eſſe hæreditatem, ut ſit promiſſio firma omni ſemini, non illi tantùm, quod eſt ex Lege (ſeu Judæis) ſed & illi, quod eſt ex fide Abrahami, qui eſt Pater omnium noſtrûm*, *ut* rectè monet, *Cel.* VITRINGA *Obſerv. Sacrar.* Lib. V. Cap. III. §. v. ſed & quia univerſus ſcopus ejus erat, oſtendere, quòd *gentes* nunc etiam *conſortes ſint juſtitiæ fidei.* Inprimis autem quia ipſa hæc promiſſio, quæ ceteroquin totidem verbis nullibi in ſacris exſtat, non eſt niſi explicatio illius, quâ Deus Abrahamum conſtituerat *Patrem multitudinis gentium.* Gen. XVII. 5. ut adeò *Paulo Interprete* eſſe *Patrem multitudinis gentium*, idem ſit, ac eſſe *hæredem mundi.* Atque ita *Paulum* rectè ratiocinari, patet ex eo, quòd aliàs Judæi ipſi eandem phraſin disertè explicant, per *Patrem totius mundi* eſſe. Egregiè hunc in finem idem *Cl.* VITRINGA jam obſervavit duo loca MAIMONIDIS, alterum ex *hilchot Biccurim* Cap. IV. §. 3. alterum ex commentar. ad Miſchnam *Biccurim*, Cap. I. m. 4. ubi cum dictum eſſet, *Proſelytum adducere quidem primitiva*, *ſed tamen non addere confeſſionem* (quæ Deut. XXVI præſcribitur) *quia proſelytus dicere nequeat verbis* com. 3. *quam terram juravit Jehova patribus noſtris ſe nobis daturum eſſe*: ſententiam hanc negat MAIMONID. atque omninò etiam proſelytum eandem confeſſionem edere teſtatur, quia proſelytus etiam poſſit *Abrahamum* dicere *patrem ſuum* quod ipſo illo dicto Gen XVII. 5. quo Paulus reſpicit, probat, quia nempe Abraham appellatus ſit *Pater multitudinis gentium*, hócque idem explicat per PATREM TOTIUS MUNDI. Loca MAIMONIDIS cùm jam adduxerit *Cl.* VITRINGA, non opus erit, hîc denuò illa exhibere. Quare eorum loco moneo tantùm, BARTENORIENSEM, cujus verba com. ſeq. dabimus, eandem MAIMONIDIS ſententiam approbare, atque hujus iterum commentarium in brevi ſummâ, ſed quæ ad noſtrum quoque ſcopum egregiè ſatis facit, exhibere JOM TOBHIUM, dum ad eadem Miſchnæ verba הגר מביא ואינו קורא שאינו יכול לומר אשר נשבע ה׳ לאבותינו לתת לנו *Proſelytus adducit* (primitiva) *ſed non recitat confeſſionem, quia non poteſt dicere, quam* (terram) *jurejurando addixit Jehova* PATRIBUS NO-

STRIS *ſe nobis daturum*, ſcribit : כתב הר"ב בשם הרמב"ם שאינה הלכה דאברהם נקרא אב לכל העולם *ſcribit Rabbi Bartenor. in nomine R. Moſis Bar Maimon*, *quòd non ſit deciſio* (ſecundùm hanc ſententiam) *quia Abraham ſit* PATER TOTIUS MUNDI. Clarius adhuc ipſa vox MUNDI cum altera GENTIUM permutatur, quando ejuſdem Epiſtolæ cap. XI. com. 12. dicitur. Εἰ γὰρ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος ΚΟΣΜΟΥ, καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτος ΕΘΝΩΝ κ. τ. λ. *Si enim lapſus ipſorum* (Judæorum) *eſt opulentia* MUNDI, *& diminutio ipſorum*, *opulentia* GENTIUM, cet. quod commate 15 confirmatur, ubi denuò ſubjungitur. Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ τοῦ κόσμου, *Si enim ipſorum abjectio*, *reconciliatio* MUNDI *eſt*, cet. Plura alia adducere ſuperſedeo, quoniam illa inſequentibus adhuc tangenda erunt.

X I I I.

Horum autem loco hîc adhuc obſervare velim, aliquando non de ſolis gentibus, ſed ad tollendum diſcrimen, quod quondam obtinuit, de omnibus promiſcuè populis adhiberi. Hanc inprimis ſignificationem Judæi in illâ locutione locum habere volunt, quâ Abrahamus dicitur conſtitutus eſſe *in patrem multitudinis gentium*, ende cauſam mutati nominis ABRAMI in ABRAHAMUM, in eo quærunt, quòd antea dictus ſit ABRAM, quaſi אב רם PATER SYRORUM deinde autem ABRAHAM quaſi PATER TOTIUS MUNDI, appellatus ſit. Ita RABBI MEIR ad locum ſupra adductum ex *Biccurim* f. 83. a. כל זה מבואר שפסק ההלכה מביא הגר עצמו בכורים וקורא וסמכו זה למה שאמר הש"י לאברה' כי אב המון גוים נתתיך אמרו לשעבר היית אב לארם עכשיו אתה אב לכל העולם כלו ומפני זה יכול כל גר לומר אשר נשבעת לאבותינו לפי שאברהם היה אב לכל העולם לפי שלמדם אמונה *Omne hoc clarum eſt*, *quòd concluſio diſquiſitionis eſt*, *proſelytus ipſe adducit* (primitiva) *& recitat* (confeſſionem) *atque hoc ſuperſtruunt illi*, *quod dixit Sanctus Benedictus Abrahamo*, (Geneſ. XVII. 5.) *nam Patrem multitudinis*

Digitized by Google

tudinis gentium dedi te. Dixerunt, antea fuiſti PATER SYRORUM, *nunc autem eris* PATER TOTIUS, QUA PATET, MUNDI: *atque hanc ob cauſam poteſt proſelytus dicere*, (terram) *quam jurejurando addixiſti patribus noſtris, quoniam Abrahamus eſt* PATER TOTIUS MUNDI, *quia illos docuit fidem.* Ita quoque ad eundem locum BARTENORIENSIS ורמב"ם כתב שאין הלכה כמשנה זו אלא הגר מביא וקורא ומצי למימר לאבותינו לתת לנו מפני שהארץ נתנה לאברהם והוא אב לגרים כמו לישראל דכתיב כי אב המון גוים נתתיך ודרשינן ביה לשעבר היית אב לארם עכשיו אתה אב לכל העולם & *R. Moſes Maimonid. ſcribit, quòd non ſit deciſio ſecundùm hanc Miſchnam, ſed peregrinus adducit* (primitiva) & *recitat* (confeſſionem Deut. XXVI.) & *poteſt dicere* (terram quam jurejurando promiſiſti) *patribus noſtris, te nobis daturum, quia ipſe eſt Pater proſelytorum æquè ac Iſraëlitarum, quemadmodum ſcriptum eſt, nam Patrem gentium dedi te: atque hoc explicamus, quondam fuiſti* PATER SYRORUM, *nunc eris* PATER TOTIUS MUNDI. Idem tam de nomine SARÆ, quàm ABRAHAMI monetur in *Beracbot* f. 13. a אברם הוא אברהם בתחלה נעשה אב לארם ולבסוף נעשה אב לכל העולם כלו שרי היא שרה בתחלה נעשית שרי לאמת' ולבסוף נעשית שרה לכל העולם כלו *Ex Abramo factus eſt Abrahamus, antea factus eſt Pater Syrorum* (id eſt ut RASCHIUS explicat, hominum provinciæ ſuæ, nam ex terrâ Aram erat) *ſub finem autem factus eſt* PATER TOTIUS, QUA PATET, MUNDI: *Sarai* (converſa eſt in) *Sarah, in initio facta eſt Sarai, verè autem* & *ſub finem facta eſt Sarah* TOTIUS, QUA PATET, MUNDI. Licèt autem in his, ſi grammaticam nominum illorum explicationem ſpectes, parum ſolidi ſit, iíſque longè certiora ſupra *Diſſertat.* II. dederimus, ad ſcopum tamen noſtrum egregiè faciunt, cùm indubiò inde conſtet, Judæis phraſin TOTIUS MUNDI adhiberi, ad *omnes promiſcuè orbis populos* innuendos. Atque

que hinc eâdem Judæi cum gentibus velut ad unam ſummam rediguntur, ipſúmque illud diſcrimen, quod Deus quondam per parietem intergerinum poſuerat, removetur: quod cùm ad ſcopum noſtrum præcipuè faciat, operæ pretium erit exemplo aliquo propiùs confirmare. En tibi igitur ſatis evidens atque luculentum ex *Rabbotb* f. 98. col. 4. in fin. ubi dum varia enumerantur, quæ antea vix cogitari aut exſpectari potuiſſent, dicitur מי מחכה לסוכות דוד הנפלת שיקימנה הקב"ה שנ' ביום ההוא אקים את סכו' דוד שיהיו כל העולם אגודה אחת שנא' כי אז אהפוך אל עמים שפה ברורה לקרוא כלם בשם ה' ולעבדו שכם אחד *Quis exſpectaſſet de tentorio* (ita enim credo hîc æquè ac paulò poſt, in ſingulari numero potiùs סוכה, quàm in plurali סיכות ut fit in editione Cracovienſi, quâ utor, legendum eſſe) *Davidis collapſo, quod Deus S. B. illud erigat? quemadmodum dicitur* (Amos. IX. 11.) *illo die erigam tentorium Davidis.* (Quis exſpectaſſet) *quod* TOTUS MUNDUS FIERET FASCICULUS UNUS? *quemadmodum dicitur* (Zephan. III. 9.) *Tunc enim convertam labium purum ad gentes, ut omnes invocent nomen Jehovæ ipſique ſerviant humero uno.*

X I V.

Atque hæc, quæ hactenus de vocis MUNDI aut phraſeos TOTIUS MUNDI, ſignificatione ac uſu docui, uti certa atque indubia ſunt, ita non poſſum non, antequam illa ad ſcopum meum transferam, verbo adhuc ὡς ἐν παρόδῳ aliam Virorum quorundam Doctorum ſententiam tangere, quâ vocem MUNDUS nonnunquam etiam κατ' ἐξοχὴν *Judæos* denotare volunt, cujus ſententiæ ex Patribus, Auctores, THEOPHYLACTUM & AUGUSTINUM laudat LAMPIUS noſter, *Comment.* in Joh. cap. 1. com. 10. Verùm quis hîc non miretur iterum iſtiusmodi hermeneuticam, quâ tot diverſarum non ſolùm, ſed & planè contrariarum rerum ſignificationes uni eidémque vocabulo tribuuntur, ut neceſſariò incertus hærere debeas, quænam ſatis tutò eligi queat, imò nullum, in omnibus orbis linguis, exemplum, talis uſûs aut

aut veriùs abuſûs unius vocis, támque incertæ & fluctuantis locutionis occurrat, dum, mox *omnes* & *ſingulos homines* nullo excepto, mox generatim *quoscunque* ſine diſcrimine, mox *reprobos* atque *impios*, mox *electos* & *pios*, mox *gentes* in oppoſitione Judæorum, mox unà cum illis, mox contrà *Judæos* in oppoſitione gentium, denotare cogitur. Certè hoc ſi non ſit incertò & confuſè loqui, nullum amplius iſtiusmodi locutionis exemplum mihi quisquam facilè adferet. Inprimis autem contra hanc vocis ſignificationem, idem obſervo, quod ſupra contra illam, quâ *electos* & *pios* eâdem denotari volunt. Scilicet quòd, ſi gentes voce hac non ſolùm inſigniantur, ſed & eadem à Judæis diſtinguantur, ineptum foret, eandem contra aliquando Judæis dare, hósque illâ ſimul à gentibus diſtinguere. Deinde, quòd & nullum planè hujus ſignificationis exemplum, ſive in ſacris litteris, ſive ſcriptis Judæorum occurrat, &, quæ pro illâ adferri ſolent, ex eodem principio, minùs rectè eò applicentur, quòd generaliorum vocabulorum ſignificatio, ex particularium ſubjectorum, quibus illa juxta cum aliis tribuuntur, circumſtantiis limitetur, hócque adeò quod ſubjectis illis ſeorſim competit, neque ullam ad generalem denominationem relationem habet, pro ſignificatione generalioris illius vocabuli accipiatur. Ita comparatum eſt cum verbis Joh. I. com. 10. *Erat in mundo, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus ipſum non cognovit.* Nulla enim hîc eſt ratio, cur ab ordinario vocis uſu, quo paſſim *homines in mundo* & inprimis *homines mundanos* ſ. *mundo deditos* denotat, recedamus, licèt id præcipuè in Judæis incredulis pateret, qui etiam ad mundum hunc, etſi non ſoli, pertinebant. Nec obſtat, quòd ſtatim com. ſequente per τὰ ἴδια & τοὺς ἰδίους ad *Judæos* reſpiciatur, cùm enim hoc pacto utrumque comma idem diceret, rectiùs crederem, prius generatim ſumi, dein autem per poſterius ad Judæos propiùs reſtringi. Nec firmius præſidium huic ſententiæ eſt in altero loco cap. VII. com. 4. *ſi iſta facis, manifeſta te mundo.* Quid enim quæſo in hoc loco eſt, quod nos cogat, ordinariam phraſeos ſignificationem, quâ denotat, *ſemet publicè hominibus in mundo manifeſtare*, miſſam facere, eámque

que ad ſolos Judæos reſtringere ? inprimis cùm diſertè opponatur τῷ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖν *in occulto aliquid facere* , & explicationis inſtar alteri phraſi ζητεῖν ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι *quærere in publico eſſe* , ſubſerviat. Non majori jure eò ex Judæorum ſcriptis trahuntur duo loca, ex *Schabbath.* p. 34. ubi domeſtici Æchmalotarchæ dicuntur נתפסין על כולי עלמא *mori pro toto mundo* , & ex *Erubbin* f. 63. 1. ubi de HIRA *Jairite*, Sacerdote Davidis 2 Sam. XX. 26 quæritur לדוד הוא דהוה כהן לכולי עלמא לא *num is Davidi ſoli Sacerdos erat, non verò toti mundo ?* Vid. *Cel.* LAMPIUS ad Joh. VII. Verùm ad priorem locum quod attinet, illic tale nihil legitur, ſed f. 33. b. dicitur בזמן שהצדיקים בדור צדיקים נתפסים על הדור *quando juſti ſunt in generatione , juſti pro generatione illâ puniuntur.* Ut adeò locus ille huc planè non faciat. Quòd ſi autem alibi fortè etiam verba legantur, uti adducta ſunt, nil aliud illis docebitur , quàm quòd *juſtus puniatur pro reliquis.* Tum verò ſi etiam ex nexu & circumſtantiis pateret, ſermonem eſſe de Judæis, illud ex nexu & circumſtantiis pateret, non verò ex voce עולם *mundi* , neque magis inde concludere liceret, mundum Judæos denotare , quàm ex verbis modo ex *Gemara Schabbath* adductis, quis jure colligeret, vocem דור ſignificare *generationem.* Ad alterum autem locum quod ſpectat; quæritur illic , quo ſenſu HIRA ille potuerit dici *ſacerdos Davidis* , an igitur miniſterium hoc obierit pro Davide ſolo; vel annon potiùs pro unoquoque ſine diſcrimine? cùm nempe Sacerdotes non pro ſingulis hominibus , ſed toto populo conſtituti eſſent, & reſpondetur, eum *ſacerdotem Davidis* dici , quia David ſolitus ſit, illi ſoli dona ſacerdotalia , (quæ ſcilicet quis impertire poterat , quibus vellet) dare. Vides B. L. hîc iterum planè in cenſum non venire Judæos, aut alios populos , ſed tantùm quæri , an pro rege ſolo , vel annon potiùs pro quibuscunque aliis ſacerdotio fungeretur ? Huc igitur planè non faciebat , quòd illi alii , Judæi eſſent , neque ſignificatio *Judæorum* in phraſi illâ latebat , quod tantò manifeſtius eſt, quò magis David ipſe quoque Judæus erat, atque adeò numero Judæorum non excludi , illíve opponi poterat. Verùm ut perſona

ſona ſingularis, imò ut rex rectè opponitur quibuscunque aliis, totíque populo. Ne jam dicam, etiam ipſam phraſin כולי עלמא *totus mundus*, latiùs quàm ad ſolos Judæos extendi poſſe, quoniam & gentium ſacrificia ſi quæ mitterent, à ſacerdotibus recipiebantur atque immolabantur, ut ex antiquitatibus judaicis abundè conſtat.

X V.

His igitur præmiſſis, omnibúsque ſignificationibus contradictoriis valere juſſis, concludimus illas ſolas ſervandas eſſe, quæ ſimul ſubſiſtere ſibíque non incommodè ſubordinari poſſunt; atque ita nobis *mundus*, quando de *hominibus* adhibetur, hos vel *omnes* & *ſingulos*, vel promiſcuè & ſine diſcrimine, *quoscunque*, aut *magnam* illorum *partem*, vel ſigillatim *gentes* diſtinctè à *Judæis*, aut *cum iisdem ſub unâ ſummâ comprehenſas*, vel denique *homines*, *quales naturâ ſunt*, *mundana ſapientes* denotat. Quæ omnia ita ſunt comparata, ut diverſam tantum relationem dicant, quarum una alteram non evertit, ſed certâ tantùm ratione, quæ ex circumſtantiis manifeſta eſt, limitat aut extendit. Quænam autem harum ſignificationum in peculiaribus locis eligenda, reliquíſque præferenda ſit, id ſecundùm regulas hermeneuticas, ex naturâ atque indole ſubjectorum, prædicatis, analogiâ fidei, ſcopo Scriptoris, nexu totius ſermonis ſimilibúsque principiis dijudicari debet. Hinc igitur eadem operâ elucefcit, ex ſolâ hac phraſi, neminem pro hac vel illâ ſententiâ, aut hoc vel illo dogmate, argumentum ſatis firmum nectere poſſe, ſed quem illi tribuere vult ſenſum, ne in principii petitionem incurrat, aut in vanum diſputet, per illa ſubſidia ſolidè prius demonſtrare debere.

X V I.

Agedum B. L. applicemus hæc omnia adhuc breviter ad loca, de quibus in hoc argumento præcipuè controverti ſolet. Sunt illa inprimis, quibus Servator in *ſalutem mundi diſtinatus*, *miſſus*, aut *veniſſe*, illíve eam *promeruiſſe* dicitur, aut ſimilibus phraſibus ejus merita *mundo* tribuuntur. Horum autem non-

nulla ita comparata ſunt, ut in illis ſatis commodè *mundus*, generatim homines in mundo degentes denotet, neque adeò neceſſariò vi phraſeos, vel ad omnes & ſingulos homines extendi, vel ad ſolos electos reſtringi debeat. Sic ex. gr. quando Joh. III. 16, 17. dicitur: *Ita enim Deus dilexit* MUNDUM, *ut filium ſuum unigenitum daret, quò omnis credens in ipſum non pereat, ſed vitam æternam habeat. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut* MUNDUM *judicet, ſed ut ſervetur* MUNDUS *per ipſum.* Quibus gemina ſunt quæ leguntur XII. 47. *Non enim veni, ut judicem* MUNDUM, *ſed ut ſervem* MUNDUM. Si enim certum ſit, ut com. X. adſtruximus, in omnibus linguis, *mundum* ſæpe generatim pro *hominibus in mundo degentibus* uſurpari, ita ut neque omnes & ſinguli, neque etiam ſoli ex aliorum numero ad id electi, innuantur, imò ſi eodem ſenſu etiam rectè Deus diceretur *dilexiſſe homines*, Chriſtus non *judicare homines*, miſſus eſſe aut veniſſe, ut *ſervaret homines*, ut tamen locutio non neceſſariò vel in illâ latitudine vel reſtrictione intelligi debeat, nemo cum ratione negare poterit, eodem etiam generaliori ſenſu vocem *mundi* in iſtiuſmodi phraſibus adhiberi. Atque hoc tantò magis locum habet, quò magis, ut ibidem evicimus, vox illa inprimis de magnâ hominum multitudine ſæpe adhibetur, atque illorum quoque qui per Chriſtum ſalvantur, ſatis magnus eſt numerus, quamobrem ejus ſanguis etiam dicitur effuſus pro *multis* in remiſſionem peccatorum Matth. XXVI. 28. Denique inprimis eodem facit, quòd, ut com. XIII. evicimus, vox *mundi* ſtilo Judæorum ſæpiſſimè quoque adhibetur ad diſcrimen inter Judæos & gentes tollendum, omnésque terræ populos, Judæos non ſolùm, ſed & gentes in brevi ſummâ comprehendendos; quod ſi ritè attendatur, minùs adhuc mirum erit, Servatorem hîc voce *mundi* uti, quia verè non tantùm ad ſalutem Judæorum, ſed & gentium in mundum miſſus erat, atque ad *mundum ſalvandum* venerat. Luc. II. 32. Quæ omnia totus contextus confirmat. Non enim Servator cum Nicodemo, de univerſali aut particulari gratiâ diſputabat, ſed de neceſſitate fructibúsque regenerationis & fidei, oſtendens, ſine utraque neminem in regnum coelorum, quod ipſe

ipſe erectum veniebat, introire poſſe, quotquot autem utriusque participes eſſent, cujuscunque ceteroquin originis aut populi forent, ſalvatum iri, hunc enim eſſe finem miſſionis & adventûs ſui in mundum, non ut *mundus judicaretur*, ſed *ſalvaretur*; atque hinc perpetuò etiam in toto hoc cápite generalioribus locutionibus, *omnes qui in ipſum credunt*, *quicunque vel quisquis in illum credit*, cet. utitur. Eadem ratione etiam in altero loco cap. XII. nulla anſa eſt, de generali aut particulari gratiâ agendi, ſed Servator monet, ſe *ut lucem veniſſe in mundum*, quò *qui credat in ſe* (quisquis etiam ille ceteroquin ſit) *in tenebris non maneat*. Si verò *quis non audiat vocem ſuam*, *nec in ſe credat*, *illum ſe non judicare*, ſed verbum quod locutus, eundem judicaturum ultimo die. Atque hoc confirmat ſcopo adventûs ſui, verbis intermediis indicato, hunc nempe non eſſe *ad judicium*, ſed *ad ſalutem mundi*, ſeu *hominum*, & quidem hominum ſine diſcrimine, cujuscunque gentis illi eſſent.

XVII.

Hæc ſignificatio quâ diſcrimen inter Judæos & gentes tollitur, uti ferè in omnibus locis controverſis ſimul involvitur, ita in plerisque maximè prævalet. Sic quando Chriſtus dicitur *Lux mundi* Joh. VIII. 12. & IX. 5. licèt id generatim quoque idem poſſet dicere ac eſſe *lucem hominum*, quæ phraſis apud eundem Evangeliſtam occurrit, I. 5. rectiùs tamen ad gentes diſtinctiùs extenditur, quoniam diſertè quondam appellatus erat *lux gentium* Jeſ. XLII. 6. & XLIX. 6. Non tamen ad gentes etiam ſolas, quoniam phraſis *lux mundi* ſine dubio propriè à ſole deſumta eſt, qui eodem nomine appellari conſuevit, & ſub cujus emblemate Meſſias quoque proponitur. Mal. IV. 1. Sol autem univerſo mundo lumen ſuppeditat. Imò licèt Servator ad illa Prophetarum oracula, quibus *Lux gentium* audit, digitum intenderit, non ſine ratione tamen, non eadem locutione, ſed hac *lucis mundi* uſus eſſe videtur, ut tantò clariùs doceret, ſe non gentium tantùm, ſed & *Judæorum*, atque adeò *totius mundi lucem* eſſe. Nihil itaque in hac locutione

Digitized by Google

præſidii eſt univerſaliſmo, quia vox *mundi*, ut viſum, non neceſſariò omnes & ſingulos mundi homines involvit, nec integra phraſis *lucis mundi* hanc extenſionem flagitat, ut patet, quia eadem locutio de diſcipulis Servatoris adhibetur Matth. V. 14. *vos eſtis* LUX MUNDI, licèt nemo dixerit, illos omnes & ſingulos homines in mundo illuminaſſe, cùm ad multos neque ipſi, neque eorum doctrina penetraverit. Nullum quoque fundamentum eſt, *mundum* in hac phraſi ad *electos ſolos* reſtringendi, quia licèt hi ſoli, luce hac ad ſalutem fruantur, multis tamen etiam per conceſſa ſalutis media ſplendor ejusdem lucis conceditur, qui eo uti nolunt; quin &, eo non obſtante Salvator, quoniam radios lucis ſuæ inter Judæos non ſolùm, ſed & gentes, per totum terrarum orbem ſpargit, *Lux Mundi* dici non minus meretur, quàm propriè dictus Sol, licèt nonnulli ad ejus lumen oculos claudant, ſe in tenebras abdant, aut radii ejus ad illos non pertingant. Eodem modo comparatum eſt cum phraſi, quâ Chriſtus σωτὴρ τοῦ κόσμου *Servator mundi* appellatur. Joh. IV. 42. & 1 Joh. IV. 14. Nihil certè & in eo inconveniens aut à ſignificatione vocis *mundi* abludens foret, ſi quis dicat, illâ indicari generatim, eum *Servatorem hominum*, neque ſalutem in alio eſſe, verùm non ſolùm prægnantior ſenſus eſt, ſi vox *mundi*, hîc de *Judæis* & *gentibus* ſine diſcrimine ſumatur, ſed & is inprimis locum habere debet, quia Servator verè utrisque in ſalutem deſtinatus, & eo ipſo tacitè opponitur τοῖς מושיעים *liberatoribus*, Iſraëli ſoli quondam excitatis Jud. III. 9, 15. 2 Sam. XXII. 42. 2 Reg. XIII. 5. Nehem. IX. 27. maximè autem quia Meſſias disertè à Prophetis, ut *Servator* non *Judæorum* tantùm, ſed & *gentium*, ſeu ut ſalus Dei usque *ad fines terræ* promiſſus, Jeſ. XLIX. 6. imò *omnes fines terræ* invitantur Jeſ. XLV. 22. ad quæ loca ſine dubio phraſi hac reſpicitur. Neque ambigi poteſt, Samaritanos Joh. IV. 42. eo digitum intendiſſe, quia aſſerunt, ſe ſcire, quòd ipſe verè ſit ὁ Σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ χριστὸς, *ille* (ſcilicet, *notus*, *promiſſus*, atque *exſpectatus*) *mundi Servator*, *Chriſtus*. Atque hoc ſanè tam recepto phraſeos uſui, quàm circumſtantiis, & conditioni loquentium egregiè convenit; ut adeò non ſine vi quadam,

&

& contra conſuetum uſum, à Clerico ad *Judæos* ſolos, ſine neceſſitate, ab Altingio contrà, ad *ſolas gentes*, aut ab aliis ad *electos* tantùm reſtringatur, aut à quibuſdam iterum ad *omnes* & *ſingulos homines* extendatur. Unde vel hinc in tranſitu iterum pateſcit, quàm in omnia alia abeant Interpretes, quando ex hypotheſibus ſemel adoptatis phraſes explicant, quantóque ſimpliciùs progredi, & quot lites de multorum locorum Scripturæ S. ſenſu præcidere liceat, ſi ad genium phraſium & circumſtantias locorum tantùm ſepoſitis præjudiciis, ritè attendatur. Uti autem phraſis hæc, quâ Chriſtus *Servator mundi* dicitur, velut in brevi ſummâ totum illud opus, ad cujus exſecutionem in mundum venit, in ſe complectitur, ita eadem & illorum locorum ratio eſſe debet, in quibus peculiaria beneficia ad hoc opus ſpectantia, aut ex eodem profluentia, aut cum illis conjuncta officia *mundo* applicantur, ut quando dicitur, ipſum *peccata* MUNDI i. e. *Judæorum* æquè ac *Gentium*, *tollere* Joh. I. 29. *ex coelo deſcendiſſe*, *ut* MUNDO *vitam det* VI. 33, 51. aut *ut* MUNDUS *cognoſcat*, *quòd ipſe Patrem amet* XIV. 31. Licèt enim, ſi quis in poſteriore hoc loco generatim homines in mundo degentes intelligere malit, non magnopere reluctari velim, quia tamen hæc cognitio in gentibus æquè ac Judæis excitanda erat, non video, cur non ſenſum hunc ἐμφαλικώτερον præferre velimus. Saltim & in hoc & priori loco nihil eſt, quod nos cogat, vel de omnibus & ſingulis hominibus nemine excepto, vel de ſolis electis cogitare. Idem judicium ferendum cenſeo de Joh. XVII. 21. *ut* MUNDUS *cognoſcat*, *quòd tu me miſeris*. Quemadmodum enim qui hîc *mundum* de omnibus & ſingulis hominibus, abſque ullâ exceptione ſumendum urgent, ſe difficultatibus illis exponunt, quòd tum Servator etiam debuerit orare pro *illo mundo*, pro quo ſe tamen orare nolle teſtatus erat com. 9. hácque ratione etiam preces hæ multorum intuitu fruſtra fuerint; illis autem contrà, qui de ſolis electis cogitant, meritò objicitur, quòd illa vocis ſignificatio non ſatis ex genio linguæ, quâ Servator uſus, aut alterius cujuscunque, adſtrui queat, quin & omnibus, quæ ſupra comm. IV — VIII. à nobis allata ſunt, repugnet: tum verò utraque

Digitized by Google

pars alteri ſtudium hypotheſi inſerviendi exprobrat, ita hæc omnia evitantur, ſi, ex recepto ejusdem linguæ uſu, *mundus* pro *hominibus generatim*, aut ſigillatiùs pro *Judæis* & *Gentibus* ſine diſcrimine, accipiatur. Denique poſteriorem hanc ſignificationem proximè quoque competere exiſtimo verbis Apoſtoli 2 Cor. V. 19. *Deus enim erat in Chriſto* MUNDUM *reconcilians ſibi ipſi, non imputans ipſis lapſus ſuos.* Licèt enim & hîc *Cl.* ALTINGIUS *gentes* κατ᾽ ἐξοχὴν, ut in multis aliis locis, intelligat, illíque etiam *Celeb.* VITRINGA *Obſerv.* loc. adducto adſtipuletur, nullam tamen rationem video, quare Judæos excludamus, cùm generalior ille ſenſus, quo *Judæi* & *Gentes* ſine diſcrimine intelliguntur, non ſolùm magis emphaticus ſit, ſed & *Paulus*, licèt ad *Corinthios* ſcriberet, qui ex gentibus originem habeant, nihilominus tamen ſemet ipſum, qui gente Judæus, cum illis plus ſemel conjungat, idque in ipſo inprimis reconciliationis negotio, unde commate immediatè præcedente dixerat: *Hæc autem omnia ex Deo, qui* NOS *ſibimet ipſi* RECONCILIAVIT *per Jeſum Chriſtum*, cet. Unde cùm ſtatim rationis inſtar ſubjungat: *nam Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians*, nihil manifeſtius eſſe poteſt, quàm quòd ſe cum *Timotheo* minimè excluſos velit, quia tum argumentatio nulla foret, at contrà illa ſuum robur habet, ſi generalior illa locutio generaliori ſenſu ſumatur, ſi enim tam *Judæos* quàm *Gentes* ſibi Deus reconciliavit, ergo & illos de quibus Paulus id modo adfirmaverat. Ut taceam, eundem in antecedentibus diſcrimen, quod quondam ſecundùm carnem inter *Judæos* & *Gentes* obtinuerat, ſuſtuliſſe, diſertéque inculcaſſe, *ſe neminem amplius noſſe ſecundùm carnem*, com. 16. quod ipſum quoque illis verbis confirmatur, quia Deus non Judæos ſolos, ſed Judæos æquè ac Gentes, atque adeò *mundum* ſibi reconciliaverit. Atque ſic cum hæc explicatio vocis uſui ſcopóque Apoſtoli faciat ſatis, fruſtra quoque illa vel ad omnes & ſingulos nimis latè extenderetur, vel ad electos ſolos nimis arctè reſtringeretur.

Digitized by Google

XVIII.

Reſtat locus quo ut præcipuo ariete noſtræ Eccleſiæ dogma maximè impeti ſolet, 1 Joh. II. 1, 2. *& ſi quis peccet, paracletum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Atque hic eſt expiatio pro peccatis noſtris: non autem pro noſtris ſolùm, ſed & pro* TOTIUS MUNDI. Verùm & in eo nulla difficultas eſt, modo ad circumſtantias æquè, ac illa, quæ ſupra evicimus, ritè attendatur. Qui hæc ſcribit JOHANNES gente *Judæus* eſt. Illi ad quos ſcribit, & cum quibus ſe aliquoties conjungit, aut quos compellat, ſunt quoque *Judæi*, ut non ſolùm probabile ſit ex rationibus à *Cl.* BRAUNIO in *Select. Sacr.* Lib. I. cap. XIV. adductis, ſed inprimis ex illo, quod *Rev.* WOLFIUS in *Proleg.* in hanc Epiſt. p. 242. addit, quòd Apoſtolus cap. II. com. 7. teſtatur, præceptum amoris fratrum, quod cum principiis Chriſtianiſmi, ut novum receperant, idem *vetus præceptum eſſe, quod jam ab initio habuerant*, conf. com. 24. Accedit quod & aliàs *mundus*, *Judæis* opponi ſoleat, ut ſupra vidimus. Deinde oſtendimus com. XII. & XIII. vocem *mundi* æquè ac phraſin כל העולם *totius mundi*, imò adhuc magis emphaticè כל העולם כלו *totius*, *quà patet*, *mundi*, uſurpari non ſolùm de *gentibus* promiſcuè, ſed & illâ diſcrimen, quod quondam locum habuit inter Judæos & gentes, tolli, idémque adeò tum illâ innui, ac *non Judæi tantùm*, verùm & *omnes ſine diſcrimine gentes*. Neque tamen eo ipſo omnia & ſingula individua ſemper aut neceſſariò intelligi, ex iiſdem, quæ attulimus, exemplis manifeſtum eſt. Certè quod generatim aſſeritur, Abrahamum, cùm diceretur à Deo datus eſſe *in Patrem multitudinis gentium*, conſtitutum eſſe *Patrem* TOTIUS MUNDI, aut TOTIUS, QUAM LATE PATET, MUNDI, id iidem magiſtri, aut alii, quando diſtinctiùs explicant, diſertè reſtringunt ad illos ex gentibus, *qui ſe recipiunt ſub alas divinæ majeſtatis*, aut *quos Abrahamus legem docuit*. Patet id ex verbis MAIMONID. à *Cel.* VITRINGA adductis, ut & quæ attulimus com. XIII. ex R. MEIR, quibus addantur quæ habet JOM TOVIUS ad *Biccurim*. Hic loci autem illis adhuc jungo hæc R. BECHAI in Leg. f. 228. col. 3.

אבל

Digitized by Google

אבל יש בגמרא מי שסובר שמביא וקורא לפי שאברהם אביהם של גרים שנ׳ כי אב המון גוים נתתיך והרי הוא אב לכל הנכנסין תחת כנפי השכינה וגו׳ *Eſt tamen in Gemara, qui exiſtimat, quòd* (proſelytus) *adducit* (primitiva) *& recitat formulam, quoniam Abrabamus Pater eſt proſelytorum, quemadmodum dictum eſt, nam Patrem multitudinis gentium dedi te. Et ecce ipſe* Pater est omnium, qui ingrediuntur sub alas Schechinæ. Ab alterâ parte quoque fruſtra locutio ád ſolos electos reſtringitur, cùm, licèt indubium ſit, illos ſolos fructibus ſatisfactionis Chriſti ad peccatorum expiationem gaudere, id tamen minimè phraſi hac contineatur, nec ex illâ ſequatur; ſed ex aliis planè principiis, ex conſilii Dei ratione, ex oeconomiâ ſalutis, & Doctrinâ gratiæ deduci debeat, hæc autem verba nihil aliud doceant, quàm generatim, hanc propitiationem non ad Judæos ſolos, qui quondam tantùm populum Dei conſtituebant, & quorum tum temporis tantùm erat *adoptio*, *fœdus* & *cultus* & *promiſſiones* Rom. IX. 4. ſed & ad *gentes*, eásque *ſine diſcrimine per totum mundum diſperſas*, ſpectare. Hoc verò cùm eſſet dogma, quod ob indurationem gentium, earúmque diuturnam rejectionem omnem fidem ſuperaret, inprimis verò Judæis, ſecundùm præjudicia, quibus imbuti erant, quin & tacitam invidiam, quâ gentes proſequebantur, incredibile videbatur; hinc Servator & Apoſtoli toties, generaliori hac locutione deliberato conſiliò uſi, haécque præjudicia ex omnium animis evellere annifi ſunt.

X I X.

Omnibus hactenus diſputatis tandem ſubjungo, non exiguum iisdem pondus addi, ſi probè obſervetur, quòd, uti vox *mundi* aut phraſis *totius mundi*, pro *incolis*, *gentibus*, aut *populis mundi*, eo, quem fuſè adſtruximus, ſenſu uſurpatur, ita de *mundo* ipſo ſeu *terrâ* ſumtæ, ſimili quoque ſignificatione, adhibeantur: ita nempe ut neque *omnia* & *ſingula terræ loca* aut *regiones*, neque *certas quasdam* & præ aliis electas ſigillatim, ſed potiùs

tibus generatim *terram* aut *orbem ſine diſcrimine*, idque inprimis in diſertâ, aut tacitâ, oppoſitione *Canaanis*, denotent. Sic cùm antea, quamdiu Servator ipſe in terris prophetico munere adhuc fungeretur, diſertè vetuiſſet *diſcipulos ſuos ingredi viam gentium, & urbem Samaritanorum, ſed potiùs progredi ad oves perditas Iſraëlis* Matth. X. 5, 6. quoniam nempe ipſe tantùm *ad has miſſus*. XV. 24. neque adeò illo tempore adhuc bonum eſſet, *panem liberorum ſumere, & canibus projicere*. ib. com. 26. deinde tamen diſertè non ſolùm prædixit Evangelium prædicandum eſſe ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ *in toto mundo* Matth. XXVI. 13. & Marc. XIV. 9. cui reſpondet ὅλη ἡ οἰκουμένη, *totus orbis habitabilis* Matth. XXIV. 14. ſed & eosdem πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα *proficiſcentes* (ſcil. ex Canaane) *in omnem mundum, illud annunciare* juſſit πάσῃ τῇ κτίσει *omni creaturæ*. Marc. XVI. 15. Quod & mox factum, quando verbum veritatis venit ad Coloſſenſes καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ Col. I. 6. pro quo com. 23. eſt τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει quemadmodum & Romanæ Eccleſiæ *fides annunciabatur* ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ *in toto mundo*. Rom. I. 8. Licet autem indubium ſit, Apoſtolos nulla alia loca adiiſſe, quàm quæ ad id in æterno Dei conſilio, ſecundùm quod omnia gubernat, & Apoſtolorum itinera quoque, ſive peculiari juſſu, ſive occultâ providentiâ direxit, conſtituta erant, nemo tamen cum ratione cogitabit, loca ad id electa, phraſi *totius mundi*, Apoſtolis aſſignata eſſe, cùm neque locutio id innuat, neque Apoſtolis quoque occultum illud Dei conſilium cognitum eſſet, ut illi itinera ſua conformare poſſent. Ab altera autem parte nemo quoque minimâ veritatis ſpecie aſſerere poterit, illos in omnes & ſingulas orbis regiones omniáque loca perveniſſe, cùm nec brevior eorum ætas, nec multarum tum temporis incognitarum & inacceſſarum terrarum ratio id permitteret, tum quoque illorum temporum annales & monumenta hiſtorica huic hypotheſi non reſpondeant, inprimis verò breviſſimo illo ſpatio usque ad tempus, quo Paulus Epiſtolas ad *Romanos* & *Coloſſenſes* ſcripſit, præconium Evangelii certè omnia & ſingula terræ loca pervagari, aut fama fidei Eccleſiæ Romanorum tam latè ſparſa eſſe, non potuerit. Candidè idcircò non minùs

quàm verè ait eruditiſſimus Quistorpius ad locum adductum Col. I. 23. *Quum ex indiciis non obſcuris colligatur, nunquam Evangelium in novo, ut appellatur orbe, ante nuperam hujus partis terræ detectionem prædicatum fuiſſe: videntur tum Apoſtoli, tum Patrum, in toto orbe prædicatum eſſe Evangelium, aſſerentia dicta, accipienda eſſe, vel de orbe tum cognito, vel hyperbolicè, quemadmodum de Romanis Apoſtolus ſcribit, eorum fidem annunciari in toto Mundo* Rom. I. 8. *obedientiam eorundem omnibus innotuiſſe*, Rom. XVI. 19. Atque huic rectè pollicem premit eximium quondam noſtri ſeculi ornamentum atque decus Joh. Alb. Fabricius in *Salutari luce Evangelii* p. 766. Sive autem quis id velit Hyperbolen vocare, ſive, quemadmodum vox hæc nonnullis diſplicet, non id mihi quidem perinde eſt. Saltem manifeſtum eſt, *totum* mundum hîc pro *mundi* aut *orbis regionibus generatim & ſine diſcrimine*, non autem vel omnibus & ſingulis, vel ſelectis quibusdam poni. Quod ſi in ipſâ propriè & ſecundùm litteram acceptâ locutione locum habeat, meritò idem in impropriâ, quando *mundus* per metonymiam continentis pro contento, pro *mundi incolis* ponitur, ſimilibus circumſtantiis id flagitantibus, admittitur.

DIS

DISSERTATIO XXV.

QUA

ORATIO PAULI ATHENIS

IN

AREOPAGO HABITA,

ACT. XVII. 21 — 31.

BREVITER ILLUSTRATUR.

I.

Luculentum incredibilis ſapientiæ ſtupendaéque facundiæ, quâ D. Paulus pollebat, ſpecimen exhibet Oratio ejus Athenis in Areopago habita, utpote *quæ varia interioris doctrinæ capita complectitur, & argumenta adfert ex diſciplinâ Hieraticâ, originibus Gentium, Philoſophiâ Græcorum arcaniore & Poëſi Veterum, petita*, ut rectè obſervat Löscherus in *Decim. Evangel.* P. V. p. 284. ejúsque verbis monet Wolfius ad h. l. Mirum itaque non eſt, quòd multi Viri Docti illi, ſive integræ, ſive ex parte, propiùs illuſtrandæ operam impenderint, quos fusè enumerare nîl attinet, cùm ejus rei otium mihi fecerint, Fabric. in *Luce Evangelii* p. 70. Wolfius in *Cur. Crit.* ad h. l. & inprimis Scheteligius in *Bibliotb. Diſputat.* Videbimus tamen, an & hîc nobis aliquod ſpicilegium poſt meſſem, adhuc relictum ſit.

II.

Occaſio habitæ hujus orationis erat, quòd cùm Paulus & Silas in urbe Macedoniæ *Berbœâ*, Evangelium non ſine inſigni fructu annunciaſſent, Judæi autem Theſſalonicenſes, eò venientes, tumultum contra illos excitaſſent, Paulus, relicto illic, cum Timotheo, Sila, nonnullis fratribus comitatus, Athenas

proficiſceretur; tum verò comitibus Berhoeam revertentibus, & SILA atque TIMOTHEO ad ſe quantocyus venire juſſis, ipſe interea dum eos præſtolaretur, per urbem obambulans eam totam κατείδωλον cerneret, unde incandeſcente ejus ſpiritu, mox non in Synagogis ſolùm, coram Judæis & omnibus religioſis, ſed & quibuscunque fortè advenientibus, in foro quotidiè diſſereret, & inprimis illis Jeſum & reſurrectionem annunciaret. Hinc enim Philoſophi quidam Epicurei & Stoici, cum ipſo in diſceptationem veniebant, dum nonnulli inprimis eum ut σπερμολόγον *garrulum*, *blateratorem*, ſeu ut VULGATUS INTERPRES reddit SEMINIVERBIUM, alii verò, ut *novorum Dæmoniorum præconem* exſibilarent, aliiſque invidioſum reddere quærerent. comm. 16, 17, 18. tandem verò omnes, pro ingenio Athenienſium, *novarum rerum cupido, eum in Areopagum deducerent*, ut propiùs ex ipſo novam hanc, quam annunciabat, doctrinam cognoſcerent. comm. 19, 20, 21.

III.

Atque hinc jam ſtatim decidi facilè poterit quæſtio, utrum PAULUS in *Areopagum* vi abreptus ſit ad cauſam in judicio dicendam, an verò tantùm illuc ductus, ut ſententiam ſuam clariùs exponeret, & ab univerſo populo audiri poſſet. Prius PFEIFFERO *Antiqq. Græc.* Lib. I. cap. XI. *Clar.* ADAMI in *Obſervat.* in h. l. & quibuſdam aliis placet. Verùm vix videtur id ex ipſius LUCÆ narratione elici poſſe. Verba enim ἐπιλαβόμενοι ἤγαγον ſunt mediæ ſignificationis, & non tantùm de violentâ abreptione ad judicium, ſed & placidâ aſſumtione atque deductione adhibentur, idque tam ſingula ſeorſim, quàm eodem modo ut hîc conjuncta. En clariſſimum ejus rei exemplum! Act. IX. 27. Βαρνάβας δὲ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν ἤγαγε πρὸς τοὺς ἀποστόλους. *Barnabas autem aſſumens illum deduxit ad Apoſtolos.* Neque ſanè prior ſignificatio ſatis commodè huc quadrat. Uti enim nulli hîc judices, nulli accuſatores, nullæ in judiciis uſitatæ circumſtantiæ memorantur, neque etiam PAULUS, pro honore, ſummo Areopagitarum apud Athenienſes judicio debito, & more, quem in aliis judiciis ipſe ſervavit, judices

dices alloquitur, ſed tantùm Athenienſes com. 22. ita inprimis, finitâ oratione, nulla in ipſum ſententia pronunciatur, multò minùs, licet ſtrenue ſatis doctrinam ſuam defenderit, & Athenienſium ſuperſtitionem refutaverit, ulla ipſi pœna ſtatuitur, ſed ſalſâ nonnullorum irriſione ſalvus atque incolumis dimittitur. com. 32. conf. GROTIUS & WOLFIUS ad h. l. ut & *Cl.* BAUMGARTENIUS ad *Hiſtor. Univerſ. Mundi*, T. V. pag. 199. in not. Ceterùm tamen haud difficulter crediderim, non tam amicam fuiſſe deductionem, ac illa erat, quam modò ex Act. IX. tangebamus, ſed cum aliquo impetu conjunctam, cùm avitorum ſacrorum contemtores, plerumque non admodum blandè excipi ſoleant, omniúmque minimè id exſpectari poſſit à philoſophis, ſapientiæ præſumtione & faſtu inflatis; quin & fortè, eam ob cauſam Paulum in Areopagum fuiſſe ductum, ut ſi quid ex ipſo audiretur, ob quod reus peragi mereretur, tantò faciliùs illic dein judicio ſiſti poſſet.

IV.

Ex dictis in proclivi erit colligere, Orationis hujus ſummam conſiſtere, *in demonſtratione vanitatis cultûs Athenienſium, & veritatis Doctrinæ Evangelii*, ſcopúmque adeò Pauli eſſe, partim *Athenienſes à vano illo cultu*, cui hactenus dediti erant, *abſtrahere*, partim verò *ſaniorem cultum Evangelio traditum iisdem annunciare, & per demonſtrationem ad conſcientiam commendare.* Præmittit autem Scriptor ſacer Orationi, priori com. 22. parte, brevem præfationem, quâ & orationis Auctorem, & ejuſdem habitæ circumſtantias tradit.

V.

Auctor orationis PAULUS eſt, de quo hîc propiùs agere, neque inſtituti noſtri ratio permittit, neque opus eſt, cùm id fuſè præſtiterint plures Viri eruditione clariſſimi, quorum præcipuos laudat FABRICIUS *Bibliotb. Græc.* Tom. IV. p. 149. & in not. ad *Cod. Apocryph.* N. T. p. 793. ſeqq. inprimis nominaſſe ſufficiet *Cl.* WITSIUM in *Meletem. Leidenſ.* & *Celeb.* ALPHENIUM, qui pluribus diſſertat. hiſtoriam ejus illuſtravit. Cùm autem

 nomen

nomen tam *Saulis* quàm *Pauli* in ſacris gerat, nonnulli prius, quod apud Judæos in uſu erat, & שאול Schaul Græcis Σαὺλ pronunciabatur, conf. Act. IX. 4, 17. ipſi ut *Judæo* à teneris adhæſiſſe, poſterius autem ut *Romanum*, illi tanquam *Tarſenſi* atque *civi Romano* tributum eſſe exiſtimant. v. Alting. *Opp.* T. III. p. 3. & Wolf. *Bibl. Hebr.* P. I. pag 952. dum alii potiùs, cùm ad Chriſtianorum ſacra tranſiret, vel ipſum loco prioris, quod inter Judæos geſſerat, poſterius aſſumſiſſe, vel ab aliis accepiſſe, cenſent. vid. Scriptores Fabricio loco adducto, & Wolfio ad Act. VIII. 1. & XIII. 9. laudati. Quæ poſterior ſententia nobis quidem maximè probabilis videtur, non ſolùm, quia Judæis uſitatiſſimum erat, ut mutato vitæ genere novum nomen vel aſſumerent, vel acciperent, ſed & quia idem aliis quibuſdam Apoſtolis & diſcipulis contigit, ut ex Petri, Thomæ, Johannis, Symeonis, aliorúmque exemplis patet, tum verò quia maximè conveniens erat, ut tanquam Gentium Apoſtolus nomen inter gentes uſitatum gereret; denique, quia cùm antea ſemper Σαὺλ vel Σαῦλος appellaretur, deinde poſtquam diſerto Spiritûs S. juſſu ad munus inter gentes ſubeundum ſeparatus eſſet, de illo demum dicitur: Σαῦλος δὲ (ὁ καὶ Παῦλος) Act. XIII. 9. Ante quod tempus uti nunquam *Pauli*, ita poſt illud, nunquam amplius *Saulis* nomine inſignitus legitur: quod enim Act. XXII. 7, 13. & XXVI. 14 occurrit, huc non pertinet, quia Paulus illic tantùm narrat, quæ antea Actor. IX. contigerant. Ceterùm an in mutatis his nominibus ſignificationis ratio habita fuerit, an verò tantùm ob ſoni adfinitatem loco hebræi, aliud, ipſo ſono affine, gentibus notius adhibitum ſit, pro indubio determinare non audeo. Prius tamen admodum probabile foret, ſi pro indubio recipere liceret, quod argumentis vero ſimillimis adſtruxerunt Altingius, & Zeltnerus, nec *Cel.* Relando diſplicuit, ſcil. Apoſtolum noſtrum eundem eſſe cum Samuele illo parvo שמואל הקטן de quo Judæi teſtantur, quòd in judaiſmo compoſuerit ברכה המינים ſeu *imprecationem in hæreticos*, & inprimis *Chriſtianos*, deinde autem ipſe ad illos defecerit, cui ſententiæ admodum favent

favent, cùm præceptor utriusque, Gamaliel ſenior, tum petita inde temporis ratio, cum omnibus reliquis circumſtantiis, v. Wolf. *Bibl. Hebr.* P. I. p. 1119. Sic enim, uti ex hebræo nomine שאול unius litteræ מ additione, & alterius, nempe ו tranſpoſitione, ſive facili errore, ſive aliâ quacunque de cauſâ, factum eſſet שמואל ita loco hebræi קטון *parvus*, idem denotans græcum παῦλος ſubſtitutum fuiſſet. Præcipuè autem obſervo, illum legis ſtudio, cui à teneris traditus, Act. XXII. 3. non tantùm in gente ſuâ maximè inclaruiſſe Gal. I. 14. ſed & litteris inter gentes excultis ſedulam operam impendiſſe, ut vel ex teſtimoniis Poëtarum, ab illo plus ſemel adductis, conf. infra ad com. 28. manifeſtum eſt: videatur inprimis *Viri Celeb.* Joh. Henr. Schrammii Sermo Academic. *de ſtupendâ eruditione Pauli Apoſtoli*, Herborn. 1710. Accedebat admiranda planè facundia, cujus egregia teſtimonia, in Patrum ſcriptis paſſim occurrentia, collegit Suicer. in *Lexic.* Tom. II. p. 649. ſeqq. & ob quam Augustinus inprimis inter tria illa, quæ vidiſſe optabat, *Paulum in ore* numerabat. Hujus divinæ eloquentiæ uti paſſim in ſcriptis, ita in hac inprimis oratione clariſſima documenta dedit.

VI.

Locus ubi illa habita, erat Ἄρειος πάγος, quo nomine inſigniebatur, celeberrimus ſupremi judicii locus Athenis in colle editiore ſitus, ubi Judices ab illo *Areopagitæ* dicti, de graviſſimis cauſis, maximè criminalibus, homicidiis voluntariis, adulteriis aliiſque cognoſcebant, ſententiámque pronunciabant, inprimis verò receptis ſacris ſartis tectis conſervandis invigilabant, & ne quid in illis immutaretur, aut peregrini Dii ritúsve absque auctoritate publicâ introducerentur, curabant, ut poſt Pausaniam in *Atticis*, docent Hesychius in h. v. & Pollux Lib. VIII. cap. X. Atque illa Sacrorum cura fortè iterum anſam dedit, quare Paulum ad hunc locum deduxerint, quò ſi illic novos Deos aut aliquid avitæ religioni contrarium annunciare deprehenderetur Areopagitæ mox, vi muneris, quod ſuſtinebant, in hanc rem penitiùs inquirere cogerentur. Super-

Supervacaneam Clerici diligentiam, quâ in not. ad Hammond. vocem ex hebr. הר פגע deducit, non moramur. Quis enim credat Athenienſes, præcipuos illos purioris linguæ græcæ aſſertores, hanc tam inopem inveniſſe, ut, ad locum in mediâ urbe ſuâ denominandum, orientis ſcrinia compilare voluerint; inprimis cùm ipſa hæc lingua longè minus coactum etymon ſuppeditet. Πάγος enim *montem* ſ. *collem* denotat, v. Callim. Hymn. in *Del.* 272. & Lucian. de *Gymnaſ.* c. 19. ſicque ἄρειος πάγος Græcis *Martium collem* ſonat, quare & Æschylus in *Eumenid.* vſ. 693. πέτραν & ἄρειον πάγον conjungit, & Ennius ejus verba reddens, *Areopagiticam Petram* appellat, vid. Ennii *Fragm.* p. 252. atque ib. Hesselius in not. Denominationis à *Marte*, cujus & Juvenal. Sat. IX. 102. meminit:

Ergo occulta teges ut curia Martis *Athenis*,

rationes Demosthenes, Suidas aliíque varias reddunt. Forſan autem veriſſima, quam & Suidas tangit, quòd *Mars* cædibus præeſſet, illic autem de cauſis ad cædem pertinentibus judicium ferebatur, aut quòd *Marti* conſecratus, illícque ut Varro Lib. VI. *de Ling. Lat.* docet, ei ſacrificaretur, aut juventus ibidem in armis exerceretur, quemadmodum inde quoque Romæ *campus martius* dictus. Fortè etiam hæ rationes omnes, aut earum ſaltem quædam ſimul conjungi poſſunt. Cùm maximè hujus Areopagi ſplendida adhuc rudera, in colle extra hodiernæ urbis moenia oſtenduntur, ut docet Sponius in Itiner. Lib. V. Plura de Areopago videri poſſunt apud Sigonium, Pfeifferum, Meursium in peculiari de hoc argumento libello, aliósque Wolfio ad com. 19. & Fabricio *Bibliogr. Ant.* cap. XV. §. X. laudatos, ex quibus nominari inprimis meretur Joh. Schedius in *Diſſertatione*, quam ob præſtantiam recudi curavimus in *Theſauro Novo Th. Phil.* Tom. II. p. 691.

Hîc igitur *ſtans verba fecit*, σταθεὶς ἔφη. Minus rectè, qui Paulum hîc ut reum coram judicio cauſam egiſſe contendunt, in priori voce ſententiæ ſuæ præſidium quærunt. Licèt enim

rei

rei quoque in judicio ſtarent, idem etiam & qui coram aliis verba facerent, ut eò rectiùs ab omnibus audirentur, in more habebant, v. Act. II. 14. quin & hunc in finem orationem incepturi ſurgebant. v. Act. I. 15. XIII. 16. XV. 7. coll. V. 34. conf. quæ ibi monuit Wolfius. Potuit autem hîc tantò faciliùs ab omnibus audiri, quò magis ipſa loci forma favebat, ſtructus enim erat Areopagus in formam Amphitheatri, ut docet Sponius loc. adducto. Atque huic obſervationi inprimis congruere videtur phraſis, *ſtans* IN MEDIO *Areopagi.*

VII.

In orationis limine alloquitur Apoſtolus primùm Auditores, Ἄνδρες Ἀθηναῖοι *Viri Athenienſes.* Cùm græcum ἀνὴρ non minus quàm hebr. איש & Latin. *Vir*, ſoleat, ut notum, Virum *honoratum*, *ſtrenuum*, *fortem*, innuere, hinc in compellationibus ad captandam benevolentiam non ſolùm aliàs ſæpius, ſed & in ipſis his Actibus Apoſtolicis adhibetur, ut cap. XIV. 15. XIX. 25. XXVII. 10, 21, 25.

Non minus autem receptum eſt, ut voci epitheton aliquod jungatur, ſive à propiori adfectu deſumtum, ut ἄνδρες ἀδελφοὶ *Viri fratres* Act. I. 16. II. 37. ſive à gente aut patriâ, ut ἄνδρες Ἰουδαῖοι aut Ἰσραηλῖται Act. II. 14, 22. Ἄνδρες Γαλιλαῖοι, Ἐφέσιοι, Act. I. 11. & XIX. 35. ita & hîc Ἄνδρες Ἀθηναῖοι. Eſſe enim hoc patronymicum civem Athenienſem denotans, ex Stephano in voce Ἀθήνη notum eſt. In tranſitu tantùm moneo, quòd Vorstius de *hebr. N. T.* P. II. cap. XXIII. hanc phraſin diſtinguere jubet, ab alterâ, quâ nomen urbis aut loci, voci ἄνδρες in ſecundo caſu jungitur, ut ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου Matth. XIV. 35. Ἄνδρες Νινευὶ Luc. XI. 32. pro quo Matth. XII. 41. eſt ἄνδρες Νινευῖται: poſteriorem autem hanc, hebraiſmum ſapere, nec græcos facilè ita loqui cenſet. Et ſanè licet doctiſſimus Horatius Vitringa in *Anim.* p. 234. eandem Græciæ vindicare quærat, indubium tamen eſt, illam Hebræis longè uſitatiſſimam eſſe. Ceterùm integram illam, quâ Paulus utitur, compellationem, Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, in initiis orationum,

 Græcis

Græcis frequentem eſſe, docet RAPHELIUS in *Animad. Philol. ex Xenophonte collectis* ad Act. I. 11.

VIII.

Compellationem ſequitur Oratio ipſa, in quâ exordii loco occaſionem narrat, de argumento, quod ſibi propoſuerat, agendi, quam non tantum breviter proponit, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ, ſed & propiùs confirmat, Διερχόμενος γὰρ κ. τ. λ.

Cùm Δαίμων Græcis nonnunquam generatim *Deum* ipſum denotet, quemadmodum PLATO univerſi Rectorem μέγιστον Δαίμονα appellavit, nonnunquam autem *Spiritus inter Deum & hominem intermedios*, & inprimis illos, quos Latini *Genios* dicunt, hinc vox uſu μέσος eſt, & tam in bonam partem de *reverentiâ Numinis*, quàm in malam de *ſuperſtitione* & *Dæmonum* aut *Idolorum cultu* uſurpatur. Priori ſenſu potiſſimùm antiquioribus Scriptoribus Græcis adhibebatur, quo modo in tranſitu obſervamus DIOD. SICUL. Lib. I. cap. 70. δεισιδαιμονίαν καὶ θεοφιλῆ βίον *reverentiam Numinis & vitam Deo gratam*, conjungere; poſteriori Chriſtianis, ut non ſolùm diſertis verbis Etymologi Ἰστέον ὅτι παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ καλοῦ λαμβάνεται, παρὰ δὲ ἡμῖν τοῖς χριστιανοῖς ἐπὶ τῆς ἀσεβείας λέγεται ἡ δεισιδαιμονία, ſed & exemplis egregiè confirmat DUPORTUS ad *Theophraſti Charact.* cap. XVI. conf. ibidem CASAUBON. Quæritur igitur quo ſenſu vox hîc à Paulo ſit adhibita? Ubi plerique quidem poſteriorem eligunt, ut videre eſt apud WOLFIUM ad h. l. Verùm ad nos quod attinet, cum illis potiùs facimus, qui priorem præferunt, idque has potiſſimùm ob cauſas, 1. quia vix probabile eſt, Apoſtolum voluiſſe ſtatim in limine orationis, duriori accuſatione Auditorum animos exaſperare, cùm ceteroquin blando atque molli ſermone per omnia utatur. Cui non obſtat, quòd *exacerbatus ſit in Spiritu.* Aliud enim eſt, quos motus ſenſerit Apoſtolus ipſe, aliud quid verbis teſtatus ſit. 2. nec veroſimile eſt, id tam patienter laturos fuiſſe Athenienſes. 3. Inprimis eò facit, quòd apud Veteres, ut vidimus,

Digitized by Google

vox in bonam partem plerumque ſumta fuerit: & inprimis quidem 4. Tam in ipſis his Actibus Apoſtol. XXV. 19. quam ab aliis Judæis, ætate Pauli, græcè ſcribentibus ita adhibeatur. Quod ut pateat, non opus erit, quàm Joſephum ſolum conſulere, qui ſæpiſſimè hoc ſenſu voce utitur. Loca huc facientia, quorum nonnulla mihi annotaveram, dein vidi ab aliis & inprimis LARDNERO in *Fide Evangelicâ* Lib. I. cap. VIII. mihi prærepta, unde illa hic denuò adferre ſuperſedeo. Videatur idem pro hac ſententiâ, quam defendi, pluribus, ut & præter BEZAM & GROTIUM, DUPORTUS loc. adduct. nec non *Act. Erudit.* Lipſ. A. 1712. p. 412. Atque hinc LARDNERUS verba Pauli ita ἀποφέρει: *Intelligo vos omnes eſſe admodum devotos.* DUPORTUS autem: *Video vos, ô Viri Athen. præ reliquis gentibus religionis veſtræ ſtudio teneri, & præ ceteris omnibus, quos unquam vidi, hominibus, Deorum veſtrorum cultui deditos atque devotos.* Ceterùm diſſimulare tamen non poſſum, etiam Judæos helleniſtas illo tempore vocem ſequiori ſenſu uſurpaſſe. Sic PHILO in Lib. de Nominum mutatione p. 1066. ait: Ἀλλ' οὐ παντός ἐστιν ἀκοῦσαι τὸ ἄκουσμα τοῦτο πολλῆς τῆς δεισιδαιμονίας ῥυέντος παρ' ἡμῖν τοῦ κακοῦ. Quare licèt minimè exiſtimem, Paulum hunc ſignificatum ſigillatim intendiſſe, non repugnabo tamen, ſi quis ſtatuat, illum prudenter vocabulo μέσῳ uſum eſſe, ut neque illos læderet, neque tamen etiam ipſum eorum cultum adprobaret. Verè autem Athenienſes præ aliis populis & inprimis præ reliquis Græciæ civitatibus à δεισιδαιμονίᾳ celebrabantur: nam & omnium gentium Deos colebant, & undique aræ, victimæ, templa & feſtivitates ſtatuebantur, adeò ut viæ paſſim, & hominum conciones, Jovis omnes plenæ eſſent, & frequentiſſima ſacrificia offerebant, unde PHILOSTRATUS de *Vit. Apoll.* Lib. IV. cap. XIX. illos φιλοθύτας appellat; & tantâ inprimis religione res cultui divino, aut Diis ſuis conſecratas, intaminatas ſervare quærebant, ut ſi quis vel parvam illicem ex luco Hetois excidiſſet, aut paſſerem Æſculapio ſacrum, licèt inſcius aut inſanus interfeciſſet, eum morte mulctarent, ut peculiari capite, quod idcircò περὶ Ἀθηναίων δεισιδαιμονίας inſcribit, narrat *Ælian.* V. H. Lib. V. cap. XVII. Ut adeò mirum non ſit, quòd SALVIANUS *ſuperſtitioſiſſimum Athenienſium*

 populum,

Digitized by Google

populum, nuncupaverit, vid. de his omnibus, præter GROTIUM, ADAMI & WOLF. præcipuè ECKHARDUS in *Athenis ſuperſtitioſis. Theſ. Theol. Phil.* Tom. II. pag. 461. ſeqq. conf. & JAC. GOTHOFREDUS in *Diſſert. poſter. ad* 1 *Tim.* III. 15, 16. Tom. VII. *Bibl. Critic.* Hinc igitur meritò non ſolùm in comparativo gradu, ſed & κατὰ πάντα δεισιδαιμονέστεροι appellabantur. Quam ellipticam locutionem BOISIUM minùs commodè ſupplere per τόπον, rectè monuit WOLFIUS, cùm meliùs ſi vocabulum πάντα pro plurali neutro ſumatur, ſubintelligi poſſit vox πράγματα, aut potiùs, ſi pro quarto caſu ſingularis maſculini habeatur, accuſativus τρόπον, quemadmodum integra phraſis κατὰ πάντα τρόπον, pro *omnibus modis*, exſtat Rom. III. 2. Particula ὡς hîc rei veritatem ut aliàs ſæpius denotat, quem uſum pluribus exemplis probat RAPHELIUS in *Annot. in N. T. ex Xenophonte collect.* ad Joh. I. 14.

Tales igitur Paulus illos non aliunde, aut ex rumore vulgi cognoverat, ſed ipſe coram contemplatus erat.

IX.

Digreſſus enim per urbem, & contemplatus σεβάσματα ipſorum, invenerat aram, cui inſcriptum Ἀγνώστῳ Θεῷ. Uti maxima urbis Athenarum antiquitùs fama atque celebritas erat, ita minimè mirum erat, quòd peregrinos in ſui propiorem contemplationem atque admirationem abriperet. Quam in rem nec Paulo tempus deerat, cùm *Silan* & *Timotheum* illic præſtolaretur, com. 15. Interim non tamen ſolius curioſitatis gratiâ, urbem perambulârat, ſed potiùs, ut omnia quæ ſcopo ſuo inſervire poſſent, diſtinctiùs cognoſceret, & inprimis paſſim per urbem in Synagogis Judæorum & foris Evangelium annunciaret. Hac igitur occaſione ait, ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν.

Σεβάσματα hîc multi cum GROTIO de omnibus cultui divino inſervientibus, *templis*, *ſimulacris*, *Deorum inſignibus* & *ſacrificiis* accipiunt. *Syrus* ſigillatiùs ad templa reſpexiſſe videtur, eámque ob cauſam reddit ܒܝܬ ܕܚܠܬܗܘܢ *domum formidinis*

nis vel *cultûs veſtri*, Rectiùs autem de *objectis cultûs*, ſeu *Numinibus* ipſis accipitur, quemadmodum ita adhuc ſemel idem Paulus, pro eo, quod colitur, adhibet 2 Theſſ. II. 4. & ante illum Auctor libri Sapientiæ XIV. 20. Τὸ δὲ πλῆθος ἐφελκόμενον — τὸν πρὸ ὀλίγου τιμηθέντα ἄνθρωπον, νῦν σέβασμα ἐλογίσαντο. coll. XV. 17. & Hiſtor. Dracon. com. 26. Ἴδετε τὰ σεβάσματα ὑμῶν. Atque ita rectè Arabs vertit معبوداتكم *Numina veſtra*, & Vulg. *Simulacra veſtra*.

Verbum ἀναθεωρεῖν huc egregiè quadrat. R. WOLFIUS quidem exiſtimat, id ad ſitum ſimulacrorum in loco altiori reſpicere, nec abluderet ſignificatio præpoſ. ἀνὰ, ſed dudum monuit eruditiſſimus L. Bos. *Diatr.* XXV. 5. eam ſæpe in compoſitione neque *iterum*, neque *ſurſum* ſignificare. Contrà autem potiùs vel nudè verbo jungitur, vel ſignificationem intendit. Atque ita hîc loci ἀναθεωρεῖν pro *attentè contemplari*, adhibitum eſſe, & ἀναθεώρησιν *diligentem contemplationem* denotare, pluribus docuit eruditiſſimus DIODORI SICULI enarrator WESSELINGIUS ad Lib. XVIII. cap. 74. in not.

X.

Sic igitur, dum Apoſtolus objecta cultûs Athenienſium attentè contemplatus eſſet, invenerat aram, cui inſcriptum erat Ἀγνώστῳ Θεῷ.

Aras quondam variis inſcriptionibus exornatas, illíſque mediantibus, tam vero Deo, quàm Numinibus gentium conſecratas fuiſſe, ex antiquitate ſacrâ æquè ac profanâ notum eſt, vid. ALMELOVEN. *Antiqq. ex Sacr. profan.* ad Gen. XXII. 14. & SALMAS. in *Exercit. Plin.* in init.

Circa hanc autem inſcriptionem duo potiſſimùm quæri ſolent, primùm, quibus illa verbis concepta fuerit? tum quis, per hunc *Deum ignotum*, intelligatur? Ad priorem quæſtionem ſolvendam, uti HIERONYMUS ſufficere exiſtimat inſcriptionem, Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης Θεοῖς Ἀγνώστοις καὶ Ξένοις, ita dudum rectè obſervarunt Viri Docti, eam huc minus quadrare, quia neque conveniſſet, ut Apoſtolus inſcriptionem mutaret,

 &,

&, pro numero multitudinis, ſingularem ſubſtitueret, neque ad ſcopum Apoſtoli apta fuiſſet, quia is non plures ignotos Deos Athenienſibus tradere volebat, & disertè dein teſtatur, ſe, illum ignotum Deum, quem inſcriptio præ ſe ferebat, ipſis annunciaturum. vid. OLEAR. *Diſſert. laudatâ*, & BUDDEUS *Hiſt. Eccleſ.* T. II. p. 530. Fruſtra quoque alia inſcriptio producitur, in quâ ultima verba in ſingulari numero exarata ſunt, hanc enim dudum REINES. in initio *Inſcript.* docuit, ſubleſtæ fidei, piáque fraude ſubſtitutam, eſſe. Paulò quidem melius ab aliis ad βωμὸς Θεῶν Ἀγνώςων, quorum PAUSANIAS & PHILOSTRATUS meminerunt, provocatur, ſed dubium remanet, an hi in plurali numero *Deorum ignotorum* meminerint, an verò horum Scriptorum verba ita accipi queant, ut plures aras fuiſſe dicant, quarum ſingulæ Deo ignoto conſecratæ fuerint. Prius ſi ſit, loca quoque illa huc propriè non facient: ſi verò poſterius, alia res eſſet, ſed minus tamen mihi, ut verum fatear, id probabile videtur. Quæ enim ratio foret, cur uni eidémque ignoto Numini plures aras ſtatuerent? Neque cogitari facilè poteſt, ſingulis ignotis Numinibus, ſingulas diſtinctas aras eadem inſcriptione, *ignoto Deo*, ſine ullo alio additamento poſitas fuiſſe, quia tum nemo illa diſtinguere potuiſſet, longéque rectiùs communi inſcriptione omnes inſignitæ fuiſſent. Longè itaque veroſimilius eſt, cùm inſcriptio HIERONYMO memorata disertè in plurali numero, *Deorum ignotorum & peregrinorum Europæ & Libyæ* meminerit, PAUSANIAM & PHILOSTRATUM ad hanc & fortè ſimiles aliarum regionum reſpexiſſe, quin & fortè hanc quoque uni *ignoto Deo* ſacratam, ſub communi appellatione comprehendiſſe. Quicquid autem hac de re etiam ſit, id ſaltem ex illis locis, ad confirmationem verborum Apoſtoli manifeſtum eſt, Athenienſes in more habuiſſe, etiam ignotis Numinibus aras conſecrare. Singularis autem iſtiuſmodi Numinis ex antiquis ſcriptoribus ſolus ferè meminit LUCIANUS, aut quisquis *Philopatridis* Auctor ſit, ídque bis, primùm cap. IX. ubi CRITIAS ait. Νὴ τὸ Ἄγνωςον ἐν Ἀθήναις, *Per ignotum, qui Athenis colitur, Deum!* Ad quem locum Mos. SOLANUS monet: *Ignotus ille Athenienſium Deus, ſi à Chriſtianis abeas, vix cui-*

quam

quam memoratus reperietur. & cap. XXVIII. Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις Ἄγνωστον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos vero, ignotum, qui Athenis colitur Deum, à nobis inventum adorantes, manibus in cælum ſublatis, eidem gratias agemus.* Hic igitur ſine dubio eſt, cui ara hac inſcriptione dicata fuit. Non enim cum *S. Reverend.* MOSHEMIO, licet ejus inſignem eruditionem ceteroquin maximo opere venerer, facere poſſum, qui in not. ad CUDWORTH. *Syſt. Intell.* p. 561. neutrum horum locorum aliquid probare, exiſtimat, quia ad riſum & cavillationem Chriſtianorum ſacrorum, omnia in hoc dialogo ſint compoſita. Etſi enim hoc verum eſt, de ipſo tamen ignoto Athenienſium Deo Dialogi Auctorem ſerio & cum reverentiâ loqui, manifeſtiſſimum eſt, quia alios ſecum ad hunc Deum, ut mox videbimus, unicè colendum excitat, quod talem ſibi Imperatorem (cui omnibus modis adulabatur, & de quo adeò per μυκτηρισμὸν loqui voluiſſe minimè cenſeri poteſt,) conceſſerit.

X I.

Quis autem ille ſit, quando quæritur, magis quidem ingenioſè, quàm ſolidè eruditiſſimum OLEARIUM de ISIDE, quam Athenienſes ab Ægyptiis acceperint, & latente ſub illâ *Spiritu æterno, infinito, rerúmque omnium cauſâ efficiente & conſervante,* cogitare exiſtimo, quia neque Pauli inſtitutum erat, eúmve decebat, illis Iſidem annunciare, neque Isis etiam *ignotum Numen* unquam appellata eſt, aut appellari potuit, quoniam de illâ plurima tradebantur, & inprimis illa, ut notiſſima Dea in ſimulacris & imaginibus colebatur, quales gentibus minimè Θεοὶ ἄγνωστοι erant. Atque hinc quod in Saiticâ ejus inſcriptione legitur, *& peplum meum nemo mortalium retexit*, huc minimè ſpectat, ſed ad arcaniores potiùs ejus ſenſus. Neque magis calculum illis adjicere poſſum, quæ dein propiùs ſubjungit de *Chriſto, ut ſapientiâ creatrice*, ſeu *illum, per quem omnia facta ſunt*, nunc *non amplius ſub Iſidis Palladísque peplo latente, ſed clarè manifeſtato*, aut quæ de eodem, ut אהיה אשר אהיה Moſi ſemet quondam manifeſtante, huc refert *Cl.* WOLLIUS peculiari

Differt.

Diſſert. *de ignoto Judæorum & Athenienſium Deo* אהיה Videantur ejuſdem not. ad BLACKWALLI *Auctor. Claſſ.* p. 84. & 207. Cùm enim Paulus diſertè teſtetur, ſe hunc ignotum Deum illis annunciare, non autem Chriſtum ut Deum illis prædicet; ſed potiùs generatim *Deum, qui mundum fecit, & omnia quæ in illo,* com. 24. *Chriſtum* autem, ut *Virum, quem is ad id conſtituit, ut per illum totum orbem habitabilem aliquando judicet in juſtitiâ* com. 31. luce meridianâ clarius eſt, non Chriſtum ſigillatim, ſed illum potiùs conditorem omnium, per *ignotum Deum,* intellectum eſſe debere. Atque ſic jam ultrò eò deducimur, ut agnoſcamus, nullum alium, quàm eundem verum Deum, quem nos piè veneramur, illum ἄγνωστον Θεὸν eſſe, quem Athenienſes hactenus coluerant, quod tam clarè támque ſolidè demonſtravit *Celeb.* MOSHEMIUS, *Cogitat. in Nov. Foed. locos Select.* Lib. I. cap. IV. ut non videam, quomodo quis cum ratione amplius eâ de re ambigere queat. Non tamen putem eum, uti per rationis lumen illis innotuit, ſub hac appellatione cultum eſſe, non enim tota multitudo, ſed pauci quidam & ſubtiliores Philoſophi tales ſibi conceptus formabant, nec ad receptum cultum gentium ſatis quadrabant, neque hactenus vidi illum in hac relatione abſolutè ἄγνωστον à gentibus dictum eſſe, aut commodè dici poſſe, in quantum κατὰ τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod in omnibus φανερὸν eſt, ab illis quoque cognitus eſt. Aliud autem eſt, neque huc facit, quod κατά τι, ἄγνωστος dicitur, ut reſpectu eſſentiæ ipſis Judæis ita appellari mox videbimus. Non exiſtimem quoque τὸ ἄγνωστον idem innuere, ac *quod à nullius mortalium ingenio comprehendi queat,* quia, licèt id verum & à gentibus quoque agnitum ſit, ut præter loca à *Celeb.* MOSHEMIO allata egregiè confirmant verba ÆSCHYL. in *Fragm.* edit. Cl. *Pauw* pag. 647. *Sejunge à mortalibus Deum, & ne ſentias quidpiam carneum illi ſimile.* Οὐκ οἶσθα δ' αὐτόν. *Non noſti eum:* quod *Ill.* GROTIUS reddit, *Ignotus ille eſt,* non tamen ſcio, an propriè ἄγνωστον & ἀκατάληπτον alternent, quin hac ratione ipſis quoque Chriſtianis, quibus ex Pauli hypotheſi tamen notus erat, ἄγνωστος foret, nam ut rectè MINUTIUS FELIX pag. 18. *Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt; nec comprehendi, tactu purior eſt;*

eſt; nec æſtimari, ſenſibus major eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi, tantus quantus eſt, notus. nobis verò ad intellectum pectus anguſtum eſt: & ideò ſic eum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio, magnitudinem Dei, qui ſe noſſe putat, minuit: qui non vult minuere, non novit. Hinc igitur ἀγνωςον hunc, verum quidem Deum eſſe puto, ſed qualis ab aliis colebatur, Athenienſibus autem famâ tantùm innotuerat, & de quo præterea nihil diſtinctiùs cognoſcebant. Hic autem eſt ille toto celeberrimus orbe Deus, quem Judæi hactenus ferè ſoli coluerant. Eſt hæc quidem multorum Commentatorum ſententia, ſed cùm à nemine eam ſatis ſolidè adſtructam videam, operæ pretium erat, illam idoneis argumentis paulo propiùs ſtabilire. Hunc in finem obſervari velim.

1. Quòd cùm Athenienſes omnium gentium Deos coluerint, fama autem Numinis Judæorum, ejúsque ab omnium aliorum populorum cerimoniis, diſtinctorum ſacrorum, latiſſimè per omnes gentes ſparſa eſſet, dubitari vix poſſit, eos illud minimè prætermiſiſſe.

2. Quòd in hoc præcipuè numerus ſingularis quadret, cùm Judæi ex gentibus illâ ætate Athenienſibus cognitis, præcipuè & ferè ſoli, unum Deum colerent, reliquæ polytheiſmo deditæ eſſent.

3. Quòd ipſi nomen *Dei ignoti* maximè conveniat. Non enim tantùm nullâ externâ ſpecie & viſibili imagine exprimebatur, ſed & ſub Veteri Oeconimiâ ſe maximè occultabat, in interiori ſanctuario habitans, omnésque propiori acceſſu arcens, præter Pontificem ſolùm, cui ſemel tantùm in anno, eò, ſed non niſi excitato prius denſiſſimo fumo ſuffitûs, appropinquare licebat, quamobrem etiam in verbo Jeſ. XLV. 15. אל מסתתר *Deus abſconditus*, ſeu *ſemet occultans* dicitur. Adde quod & Judæi doctrinam de ipſo; ejúsque propiorem cognitionem gentes ſtudioſè celarent, ut adeò illis parum certi de eo innoteſceret, quare iisdem quoque *incertus* audiebat, ut apud Lucan. Lib. II. v. 593.

Digitized by Google

ubi ſi cum Rosweido legere liceret, *Ignoti Judæa Dei*, id adhuc magis ſcopo noſtro conveniret. Verùm cùm hæc lectio Codicum MSC. auctoritate non confirmetur, in receptâ potiùs acquieſcimus. Rectè autem ad hæc verba obſervat *Cel.* Burmannus: *incertus Pompejo dicitur, quia ignorabant gentes, quem Deum Judæi colerent, quum nullas apud eos imagines deprebendiſſent*.

4. Quòd ſi etiam Judæi græcè loquentes, eidem τῷ ἀγνώστῳ tribuerint; inſigne id dictis robur conciliabit, tantóque minùs mirum erit, ſi gentes ei hunc titulum tribuerint. Id autem eos feciſſe ex inſigni Josephi loco, Cudwortho quoque, licèt non hunc in finem obſervato, patet, Lib. II. *contra Appion.* p. *edit. Haverk.* 482. ubi eum ait: δυνάμει μὲν ἡμῖν γνώριμος, ὁποῖος δὲ κατ' οὐσίαν ἐστὶν ἄγνωστος, *potentiâ quidem nobis notum, qualis autem ſecundùm eſſentiam eſt*, ignotum *eſſe*.

5. Tantò magis autem hæc omnia feriunt, quò magis ex memoratis apud Pausaniam & Philostratum aris *ignotis Diis* in plurali numero conſecratis patet, illos *ignotos Gentium Deos* ab hoc *uno* ſollicitè diſtinxiſſe.

6. Novum his pondus addit, quòd ex circumſtantiis haud difficulter colligere liceat, illum quoque Auctori *Philopatridis* memoratum *ignotum Deum*, non alium quàm *Deum Judæorum* eſſe. Non enim is tantùm, gentium de Diis fabulas, æquè ac Chriſtianæ fidei myſteria ridet, ſed & *Celeb.* Gesnerus argumentis, quibus in tali re certiora neque haberi, neque ullo jure deſiderari poſſunt, evicit, illum Juliani ætate hunc dialogum conſcripſiſſe, & in eo huic Imperatori maximè adulatum eſſe; jam autem ipſe Julianus diſertè teſtatus eſt, ſe *unum illum Deum, qui potentiſſimus & optimus, mundúmque ſenſibilem regat*, imò, quod magis eſt, *Deum Abrahami, Iſaaci* & *Jacobi* colere, v. ejus *Epiſtol.* LXIII. & Cyrill. *contra Julian.* pag. 354. ſeq. Quis igitur dubitare poteſt, quando ille Dialogi Auctor, exploſis gentium fabulis, & Chriſtianorum myſteriis, ſe unum ignotum Deum Athenis cultum adorare aſſerit, alióſque

que ſecum ad gratias ipſi agendas excitat, quòd is talem ſibi indulſerit Imperatorem, eum ſub illius nomine non alium, quàm unum illum potentiſſimum optimúmque mundi Rectorem, quem JULIANUS ſe cum *Abrahamo*, *Iſaaco* & *Jacobo* colere aſſerebat, intelligere.

7. Atque ſic demum patet, Paulum in emphaſi dicere potuiſſe, ſe hunc ignoto nomine hactenus cultum iisdem annunciare.

8. Denique & hæc propiùs confirmat ipſa opportuna occaſio, quam Athenienſes ad hunc, *Dei Judæorum*, cultum habuerunt. Hanc quidem R. WOLFIUS cum nonnullis in eo quærit, quòd ejus obſcurior notitia à Judæis ad Ægyptios, & ab his ad Græcos & Athenienſes pervenerit. Verùm minùs illa ſufficiens eſt, longéque propiorem certiorémque habemus, dum non ſolùm Judæi multi Athenis habitârunt, illícque Synagogam habuerunt com. 17. ſed & PLATO jamdudum unitatem Dei didicerat in Ægypto, ſine dubio ex Judæorum præcipuè ſcriptis, quæ eum legiſſe multis indiciis conſtat, unde CLEMENS ALEXANDRINUS in *Admonit. ad Gentes*, *Platonem* compellans, ait: Νόμους δὲ τοὺς ὅσοι ἀληθεῖς, καὶ δόξαν τὴν περὶ τοῦ Θεοῦ, παρ' αὐτῶν ὠφέλησαι τῶν Ἑβραίων. *Leges autem quæcumque veræ ſunt, & de Deo opinio, ſuppeditata tibi ſunt ab Ebræis.* conf. MENAGII *Obſerv.* ad *Diog. Laërt.* Lib. III. Segm. 6. Inprimis verò JOSEPHUS Lib. II. *contra Appion.* Licèt autem ipſe metu Judicii Areopagitarum hanc cognitionem occultare cogeretur, ut docet JUSTINUS MARTYR, ſine dubio tamen non penitùs ſiluit. Imò quid ad hunc *ignotum Deum* propiùs accedit, quàm quod CICERONE Lib. I. *de Nat. Deor.* teſte, PLATO in *Timæo*, *Patrem bujus mundi* NOMINARI POSSE *negat; in Legum autem libris, quid ſit omninò Deus inquiri oportere non cenſet?* Præcipuè autem deinde plura de eodem inaudire, imò in eum quoque æquiores evadere debuerunt Athenienſes, cùm HYRCANO Pontifice, ob multa egregia ejus, in cives ſuos merita, ampliſſimum amiciſſimúmque decretum condiderunt, quo hunc ſacrorum judaicorum Antiſtitem *coronâ aureâ virtutis ergo, ſecundum legem honorârunt, ipſique ſtatuam ex ære collocarunt in*

Digitized by Google

templo Demi (non *populi*, ut minùs rectè reddit Meursius, monente Spanhem. & Relando) *& gratiarum*, pluribúsque ſingularis honoris propenſiſſimaéque voluntatis ſignis ſolemniter mactârunt, quæ fuſiùs enumerat Josephus *Antiqq.* Lib. XIV. cap. VIII. Cùm enim tantum, quantus quidem cuiquam haberi poterat, honorem, præcipuo Dei & Sacrorum Judaicæ gentis adminiſtro habuerint, quis dubitet, ipſos quoque multa de Judæorum Deo, licèt eum penitiùs non noſſent, propiùs intellexiſſe, & ſi antea id jam factum non fuerit, certè ab illo tempore, illi quoque honorem, quo aliorum gentium Deos adfecerunt, non denegaſſe?

Interim non ſoli Athenienſes, ignotum Deum coluerunt, ſed & apud alias gentes ſimiles *ignotorum Deorum* aræ memorantur, imò quod magis eſt, de ipſis Romanis Cæcilius gloriatur: *Aras extruunt etiam ignotis Numinibus*, apud Minut. Fel. pag. 6. vid. ib. Wouwerius & Elmenhorst. in not. Ceterùm Scriptores, qui ex profeſſo hanc aram, aut etiam alias ſimiles illuſtrarunt, enumerat Wolf. in *Cur. Crit.* in h. l. Fabricius in *Bibl. Antiq.* pag. 295. & Scheteligius in *Bibl. Diſput.* ad h. l. quibus addantur *Admodum Vener.* & dum viveret, cariſſimus collega Antonius Cuperus in Diſſert. hîc loci ſub præſidio *Cl.* Baringii 1689. habitâ, *de cultu Dei ignoti apud Athenienſ.* & *Cl.* van Seelen in Θεολογ. *ex Inſcript. Bibl.*

XII.

Exordium ſequitur *propoſitio*, his comprehenſa verbis: Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. Priora verba breviter at nervoſè totius illius cultûs vanitatem oſtendunt. Nihil enim ſtolidius eſſe poteſt, quàm colere, quod utrum cultu dignum, aut quomodo colendum ſit, neſcis? Quanto jure talibus idem objiceretur, quod Servator exprobrabat Samaritanis, ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε. Joh. IV. 22. *Quomodo enim adorabunt, in quem non crediderunt? Quomodo verò credent quem non audiverunt.* Rom. X. 14. Ingens itaque beneficium erat, cujus Paulus ſe illos participes redditurum teſtabatur, *hunc quem ignorantes colitis vobis annuncio.* Sic innuebat quòd minimè

minimè novorum Numinum *καταγγελεὺς* eſſet, ut nonnulli exiſtimaverant com. 18. ſed illum tantùm, quem hactenus ignotum coluerant, ipſis notum reddere quæreret, quò rationalem ei cultum in poſterum præſtare poſſent. Id autem ut ritè faceret, tractationem ipſam ſubjungit, quæ partim eſt *generis elenchtici* comm. 24. — 29. partim *dogmatici*, com. 30, 31. In priori triplicem refutat capitalem errorem, cui ethnici, & inprimis illi, ad quos verba faciebat, mancipati erant. Primus eſt, quod *Numen habitaret in templis manu factis*, com. 24. Alter, quòd *utilitatem à cultu mortalium caperet* comm. 25. — 28. tertius, quòd *in imaginibus colendum*. com. 29.

XIII.

Incipit non ſolùm Apoſtolus tractationem more non illaudabili apud gentes recepto à Deo ipſo, ut oſtendit ADAMI ad h. l. Sed & ne in vanum diſputaret, præmittit definitionem illius entis, de quo agere conſtituit, quæ definitio ſimul fundamentum omnis refutationis involvit. Ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸ κόσμον καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ. Eſt hæc itaque productionis totius hujus univerſi ex nihilo, quod ποιεῖν in emphaſi involvit, v. Act. IV. 24. & Apoc. XIV. brevis ſed emphatica deſcriptio: quam fundamentum eſſe actualis ejus exſiſtentiæ, ipſa omnium rerum totius univerſi indoles arguit, dum earum omnium non neceſſaria, ſed contingens eſt exſiſtentia, omnes imperfectæ, & ab aliis dependentes, quia & perpetuis viciſſitudinibus obnoxiæ ſunt, earúmque duratio per certa temporis intervalla diſpeſci poteſt, & denique ordo qui inter illas intercedit, uniúsque ad alteram relatio, neque neceſſaria, neque à rebus ipſis determinata ſunt, aut dependent. Hinc igitur cùm omnia hæc à ſe non ſint, cauſâ neceſſariò indigent, à quâ producta ſint. Quod omnium ferè populorum conſenſus confirmat, quorum annales aliquam productionis ex nihilo, licèt nonnulli, adulteratam & fabulis corruptam, memoriam ſervant. Cauſam autem hujus rei Paulus Deum prædicat, quo nomine omnes populi Ens aliquod infinitæ potentiæ intelligunt; & meritò cùm ad productionem rerum ex nihilo non

ſolùm infinita potentia requiratur, ſed & ipſe Dei conceptus involvat, ut is rerum omnium extra ſe cauſa ſit, quoniam ipſe potentiſſimus eſſe non poteſt, niſi omnia ab ipſo dependerent, omnéque ſuum eſſe ab eodem haberent. Atque hinc hæc veri Dei periphraſis eſt, ipſéque adeò non ſolùm inde ſæpius in ſacris denominatur, ſed & eo ipſo à falſis Diis, *qui cœlum & terram non fecerunt*, diſtinguitur, Jer. X. 11, 12, 13. Pſ. CXLVI. 5, 6. LI. 15. & Apoc. XIV. 7. Imò ipſi prudentiores gentium Philoſophi creationem aut productionem mundi & eorum quæ in illo ſunt, à Deo factam agnoverunt, quemadmodum inprimis Platoni idcirco in *Timæo*, *Deus eſt ipſo ſuo nomine mundi Parens*, *artifex animæ*, *cœleſtium terrenarúmque fabricator*, ut docet Octavius apud *Minut. Fel.* p. 21. conf. quæ ad hunc *Actor.* locum præterea adnotavit Pricæus. Dum autem hæc ſcribimus, fateri ſimul cogimur, minùs non ſolùm hactenus conſtare, utrum ulli gentium philoſophi creationem ex nihilo crediderint, ſed & id ſaltem ferè indubium eſſe, hanc Platonis ſententiam non fuiſſe, utpote qui præter Deum materiam æternam ſtatuit, ſed cui Deus per creationem, illam quam nunc habet formam indiderit, ut pluribus demonſtravit *S. Rever.* Moshemius peculiari *Diſſertat.* Cudworthi *Syſtemati* inſertâ pag. 957. ſeqq. cui hîc pollicem premit eruditiſſ. Bruckerus *Hiſt. Crit. Philoſ.* T. I. pag. 677. ſeqq. Licèt autem Paulus ſine dubio creationem ex nihilo intelligat, cùm tamen hac de re hîc non diſputaret, ſufficiebat, quòd generaliori termino uteretur, quem Platonici cum multis aliis philoſophis, licèt non eodem ſenſu admittebant, inprimis cùm etiam ex illorum ſententiâ eadem ſequebantur, quæ Paulus ex creationis dogmate deducebat. Opponebat autem hæc verba propriè Epicureis & Stoicis, cum quibus ipſi res erat, quorum illi, mundi originem fortuito atomorum concurſui, hi fato & immutabilibus naturæ legibus, ſtultè tribuebant.

Denique Paulus hîc in ſingulari numero loquitur *de Deo*, *qui* κ. τ. λ. non ſolùm quia dixerat ſe ipſis Verum illum Deum, quem hactenus ignotum coluerant, annunciaturum, ſed & ut polytheismo gentium tacitè occurreret, qui etiam ipſo creationis

tionis dogmate refutatur, quoniam harmonia totius univerſi omniúmque partium ejus, ſeu mundi & omnium quæ in eo ſunt, clarè arguit, illa omnia ab uno potentiſſimo ſapientiſſimóque auctore, in illo ad ſe invicem ordinè atque relatione conſtituta, & congruentata eſſe debere. Quam Dei unitatem etiam pleræque gentes agnoverunt, omniáque idcircò à multis celebrata Numina non niſi totidem unius Dei nomina eſſe voluerunt. vid. PFANNER. *Theolog. Gentil.* cap. II. §. 9. & OUZEL. ad *Minut. Felic.* pag. 16. Quin & huic uni vero & Summo idem creationis opus tribuerunt, ut IRENÆUS Lib. II. cap. 9. docet, ſcribens, *Illi enim creaturæ potiùs quàm creatori, ſervientes, & his qui non ſunt Dii, veruntamen* PRIMUM DEITATIS LOCUM, ATTRIBUUNT FABRICATORI HUJUS UNIVERSITATIS DEO. Præcipuè hîc adferri meretur teſtimonium PHILOLAI, quod ſervavit PHILO JUDÆUS in Libr. *de Mundi opif.* edit. Francof. pag. 23. μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ καὶ Φιλόλαος ἐν τούτοις, Ἔστι γὰρ, φησὶν, ἡγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντων Θεὸς, εἷς ἀεὶ ὤν. *Teſtimonium autem ſermoni meo Philolaus perhibet his verbis: Eſt, enim, ait, Auctor & Princeps rerum omnium Deus; ſemper unus.* Atque ita ſimul cenſeri poteſt Paulus tacitè illorum errorem notare voluiſſe, qui creationis opus inter plures Deos diſpertiebantur, uníque hujus, alteri alterius rei productionem tribuebant, ut non incongruè *Cl.* ADAMI monuit.

X I V.

Creationi meritò ſubjungit, imò ex illâ deducit, dominium Dei in omnia, dum ait, οὗτος οὐρανοῦ καὶ γῆς κύριος ὑπάρχων, ex dependentiâ enim phyſicâ ultrò moralis ſequitur, & quod ab alio eſt, id ipſius poteſtati ſubeſt. Quod ipſum iterum non abſque ratione exiſtimat *Cl.* ADAMI, opinioni illorum, qui ſingulos Deos ſingulis regionibus aut urbibus, ut *Minervam* inprimis *Athenarum* urbi præficiebant, qualem ſummæ in cœlo poteſtatis diviſionem, eleganter, licèt non apodicticis per omnia argumentis, explodit CÆCILIUS apud *Minut. Fel.* pag. 18. Ex hoc autem principio Apoſtolus derivat Deum οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖν. Ubi templa manufacta, qualia humanâ

arte

arte & induſtriâ parantur, memorat, quia in his exſtruendis atque ornandis Athenienſes, præ omnibus ferè aliis Græciæ populis, diligentiores erant. vid. Adami *Obſerv.* p. 209. conf. & quæ ſupra ad com. 22. ſunt monita. In his autem dum Deum habitare negat, non ſolùm reſpicit craſſiorem rudioris plebis errorem, quæ verè ſimulacra pro Diis habebat, ſed etiam aliorum, qui circumſpectiùs quidem loquebantur, verè tamen in hujus erroris confiniis hærebant, dum verbis quidem teſtabantur, Numina ſe tantùm in ſimulacris manifeſtare, & ad illa præſentia ſiſtere, reverâ autem ita ſentiebant atque agebant, ut pateret, quòd illa cum ſimulacris templi parietibus includi crederent. Huc faciebat, quòd non ſolùm illa in ſimulacris adorarent, & ex templis his in alias regiones evocarent, illíſque relictis in has concedere, & poſtliminio ad priſtinum locum reverti exiſtimarent, conf. Fabric. *Bibliogr. Antiq.* cap. VIII. §. XVII. ſed & quòd urbibus ab hoſtibus captis aut capiendis excedere, & ſimulacra ſecum auferre crederent. vid. Æschyl. *in Sept. contr. Theb.* vſ. 223. atque ib. Stanlej. ut & *Commentat.* ad Virgil. *Æneid.* Lib. II. v. 351. & Drakenb. ad *Sil. Ital.* Lib. XII. v. 517. imò, quòd, cùm metuerent, ne priſtinas ſedes relinquerent, aut ad hoſtes tranſirent, ſimulacra catenis religarent, ſícque Deos detineri poſſe, ſtultâ ſuperſtitione ſibi perſuaderent, vid. præter loca *Cl.* Adami laudata, Diodor. Sicul. Lib. XVII. cap. 41. in fin. Inprimis autem huc referri debet, quòd ipſa eorum Doctrina huic errori maximè patrocinaretur, dum ſpiritualis omníque extenſione carentis eſſentiæ divinæ debitum conceptum non habebant, ſed illi æquè ac omni ſpiritui ſubtilius aliquod corpus adſcribebant, quâ in re ſummi eorum & celebratiſſimi Philoſophi illis præibant. Ipſe ſanè, quem ante omnes alios nominamus, quia ab eo id omnium minimè exſpectares, divinus Plato, licèt nonnunquam ſatis appoſitè de Spirituali Dei eſſentiâ loqui videatur, nonnunquam tamen ſermonem ita inſtituit, ut non niſi craſſiorem materiam ab illo removiſſe, contrà autem ſubtilius corpus illi tribuiſſe credas, multíque non ſolùm eum verè ita ſenſiſſe ſtatuant, ſed & qui modeſtiſſimè loquuntur,

veram

veram ejus hac de re ſententiam adhuc incertam eſſe, fateri cogantur. vid. *Cl.* MOSHEMII *not. ad* CUDWORTH. pag. 1010. ſeq. & BRUCKER. *Hiſt. Crit. Philoſ.* Tom. I. pag. 690 De EPICUREIS autem & STOICIS, cum quibus Paulo hîc propriè res erat, id indubium eſt. EPICURUS enim nil niſi corpora admiſit, & Deum, aut quemadmodum etiam loquebatur, Deos (ſiquidem aliquos unquam verè crediderit, & non potiùs vocabulo tantùm invidiæ declinandæ gratiâ, uſus ſit) corpore certè ſubtili veſtitos, finxit, ut docet CUDWORTH. *Syſt. Intell.* Cap. II. §. 2. & BRUCKER. pag. 1290. ſeq. STOICIS verò *Deus erat corporeus & mutabilis*, ut pluribus ex ORIGENE aliíſque Scriptoribus oſtendit idem CUDWORTHUS pag. 1123. & BRUCKERUS pag. 924. His omnibus addi poteſt, innumera illa templorum multitudo, quorum ſingula ſingulis Numinibus propria, & ex quibus omnia alia, præter illa, quorum imagines ſervabant, excludebantur, neque illic præſentia erant, niſi fortè eò ad miſcenda colloquia, aut inſtituendas communes deliberationes ex profeſſo proficiſcerentur. Quid mirum igitur, ſi homines corporeis conceptibus adſueti: híſque ſimul præjudiciis imbuti, & in illis ab ipſis Philoſophis confirmati, Deos ſuos templa propriè inhabitare crederent? Certè non ſolùm idcircò hæc ναοὺς à ναίειν ab *habitando* & Θεῶν οἴκους aut Θεῶν ἱεροὺς δόμους appellabant, ut ex HOMERO, EURIPIDE, THEOCRITO alíſque notiſſimum, ſed & illos verè in his ædibus eſſe, eáſque inhabitare adfirmabant. Notiſſima & aliis quoque jam tacta ſunt hæc apud ARNOBIUM, ubi non ipſe tantùm gentibus illud objicit, ſed & ethnicum, id excuſantem quidem, verùm ita excuſantem, ut rem ipſam tamen fateatur, introducit, pag. 191. ſeq. *Templum, inquit, hoc Martis eſt, hoc Junonis & Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: quid eſt aliud dicere, quàm domus hæc Martis eſt, hæc Junonis, & Veneris, Apollo hîc habitat, in hac manet Hercules, illâ Summanus. Ita non prima & maxima contumelia eſt, habitationibus Deos habere diſtrictos? tuguriola his dare, conclavia & cellulas fabricari, & eis exiſtimari neceſſarias res eſſe, quæ hominibus, felibus, quæ ſunt formiculis, & lacertis, quæ fugacibus pavidis atque exiguis muribus? ſed non, inquit,*

 idcircò

idcircò attribuimus Diis templa, tanquàm humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus aut ſoles: ſed ut eos poſſimus coram aut cominus contueri, affari de proximo, & cum præſentibus quodammodo venerationum colloquia miſcere. Sub axe enim nudo, & ſub ætherio tegmine invocati ſi fuerint, nihil audiunt: & niſi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obſtructi atque immobiles ſtabunt.

Hunc autem errorem rectè Apoſtolus ex creatione, indéque orto dominio in coelum & terram, refellit, nam, ut recentiores philoſophi optimè obſervant, præter exiſtentiam, ipſa Spiritualis eſſentia ſupremi Numinis, cum aliis ejus perfectionibus, non evidentiùs feliciúsque demonſtratur, quàm ex contingente exſiſtentiâ mundi, indéque ſequente ejusdem ab aliâ cauſâ productione. Quia enim productio, non ſine ideâ rei producendæ, voluntatíſque ad productionem determinatione, concipi poteſt; tum verò inprimis ad productionem rerum, quæ antea non erant, infinita potentia requiritur, hinc neceſſariò, cauſa, quæ mundum hunc, & quicquid in illo eſt, produxit, Spiritus, & quidem Spiritus infinitus eſſe debet. Uti autem Spiritus, ut res cogitans, loco includi non poteſt, ita multò minus Spiritus infinitus, cujus ipſa appellatio omnes fines, quibus circumſcribatur, penitùs excludit.

Accedit, quod, ſi Spiritus ille infinitus ante creationem nulli loco incluſus fuerit, pateat, illum non ſolùm ad nullum locum determinatum aut reſtrictum eſſe, ſed &, quòd cùm infinitum omne id, cujus capax eſt, actu poſſidere debeat, nullámque adeò mutationem ſubire queat, non magis deinde ulli loco includi poſſit, quàm antea fuit.

Dominium ejus in omnia idem confirmat, quin ſi certo loco incluſus eſſet, non utique omnibus aliis rebus præeſſe, earum curam gerere, illáſve regere atque gubernare poſſet. Hoc adeò manifeſtum eſt, ut nonnullæ gentes id ipſum agnoverint, nulláque templa admiſerint, quin & majeſtate Supremi Numinis illa indigna crediderint. De Veteribus PERSIS vaſtatiſque eam ab cauſam à Xerxe Græcorum templis, *quòd parietibus Deos includerent; quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quo-*

quorúmque hic mundus omnis templum eſſet & domus, res ex HERODOTO, CICERONE, STRABONE, notiſſima, vid. incomparabile TH. HYDII opus *de Relig. Vett. Perſ.* cap. III. & cap VIII. GERMANOS veteres quoque, *non cobibere parietibus Deos ex magnitudine cœleſtium arbitratos eſſe*, TACITUS *de morib. Germ.* cap. IX. auctor eſt. Similia de *Scytbis*, *Nomadibus* in Africâ, *Seribus* aliíſque alii tradunt. vid. FABRIC. *Bibl. Antiq.* cap. IX. §. X. Imò inter ipſas illas gentes, apud quas creberrimus templorum uſus obtinebat, non defuerunt, qui illis Numen includi apertè negarent, & ſecus ſentientium ſimplicitatem riderent, quin totum potiùs mundum ἱερὸν ἁγιώτατον καὶ θεοπρεπέστατον *templum ſanctiſſimum, divináque naturâ maximè dignum* dicerent, vid. quæ hanc in rem ex EURIPIDE & CLEMENT. ALEX. atque ORIGENE adduxit GROTIUS ad Act. VII. 48. ex PLUTARCHO autem & aliis CUDWORTH. *Syſt. Intell.* pag. 626. Hinc & LUCIANUS *de Sacrificiis* cap. XI. falſè ſcribit. Ἔπειτα δὲ ναοὺς ἐγείραντες, ἵν' αὐτοῖς μὴ ἄοικοι μηδὲ ἀνέστιοι δῆθεν ὦσιν κ. τ. λ. *Deinde templis excitatis, ne ſine domo, ſine foco, ſibi ſint Dii* cet.

X V.

Haud levem autem hîc ſupereſſe difficultatem video, quæ & aliis jam crucem fixit, ſed neſcio, an per omnia jam ſatis ſolidè ſoluta ſit. Scilicet objicere Athenienſes non ſine inſigni ſpecie Paulo potuiſſent, ipſos Judæos, quibus is oriundus, Deo auguſtiſſimum Hieroſolymis templum ſtruxiſſe, hoc ipſum *ædem* & *domum Dei* appellaſſe, crediſſe publicéque teſtatos eſſe, quòd Deus illic *babitet*, *inde* nonnunquam *ſe attollat* aut *diſcedat*, aut *eò* iterum *revertatur*; nec ipſos tantùm id faſſos eſſe, ſed libros eorum ſacros, & Deum, qui in illis toties loquens introducitur, idem fateri atque inculcare, illic ſe invocari, & arctiorem ſecum communionem coli voluiſſe, háncque ob cauſam univerſum populum, non ſolùm ſæpiùs, ſed minimùm ter in anno, ad ſolemnia ſacra eò adſcendere juſſiſſe. Verùm haud difficilis ad hæc eſt reſponſio, modo obſervetur, quòd licèt pro ſublimi atque improprio populorum orientalium, & inprimis Prophetarum ſtilo, locutiones Scripturæ videantur pro-

Digitized by Google

pè accedere ad illas, quibus gentes utebantur, longè tamen alius ſenſus longéque diverſa, tam Dei & Scriptorum Sacrorum, quàm Judæorum, de his fuerit ſententia.

1. Enim Deus diſertè ſimul teſtatur, ſe in æde manufacta minimè habitare, Jeſ. LXVI. 1. Idem agnoſcebant Judæi & Scriptores S. inculcabant. Ipſe Salomon in templi initiatione diſertè, ad præjudicium illud omnium animis ſtatim in initio evellendum, exclamabat 1 Reg. VIII. 27. *Nam verè Deus in terrâ habitabit? Ecce coeli & coeli coelorum non capiunt te, quantò minus hæc ædes, quam ego ſtruxi.* coll. 2. Chron. VI. 18.

2. Idem ex totâ doctrinâ Scripturæ ſacræ ſequebatur, hujus enim capitalis veritas eſt, Deum eſſe merum Spiritum corpore deſtitutum, nullóque adeò loco circumſcriptum, ſed potiùs in coelo & terrâ ubique præſentem. Pſ. CXXXIX. 7. ſeqq. Jer. XXIII. 24. Atque hæc conſtans Judæorum omni tempore Doctrina manſit, ut ex vetuſtiſſimis illorum commentatoribus patet, imò licèt recentiores plurima Doctrinæ Patrum dogmata corruperint, hoc tamen inter præcipua fidei capita retinuerunt. vid. eruditiſſ. SCHOETGENII *Hor. Hebr.* ad Joh. IV. 24. & JOH. à LENT. *Theol. Jud. Modern.* Cap. III. §. VIII. adde LEKACH TOV. ARTIC. III. Quòd ſi & ſtupidiores quidam inter ipſos, fortè in erroris gentium confiniis aliquando hærerent, illos prudentiores graviter ſemper retuderunt, ut ex Stephani Oratione patet. Act. VII. 48.

3. Accedit, quòd & nihil in templo habuerint, unde vel minimâ ratione tale quid conjici poſſet, cùm nulla illic Dei imago conſpiceretur, quod ipſum gentes minimè latebat, unde TACITUS Lib. V. Hiſt. cap. V. *Judæi mente ſolâ unúmque Numen intelligunt. Profanos, qui Deûm imagines, mortalibus materiis, in ſpeciem hominum effingant. Summum illud & æternum neque mutabile neque interiturum. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſunt.* & cap. IX. de templo Hieroſolymitano: *nullâ intus Deum effigie vacuam ſedem, & inania ſacra.* conf. DIO Lib. XXXVII. & commentat. ad FLOR. Lib. III. cap. V.

4. Eodem

4. Eodem referri poſſet, quòd Deus longè alias & ſublimiores rationes habuerit, cur non ſolùm ita locutus ſit, ſed & quondam ſibi templum erigi curaverit, illúdque viſibili præſentiæ ſuæ Symbolo dignatus ſit, ſcilicet ut magnam illam veritatem, antea velut in imagine depictam, daret, quòd aliquando filius ſuus humanam carnem induens, in terris manifeſtandus, & in Eccleſiâ tanquam Spirituali tabernaculo habitaturus ſit Joh. I. 14.

5. Nec negligendum, quòd ipſa illa umbratilis habitatio in Sanctuario nunc ſub N. Foedere etiam ceſſare deberet, cùm nullum amplius propriè dictum templum ullibi erigendum, ſed potiùs *coelum conſtitutum eſſet thronus Jehovæ & terra ſcabellum pedum ejus.* Quæ duo ultima argumenta, ab Athenienſibus quidem non intelligebantur, at nihilominus tamen à nobis meritò adferuntur, quoniam, ſi rem ipſam ſpectes, veriſſima ſunt, & pondus ſuum habent, quin &, ſi Athenienſes tales objectiones formaſſent, illis quoque facilè propiùs explicari potuiſſent. Atque hinc jam ultrò patet, quantum diſcrimen interceſſerit, inter id, quod apud gentes, ipſósque inprimis Athenienſes, & Judæos locum habebat, nam

1. Illi verè credebant Numen propriè in templis habitare, Judæi id planè negabant.
2. Illorum dogmata huic errori patrocinabantur, horum Doctrina illi penitus repugnabat.
3. Illi templo includebant ſimulacra Deorum, quibus opinio hæc maximè confirmabatur, in horum templo nihil tale inveniebatur.
4. Illi templorum, loco diſtinctorum, & à diverſis Diis inhabitatorum, multitudine, præjudicium hoc denuò corroborabant, Judæi non niſi unicum templum, Dei ubique præſentis, agnoſcebant.
5. Illi errori ſuo nihil Numine dignum obtendere poterant, hi ſufficientem rationem oſtendere, cur Deus ſub priori oeconomiâ, umbratilem inhabitationem ædis, ad ſublimius myſterium innuendum, locum habere voluerit.

 6. Illi

Digitized by Google

6. Illi morem illum conſtanter ſervabant, hos, etiam umbram priſtinam nunc ceſſare, Deus ipſe erudiverat.

X V I.

Sequitur alter error, quo Numen à cultu hominum utilitatem capere credebatur, quem Paulus

1. Negat com. 25. part. 1.
2., Argumentis refellit, quæ
   א. Breviter proponit com. 25. part. 2.
   ב. Propiùs urget comm. 26, 27, 28.

Error itaque ipſe erat, quod, *Numen utilitatem ex cultu hominum caperet.*

Θεραπεία quidem generatim omnem cultum Deo ab homine præſtitum innuit, vid. INTERPR. ALEXANDR. Jeſ. LIV. 17. unde & τὰς τῶν Θεῶν θεραπείας τε καὶ λειτουργίας DIODOR. SIC. Lib. I. cap. 21. memorat. Plerumque tamen *miniſterium* denotat, quod ſervi Domino præſtant, & quo eorum commodis invigilant. Ita θεραπεύειν adhibet idem DIODORUS Lib. II. cap. 20. *τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ τοῦ τε πλήθους καὶ τῶν ἀξιολογωτάτων ἀνδρῶν ὡς βασίλισσαν θεραπευόντων. Poſtridie cùm jam vulgus & proceres illi, ut reginæ, ad miniſteria præſto eſſent.* Unde non planè præter rem eſt, quòd *Cl. de* DIEU hanc ſignificationem, à quâ & ſervi θεράποντες appellari conſueverunt, hîc præfert, inprimis quia Apoſtolus non tam de rationali & ingenuo cultu, quàm externo, & quo quis ſe Numini prodeſſe cenſet, agit, unde eundem quoque ut *cultum manuum* deſcribit. Licèt enim, cùm manus ſint præcipua actionum humanarum inſtrumenta, ſæpiſſimè generatim, ut emblemata actionum quarumcunque, uſurpentur, præcipuè tamen ille cultus, qui in externis tantùm conſiſtit, & à quo cor abeſt, à manibus denominari ſolet, v. Jeſ. I. 12.

Atque ita ſanè cum cultu gentium plerumque comparatum erat, qui ferè totus corporis manuúmque operibus conſtabat, dum manus diligenter abluebant, thura focis dabant, aut victimas & liba offerebant, aut illas ad Deos ſuos elevabant, ut docet

Digitized by Google

docet Spanhem. in *hymn. in Delum* vſ. 107. conf. quæ ſupra monuimus Diſſert. XIII. aut viſo ſimulacro manum ori admoventes oſculum labiis premebant. vid. Minut. Fel. pag. 2. atque ib. *ommentat.* Sed de debitâ mentis diſpoſitione parum erant ſolliciti. Nihilominus tamen ſe talibus externis operibus optimè de Numine mereri credebant, quòd illud, ſive iſtiusmodi cultu, ſive perſonis illum exhibentibus, indigere exiſtimarent. Utroque enim ſenſu pronomen τινὸς accipi, & per ellipſin vocis ἀνθρώπου, aut πράγματος expleri poteſt.

Verbum προσδεῖσθαι autem, innuit indigentiam rei neceſſariæ aut gratæ, ſicque non tantùm defectum involvit, ſed & neceſſitatem alieni auxilii ad hunc defectum ſupplendum, unde προσδεὲς πολλῶν *multarum rerum indigus* appellatur Polluci Lib V Sect. 170. Ita quoque altero compoſito ἐνδεὲς utitur Lucianus *de Sacrificiis* cap. I. quando illos exagitat οἵγε οὕτω ταπεινὸν καὶ ἀγεννὲς τὸ θεῖον ὑπειλήφασιν, ὥστε εἶναι ἀνθρώπων ἐνδεές· *qui ita humilem, & illiberalem naturam divinam opinentur, ut hominum indiga ſit.* Sic igitur multi ethnici credebant, Numen cultu manuum, ſeu hominibus ipſis, ad cultum, indigere. Antiquus ſanè hic error eſt, imò ſi verum fateri velimus, omni tempore illorum, qui ex operibus juſtitiam quærebant, πρῶτον ψεῦδος fuit, ſive rem rotundis verbis profiterentur, ſive ſaltem actionibus ipſis ſignificarent. Ne nunc de Caino ipſo loquar, Jobi ætate certè illum viguiſſe ex Eliphazi æquè ac Elihu verbis manifeſtum eſt, quorum ille, Job. XXII. 2. *Num Deo proderit Vir, num prudens ipſi proderit? An voluptas ad Deum redit ſi juſtus ſis, vel an lucrum, ſi integras facias vias tuas?* Hic autem cap. XXXV. 7. *Si pecces, quid efficis illi, & multiplicatæ fuerint defectiones tuæ, quid facis illi? Si juſtus es, quid dabis illi, aut quid è manu tuâ accipiet.* Hinc non ſolùm, hac velut propoſitâ conditione, atque inito quaſi pacto, Numen in partes ſuas pertrahere, minus rectè intellectâ pii voti nuncupatione, quærebant, ſed & ad ſua de eodem benè merita audacter provocantes, ejus viciſſim opem atque auxilium ipſi extorquere non dubitabant,

unde

unde Chryses apud Homer. *Iliad.* ά vſ. 37. ſeqq.

Κλῦθί μοι ἀργυρότοξ' ὃς χρύσην ἀμφιβέβηκας
Κίλλαν τε ζαθέην Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις
Σμινθεῦ· εἴποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα
Ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ.

Audi me argenteum arcum gerens, qui Chryſan tueris,
Cillánque valde divinam, Tenedóque potenter imperas,
Smintheu: ſi quando tibi pulchrum templum coronavi,
Vel ſi quando pingues coxas tibi adolevi
Taurorum vel caprarum, hoc mihi perfice deſiderium.

Ad quem locum rectè monet Camerarius: *Forma communium precum. Quoties enim habent quaſi meritorum fiduciam, veluti debitam gratiam audacter repetere conſueverunt*, provocans inſuper ad vſ. 395. ut & ad illa Virgilii *Æneid.* IX. vſ. 406. ſeqq.

Si qua tuis unquam pro me Pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſa meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.
Hunc ſine me turbare globum. cet.

vid. ibi quoque Cerda, ut & Vet. Commentat. ad Horat. *Carm.* Lib. III. Od. XVIII. Nonnulli eò progrediebantur, ut ſi Numen votis non reſponderet, ipſi merita ſua externúmque cultum, non ſine indignatione exprobrarent, cujus infandæ audaciæ veſtigia in ipſo S. codice occurrunt, quando meritis operum turgidi, Jeſ. LVIII. com. 3. Deum in jus vocantes exclamant. *Quare jejunamus & non vides? affligimus animas noſtras & non vis cognoſcere?* Imò ne quid inſaniæ deeſſet, non defuerunt inter gentes, inprimis rudiores, quæ Deos ſuos, tum demum honore adficerent, quando beneficiis ſe ab illis mactatos credebant, contrà autem ubi id factum non eſſe arbitrabantur, eoſdem probris laceſſere, contumeliis adficere, ſimulacra ſtercore ſordibúſque inquinare non erubeſcebant, quod

quod non ſolùm de hyperboreis quibuſdam populis hodierni periegetæ narrant, ſed & de ipſis *Tyriis* jam refert DIODOR. SIC. Lib. XIII. cap. 108. ſcribens eos, *cùm ab Alexandro M. obſidione premerentur, Apollinis ſimulacrum contumeliâ adfeciſſe, quaſi pro hoſtibus pugnaret.* Et licèt non omnes gentes, multò minus politiores & religioſiores Athenienſes, eò vecordiæ delaberentur, ex communi tamen illo errore, quòd Numen cultu indigeret, omnia hæc pullularunt. Quem errorem Paulus idcircò ſummo jure redarguit, cùm nihil eo ineptius & in ipſam Dei, ut Entis ſummè perfecti, ideam apertiùs incurrens, imò illam magis evertens, excogitari queat. Perfectiſſimo enim & beatiſſimo uti nihil planè deeſſe, nihilque adeò, quo carebat, aliunde accedere poteſt, ita contra, quicquid aliâ re indiget, illud eo ipſo, in ſe perfectum beatúmque non eſſe, patet. Hinc non ELIPHASUS tantùm atque ELIHU locis adductis, fortè non ex ſolo rationis lumine, ſed & Doctrinæ patriarchalis adminiculo, verùm etiam prudentiores ex ipſis gentibus id agnoverunt, errorémque hîc profligatum exploſerunt. Inſignis locus EURIPIDIS in *Hercule Furente* vſ. 1345. eſt, quem ad h. l. GROTIUS adduxit, cui plura alia junxit PRICÆUS. Ego hîc tantùm addo non minùs notabilem LUCIANI, vel quicunque *Philopatridis* Auctor ſit cap. IX. in init. ubi TRIEPHON ait: Τυτί μ' ἐλάνθανέ ποτε τὸ καλὸν, ὡς ἀνθρώπων Θεοῖ ἐνδεεῖς εἰσι: *Fugit me igitur tam egregia res, quòd hominibus Dii opus habent.* Inprimis huc ſpectant maximè memoranda ipſius LUCIANI *de Sacrific.* verba cap. I. II. & III. ſed quæ quia aliis quoque tacta ſunt, hîc adducere ſuperſedeo. Omnium autem minimè Deus externo manuum cultu indiget, utpote qui nec carnem taurorum comedit, nec ſanguinem hircorum bibit, nec reliquis illis corporis exercitiis honoratur, ſed convenienter ſpirituali ſuæ eſſentiæ, cor præcipuè reſpicit, & in ſpiritu coli debet, ut non ſolùm Scriptura Sacra ubique inculcat Pſ. XL. 7, 8. L. 8—13. Jeſ. I. 11. ſeqq. Jer. VI. 20. Amos V. 22. Joh. IV. 24. Sed & prudentioribus gentium perſuaſum fuit, quo facit tritum illud Catonis:

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit purâ mente colendus.

X V I I.

Confirmat Apoſtolus hoc aſſertum generatim, pergens: αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα.

Pronomen αὐτὸς in tali conſtructione, inprimis cum part. δὲ ſingularis emphaſeos eſt. Sic DIOGENES apud LUCIAN. *Dial. Mort.* XVI. cap. 5. Διογένους ὁ Σινωπέως εἴδωλον. αὐτὸς δὲ οὐ μὰ Δία μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν, ἀλλὰ τοῖς βελτίστοις νεκρῶν σύνειμι.

Objecta beneficii hîc commemorati innuuntur voce πᾶσι, quam *Cl.* SCHARBAU *Miſcell. Lipſ.* T. V. p. 169. ſeqq. quidem pro *neutro plur.* habet, & *de omnibus ſine diſcrimine creaturis* accipit. Verùm cùm Paulus commate immediatè præcedente, de *hominibus* locutus eſſet, & de iisdem in ſeqq. quoque ſermonem continuet, non videtur hîc loci quoque vocabulum latiùs extendi debere. Ut adeò rectiùs pro *plurali maſcul.* habeatur, idémque elliptica hæc locutio dicat cum illâ quæ com. 30. plenè τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι profertur.

Id, quod Deus his omnibus largitur, eſt ζωὴ καὶ πνοή. Ubi in vocum harum conjunctione in tranſitu non inelegantem paronomaſiam obſervamus, quæ Scriptoribus Sacris minimè infrequens eſt, ut docet *Cl.* VITRINGA in Prolegom. Comment. in Jeſaiam præmiſſis.

Ceterùm idem *Cl.* SCHARBAU per ζωὴν hîc *vitam animalium*, per πνοὴν *reſpirationem plantarum* intelligit, ſed dubito an & in hac ſententiâ multorum calculum laturus ſit, cùm, ut bene jam monuit R. WOLFIUS, non facilè locus adferri queat, ubi vox græca eo ſenſu uſurpata ſit. Quin imò, licèt recentiores Philoſophi hanc plantis reſpirationem tribuant, vid. Scriptores WOLFIO laudati, nihil tamen de illâ, quantum conſtat, antiquioribus cognitum fuit, imò ipſi recentiores longè alio ſenſu vocem de plantis adhibent, quàm quo illa rebus animatis tribuitur. Præcipuè autem tota hypotheſis, ex eo, quod modo monuimus, corruit, ſcil. quòd hîc non de aliis creaturis,

ſed

Digitized by Google

ſed ſolis hominibus agatur. Uti autem ζωὴ aliquando vitam hominis generatim denotat, & inprimis nonnunquam πνοὴ ζωῆς *halitus vitæ* memoratur, ut apud *Interpr. Alex.* Gen. II. 7. & VII. 22. ita GROTIUS & PRICÆUS, nec non GATACKER. *Miſcell.* Lib. II. cap. III. & hîc duas has voces, per hendiadyn, eodem modo accipiendas eſſe exiſtimant. Quod ratione quidem non caret, interim tamen, ſi quis eas diſtinguere velit, non incommodè ζωὴ pro *vitâ animæ*, quæ in actuoſitate ex intrinſeco principio conſiſtit, & κατ' ἐξοχὴν ſæpe *vitæ* nomine venit, πνοὴ autem de *vitâ corporis*, quæ in reſpiratione, & cum illâ conjuncto ſanguinis & Spirituum animalium motu, ſita eſt, accipi poteſt. Hoc ſenſu Job. XXVII. 3. apud *Interpr. Alex.* dicitur ἡ πνοὴ ἡ οὖσα ἐν μοὶ ἔτι τῆς πνοῆς μου ἐνούσης, & Plato eandem ἀναπνοὴν & ἐκπνοὴν vocat, vid. POLLUX *Onomaſt.* Lib. II. num. 77. atque ibi not. JUNGERM. Vel ſi quis voces ad vitam totius hominis referre malit, ζωὴ potiſſimùm ad vitæ πρῶτον δεκτικὸν (ut WOLFIUS loquitur) πνοὴ ad ejus continuandæ medium, externúmque ſignum, referri poterit.

Jungit autem Paulus vitæ & halitui, *omnia*, καὶ τὰ πάντα. Ubi non moror STEPHANUM & MILLIUM, qui κατὰ πάντα legunt, cùm illos dudum refutaverint Scriptores WOLFIO ad h. l. laudati. Per *omnia* autem *hæc* non tantùm intelliguntur, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, quæque Paulus ad hæc duo, διατροφὰς καὶ σκεπάσματα *alimenta & tegumenta*, refert 1 Tim. VI. 8. ſed & quæcunque eidem concordè tranſigendæ inſerviunt, ſeu quicquid homo inſuper poſſidet. Hæc omnia æquè ac vitam & halitum, Paulo teſte, Deus largitur. Et ſanè, cùm quicquid ſit, cauſam tam primæ quàm continuatæ exiſtentiæ, vel in ſe vel extra ſe habere debeat, nos autem per intimam conſcientiam convincamur, cauſam hanc in nobis non eſſe, neceſſariò agnoſcere cogimur, extra nos eandem quæri debere, inveniri autem non poſſe, niſi in ente tantæ potentiæ, ut nobis æquè ac aliis hominibus, vitam & halitum concedere, ulteriúsque conſervare queat. Ita quoque cum omnibus, quæ poſſidemus, comparatum eſſe, ultrò manifeſtum evadet, quamprimum cogitamus, omnes illas res quoque nec à ſe ipſis, nec à nobis eſſe, ſed eadem potentiſſi-

mâ cauſâ indigere. Inprimis autem ſi nobis porrò ad animum revocemus, quàm clarè quotidianus harum rerum proventus, & inter tot viciſſitudines conſervatio; æquè ac diverſiſſimæ viæ, quibus illarum, ſæpe præter omnem exſpectationem, aut laborem compotes evadimus, contrà omni adhibito ſtudio ſæpe quoque nihil acquirimus, & certiſſimè adfulgente ſpe excidimus, occultæ cujusdam providentiæ gubernationem arguat. Hinc non tantùm Scriptura Sacra hanc doctrinam omnibus paginis inculcat, ſed & prudentiores gentium philoſophi eandem ultrò ſtabiliunt. vid. quæ hanc in rem doctè congeſſit Pricæus ad h. l. Multi tamen eorum & hanc operam inter Numina ſua diſpeſcebant, & non Dianam tantùm vitæ, ſed &, ſingulorum ejus commodorum, plures Deos auctores, ſtatuebant, quos idcircò hîc ab Apoſtolo refutari non abſque omni ratione *Cl.* Adami cenſet. Interim tamen nos inprimis iterum Epicureos & Stoicos tangi arbitramur, quorum hi immutabili fato motúsque legibus, illi fortuito caſui eadem adſcribebant. Emphaticè autem Apoſtolus, in hoc negotio, voce διδὺς utitur, quia Deus hæc omnia ut liberrima, & ex gratuitâ liberalitate profecta dona, præter omne meritum, & omnem inde exſpectatam mercedem, largitur. Quo ipſo denuò manifeſtum evadit, quòd, ſi Deus homini vitam halitum & omnia largiatur, hic nihil habeat niſi à Deo, eíque adeò nihil dare poſſit, quo ipſe indigeat, neque adeò Deus, ut ullius indigus, ab hominis manibus coli queat.

X V I I I.

Generalius autem illud argumentum, nunc Paulus propiùs urget aliis, iíſque tam artificialibus, comm. 26, 27, 28. p. 1. quàm inartificiali com. 28. part. 2. Illorum prius ſuggerit communis totius humani generis ex uno ſanguine à Deo origo, ſingularíſque providentiæ divinæ circa illud diſpenſatio com. 26. Ἐποίησέτε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κ. τ. λ.

Vox ἔθνος non minus ac latinum *gens*, haud rarò quidem de uno quodam populo uſurpatur, quo ſenſu ἔθνη ὅλα μακροβιώτατα Luciano in *Macrob.* c. 5. & Homero Λυκίων μέγα ἔθνος &

& ἔθνος Ἀχαιῶν, memorantur. Hîc autem potiùs *univerſam hominum multitudinem ſeu totam univerſitatem generis humani innuit.* Eodem ſenſu HORATIO *gens humana* Carm. Lib. I. Od. 3. dicitur, conferatur &, *priſca gens mortalium* Epod. II. Hanc autem univerſam hominum gentem Paulus aſſerit *ex uno ſanguine* factam eſſe. αἷμα ſeu *ſanguis* non ſolùm ſacris, ſed & profanis Scriptoribus ſæpe pro *ſemine* uſurpatur. vid. GATACK. & ELSNERUS, WOLFIO ad h. l. laudati. Sic loco γόνυ PORPHYRII, LUCIANUS in *Vit. Auct.* cap. 6. habet αἷμα, & *Cel.* GESNERUS in not. dubitat, an loco αἵματος LUCIANO σπέρμα dandum, an verò αἷμα dicendum ſit, pro *genitura* poni, inprimis cùm *conſanguineus* & *ſanguis meus* pro *filio*, & ſimilia in uſu ſint. Ita & OVID. *Met.* Lib. XIII. 705.

Inde recordati, Teucros à SANGUINE *Teucri*
Ducere principium.

& *Triſt.* Lib. III. vſ. 73.

Arbiter armorum, de cujus SANGUINE *natus,*
Credor.

conf. & *ex Pont.* Ep. II. 18.

Ita autem totum humanum genus ex uno ſanguine per generationem deſcendere communíſque adeò originis eſſe ipſa experientia clamat. Uti enim quotidie videmus, per conjunctionem maris & fœminæ, ex uno plures naſci, novásque familias ex communi ſtirpe, aliis iterum intereuntibus, oriri, háncque omni tempore obtinuiſſe rationem certum eſt, ita neceſſariò concludi debet, quoniam non datur progreſſus in infinitum, à primo aliquo pari propagationis hujus initium factum eſſe. Cujus modum ſacra ſcriptura quidem clariùs certiúſque tradit, interim ejusdem tamen etiam quædam obſcurior notitia ad gentes manavit, ut ex notiſſimâ fabulâ de primo homine à PROMETHEO formato, apud OVID. *Met.* Lib. I. v. 82. patet. Non deſunt autem Viri Docti, qui hoc Athenienſium, ſemet αὐτόχθονας & γηγενεῖς jactantium, faſtui oppoſitum cenſent.

ſent. Verùm licèt indubium ſit, illos ſibi hunc titulum arrogaſſe, eodémque etiam ab aliis celebratos eſſe, ut poſt Meursium, *de fortunâ Athenienſ.* docet Barnes. ad *Eurip. Jon.* vſ. 29. 651. & *Erecht.* vſ. 71. nec non *Celeb.* Wesseling ad Diod. Sic. Lib. I. cap. IX. quin & nonnulli fortè ex rudiori plebeculâ titulum hunc ita accipere potuerint, ut ſe ex terrâ prognatos crederent, vix tamen hodiè quis ſupereſt, qui dubitet, illum nihil aliud dicere, quàm, quòd non ex aliis regionibus in ſuas delati, easdémve, more multorum aliorum populorum, non ita pridem invaſerint, ſed jam inde ab antiquiſſimis temporibus incoluerint. Quo ſenſu Diod. Sic. Lib. III. cap. II. vocem egregiè explicat: ὅτι μὲν γὰρ ἐπήλυδες ἐλθόντες, ἀλλ' ἐγγενεῖς ὄντες τῆς χώρας, δικαίως αὐτόχθονες ὀνομάζονται. *Nam indigenas eſſe non advenas, ideóque meritò* Autochtones *nominari.* Potiùs itaque obſervamus, Paulum, ſupremam hujus productionis humani generis cauſam, ad Deum referre, qui *fecerit ex uno ſanguine* cet. ídque ſummo jure. Quoniam enim modo vidimus, nos retronumerando neceſſariò ad primum aliquod par, unde generatio initium ſumſerit, devenire debere, ultrò inde ſequitur, quòd, cùm illud hac ratione naſci non potuerit, neceſſariò ab ente quodam potentiſſimo creatum eſſe debeat. Adde, quòd, cùm ipſa propagatio, ita ſe habeat, ut ejus modus, ne Parentibus quidem cognitus ſit, & effectus ſæpe ipſis volentibus non ſequatur, & contrà nolentibus atque invitis haud raró exſiſtat, nonnunquam & proles cum adhærentibus vitiis, ad maximam illorum ægritudinem, naſcatur, propagatio hæc Parentes ipſos propriè Auctores habere nequeat; tum quoque omnia, quæ in illâ concurrunt, maximam ſapientiam atque potentiam arguant. Unde nihil remanet, quàm ut illam quoque cauſæ ſapientiſſimæ atque potentiſſimæ tribuamus. Quod ipſum revelatio idcircò toties inculcat Jeſ. XLI. 4. coll. Gen. I. 26. ſeqq. Nec mirum; cùm licèt, & hac de re aliquid gentibus, ſive per legitimum ratiocinium, ſive ex antiquâ παραδόσει ſuboluerit, non ſolùm tamen admodum fluctuaverint, ut patet ex illis Ovidii *Met.* Lib. I.

——— *Sive*

—— *Sive hunc divino ſemine fecit,*
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

ſed & quæ SENECA aliíque ſaniora nonnunquam protulerunt, toti tamen, quod ſibi formarunt, doctrinæ ſyſtemati minus conveniant. Imo vix ullum argumentum eſſe videtur, in quo plerique omnes ethnici longiùs magíſque diverſis viis à vero receſſerint. Non moror impudentiſſimum PHILOPATRIDIS auctorem, qui cap. XIII. & XVII. productionem humani generis à Deo, ne minimâ quidem additâ ratione, exſibilare non erubeſcit, ſed & acutiſſimi philoſophi, hîc graviſſimè hallucinati ſunt, dum cum Anaximandro eam ex calefactâ terrâ & aquâ deducere, annifi ſunt, aut cum PLATONE immortales animas à ſummo Numine conditas, corporum autem conſtructionem Diis junioribus commiſſam, ſtatuerunt, aut aliâ ratione in cauſis ſecundis hæſerunt. Videantur ſcriptores laudati MOSHEM. ad CUDWORTH. p. 833. & WESSELING. ad DIOD. SIC. Lib. I. Inprimis autem EPICUREI iterum *temerariæ* & *fortuitæ atomorum commotioni*, STOICI verò *naturæ*, & *neceſſariis fati legibus*, hoc ſtupendæ penitus ſapientiæ atque infinitæ potentiæ opus tribuere non dubitarunt, (vid. *S. Rever.* MOSHEM. *ad* CUDWORTH. *Syſt. Int.* p. 824. ſeq. coll. 816. & *erud.* BRUCKER. *Hiſt. Philoſ. Crit.* T. I. 948. & 1271.) quibus adeò Paulus hæc quoque oppoſuiſſe, meritò cenſetur. Ceterùm uti ex his verbis Apoſtoli corruit ineptum *Præadamitarum* commentum, vid. VORST. de *Ebraiſm.* N. T. P. I. cap. XIII. ita minus feliciter nonnulli illis Epicuri de pluralitate mundorum ſententiam refutari exiſtimant, nec majori jure alii iisdem ad refellendum dogma, de planetis à creaturis rationalibus inhabitatis, utuntur. Licèt enim illa Epicuri ſententia, ſiquidem verè hæc ejus mens ſit, quæ illi vulgò tribuitur, & non potiùs idem cum illis dicere voluerit, qui Planetas habitatos ſtatuunt, inepta & ἀφιλόσοφος ſit, non magis tamen quàm horum aſſertum, Pauli verbis repugnat, quia is disertè non de omnibus generatim creaturis rationalibus, in quibuscunque totius univerſi partibus, ſed ſigillatim de hominum gen-

gente, in ſuperficie terræ noſtræ habitante loquitur, dicens: ἐποίησε - - πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν πρόσωπον τῆς γῆς.

Locutio, πᾶν πρόσωπον τῆς γῆς, clariſſimè hebraiſmum redolet. Etſi enim phraſis τὸ πρόσωπον τῆς γῆς etiam græcè uſurpari poteſt, quemadmodum & Latinis *facies*, *vultus*, *natura*, *maris* cet. & græcis cœlum πολυπρόσωπον dicitur, monente Pfochenio *de Ling. gr. purit.* §. 113. id tamen ad ſummum tantùm obtinet, quando ipſa externa forma ejus exprimitur, ut Matth. XVI. 3. τὸ πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ. Verùm in talibus locutionibus, qualis hîc occurrit, vox πρόσωπον planè redundat, & ἐπὶ πᾶν πρόσωπον τῆς γῆς, nihil aliud denotat, quàm ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, cujus pleonaſmi exemplum vix quisquam ex ſcriptoribus profanis oſtendit. Hebræis autem & Chaldæis locutio hæc על כל פני הארץ & על כל אפי ארעא frequentiſſima eſt, conf. Vorst. loc. add. Olear. *de Styl. N. T.* in *Synt. Rhenſ.* p. 82. & Glass. Lib. III. Tract. I. c. 28.

Ad integram phraſin, ἐποίησε - - κατοικεῖν, quod attinet, Vorstius, loco adducto, mavult verbum ἐποίησε conjungere cum verbo κατοικεῖν, quàm cum vocibus πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, redderéque adeò, *fecit, ut omnis gens hominum habitet*, verùm, utrumque ratio Syntaxeos permittit, imò ipſe vocum ordo poſteriori magis favere, ménsque Apoſtoli eſſe videtur, *fecit omnem gentem hominum, ut habitet*, cet. Et ſanè hic ſcopus Dei in condendo humano genere fuit. Hinc non ſolùm terram, & quæ in illâ ſunt, in hominis uſum condidit, ſed & illâ jam paratâ atque exornatâ, hominem demum creavit, inque illam introduxit, quin & dominium in eandem ipſi tradidit, unde Jeſ. XLV. 18. *non vacuam illam creavit, ad inhabitandum formavit illam.* Deinde eadem intentione, humanum genus *ex uno ſanguine fecit*, ipſa enim illa ſucceſſiva hominum multiplicatio ex uno ſanguine, quam divina ſapientia introduxit, & occulta providentia diſpenſat, eò ultrò duxit, ut illud ſemper ſe ulterius extendere cogeretur, ſicque tractu temporis totum tandem terrarum orbem occuparet, unde Usserius *Annal.* Lib. I. non ineptè exiſtimat, peccatum illorum, qui turrim babylonicam ſtruebant, in eo præcipuè conſti-

ſtitiſſe, quòd huic conſilio Dei reluctari, & prædictam à Noacho diſperſionem eludere quærerent.

X I X.

Novum eximiúmque providentiæ divinæ ſpecimen exhibet Paulus, quando addit: ὁρίσας προτεταγμένους καιρὸς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν.

Ad priorem phraſin obſervat *Ill.* Grotius: *Magnâ quadam providentiâ curavit, ut ubi gens aliqua cœpiſſet exundare, terræ ei novæ pateſcerent, nemine probibente.* Verum id, ſi quid video, potiùs pertinet ad alterum, *conſtitutos nempe terminos babitationis ipſorum.*

Sunt qui vocem καιροὺς de ſtatutis anni temporibus accipiunt. Et ſanè tam nomen καιρὸς quàm verbum ὁρίζειν ad illa ſatis quadrat. Ita Diod. Sic. Lib. I. cap. XLI. aſſerit, *in partibus Indiæ ad boream converſis grandinem, magnitudine & copiâ incredibili, ὡρισμένοις καιροῖς certis* (anni) *temporibus, ſe præcipitare.* Neque à re ipſâ, & argumento Apoſtoli ſignificatio hæc abludit, quia utique & hæc ſtatuta tempora Deus, & quidem in hominum commodum, definivit. Interim nexus verborum cum ſequentibus, quo *de determinatis temporis & fixis limitibus babitationis* HOMINUM agitur, efficit, ut cum pleriſque Interpretibus nos quoque de tempore, quod ad homines ipſos propriorem relationem habet, præcipuè cogitemus. Quò facit maximè, tempus ſeu *ſpatium vitæ* uniuscujusque, quo ſenſu profanos Scriptores hac voce quoque uti docet Raphelius in not. ex Polybio. Deinde καιρὸς etiam ſæpe græcis *opportunitatem temporis*, ſeu *tempus opportunum*, denotat, quo ſenſu πρὸς καιρὸν vel πρὸς τὸν καιρὸν λέγειν eſt, *commodè, atque ut temporis ratio poſtulat, dicere*, & κατὰ καιρὸν fieri dicitur, *quod fit ſtatuto, opportuno tempore*, ut docet *Celeb.* Hemsterhus. ad Lucian. *Dial. Mort.* IV. cap. I. & *Hermotim.* cap. 10. ita quoque καιρὸν εὐλαβούμενος Euripidi in *Oreſte* vſ. 698. eſt, *qui opportunum tempus obſervat.* Atque hinc ſimul commoditates atque opportunitates temporis, quæ alicui in hac vitâ obveniunt, involvi poſſunt. Hæc tempora dicun-

 tur

tur Paulo Καιροὶ προτεταγμένοι. Ita enim legendum, non, ut nonnulli codices habent, προστεταγμένοι, prius enim optimè convenit verbo ὁρίζειν & plurimorum optimorúmque Mſc. auctoritate firmatur, v. *Excellent.* Mastrichtius noſter. Sunt igitur dies vitæ cujuscunque hominis ante ordinati, unde de homine Job. XIV. 5. חרוצים ימיו *deciſi ſunt dies ejus.* Nec minus fixæ ſunt temporum opportunitates, ut fuſè inculcat Ecclesiastes cap. III. com. 1. ſeqq. Hujus autem ante factæ determinationis cauſam & Auctorem mox ſimul deſtinctius indigitat Apoſtolus aſſerens ὁρίσας προτεταγμένους καιρούς.

'Ορίζειν cum ſit *terminis* & *limitibus aliquid deſcribere*, ad tempus tranſlatum ejus certam atque immutabilem conſtitutionem innuit. Sic. Diod. Sic. Lib. I. cap. XLI. docet *in partibus Indiæ ad boream converſis grandinem magnitudine & copiâ incredibili* ὡρισμένοις καιροῖς *certis* (ſtatutis anni) *temporibus ſe præcipitare.* & Lib. XVI. cap. XXIX. *Thebanos Lacedæmoniis condemnatis, & mulctam* κατὰ τὸν ὡρισμένον ἐκ τῶν νόμων καιρὸν *tempore legibus præſtituto non ſolventibus novam actionem intentaſſe.* De tempore vitæ nonnunquam æquè ac præcedens προστάττειν uſurpari, poſt Pricæum docuit Raphelius not. ex Polyb. & Arrian. ad h. l. Emphaticè igitur Deus dicitur ante ordinata tempora definiviſſe, quia ipſe vitæ uniuscujusque ſpatium in æterno conſilio conſtituit, ut non ſolùm ſcriptura ſacra paſſim Job. XIV. 5 ſeqq. Pſalm. XXXIX. 5. 6. & CXXXIX. 16. ſeqq. ſed & ratio ipſa docet. Uti enim Deus vi omniſcientiæ id ſcire debuit, ità cùm pertineat ad res contingentes, ſcire non potuit, niſi ex liberâ voluntatis determinatione, aut, quod idem eſt, ex illo rerum nexu, vel mundi Syſtemate, quod ipſe nunc præ omnibus aliis, pro libertate & ſapientiâ ſuâ, elegit. Adde quòd, cùm homo, quamdiu eſt, per Deum ſit, & ab ipſo Deo conſervetur, Deus ceteroquin proprii operis antea ignarus fuiſſet, nec certum circa illud & humani generis gubernationem conſilium capere potuiſſet; ut taceam, eum quorundam vitæ terminum antea quoque diſertè indicaſſe. Ut adeò hæc etiam Paulus ſummo jure opponat tam Epicureis, vitæ, ut ortum, ita & finem, *caſui*, quàm Stoicis eundem immutabili

li *fato*, cui ipſum Jovem ſubjiciebant, tribuentibus, unde SENECA Epiſt. 101. *Stat terminus, ubi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit.* Licèt enim negari non poſſit, SENECAM æquè ac alios quosdam Sectæ Stoicæ philoſophos, nonnunquam ſic locutos eſſe, ut videantur, per fatum, *immutabile Dei decretum*, intellexiſſe, vid. BARTH. *Adverſ.* Lib. XXXIII. Cap. XIII. alibi tamen ita ſermonem inſtituunt, ut, ſi non hæc aut illa dicta ſeorſim ſpectentur, ſed totum ipſorum Syſtema, quod in univerſâ Stoicorum doctrinâ rectè intelligendâ, ante omnia neceſſarium eſſe, dudum Viri Docti monuerunt, manifeſtum ſit, eos Deum non planè ab omni neceſſitate & coactione, ex materiâ ipſâ & rerum ordine proſiliente, in figendo fato, liberare, v. BRUCKER. p. 930. Unde & *Celeb.* ZIMMERMANNUS, qui, in *Muſeo Bremenſi* T. I. STOICORUM ſententiam de *fato* & *providentiâ*, à multis incommodis invidioſè illi tributis eruditiſſimè feliciſſiméque vindicavit, meritò tamen, pro eo, quo pollet candore, fatetur, illos *in hac materiâ, non per omnia rectè ſenſiſſe, ſed aliquando incautius, quàm par erat, locutos eſſe.* In tranſitu quoque ex his Pauli verbis, patet quàm malè rationes inſtituant, qui hominem hunc ſibi conſtitutum terminum anticipare poſſe, contendunt; cum ſi id in relatione ad Dei decretum dicatur, id utique eo ipſo irritum reddatur. Eadem quæ temporis vitæ à Deo definiti, opportunitatum quoque & cum illis conjunctarum viciſſitudinum, ratio eſt. v. Dan. II. 21. coll. Eccleſ. III. 11, 14. ſeqq. Idem agnoſcit, ſed Diis ſuis tributum M. ANTONINUS Lib. II. §. 4. Μέμνησο ἐκ πόσου ταῦτα ἀναβάλῃ, καὶ ὁποσάκις προθεσμίαν λαβὼν, παρὰ τῶν θεῶν, οὐ χρᾷ αὐταῖς. *Memento quamdiu illa diſtuleris, & quoties opportunitates nactus à Diis, illis uſus non ſis.*

Jungit Paulus καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν.

Cl. de DIEU hæc quidem præeunte ÆTHIOPE ad limites uniuscujusque vitæ poſitos etiam refert, quia κατοικεῖν *Græcis*, ut ישב *Hebræis* haud rarò durationem denotat. Verùm uti dubito, an κατοικία de duratione & ſpatio ipſo vitæ facilè uſurpetur, ita hoc pacto quoque idem bis diceretur. Quare locutionem, de limitibus regionum ab integris populis, aut ter-

Digitized by Google

ræ à ſingulis quoque hominibus occupatæ & inhabitatæ accipere malo, quod & ordinario vocis ὅρος uſui optimè convenit, conf. ÆLIAN. Lib. IV. cap. VII. ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ νεκρὸν αὐτοῦ ἐξέβαλον ἐκτὸς τῶν ὅρων. *ſed & cadaver ejus extra fines ejecerunt.* Reſpondet igitur vox ὁροθεσία, τοῖς καιροῖς προτεταγμένοις, cùm quod in temporibus τὸ προτεταγμένον dicit, id in *terminis* ſeu *finibus* vox θέσις aut, pro flexione hîc adhibitâ, θεσία innuat, ſcilicet *terminorum habitationis hominum* CONSTITUTIONEM, quo etiam facit plurale neutrum τὰ ὁροθέσια, quod ſecundùm HESYCHIUM eſſe τὰ χωρίζοντα τὴν γῆν, paſſim jam obſervatum eſt. Atque hinc non tantùm non inelegans paronomaſia eſt in vocibus ὁρίσας ὁροθεσίας, ſed & verbum ὁρίζειν huc quoque egregiè quadrat, utpote quod græcis etiam de antè facta locorum conſtitutione aut determinatione adhiberi ſolet HEROD. Lib. VI. cap. 5. καὶ τόπος ὥριστο εἰς ὃν καὶ ὅποι συνελθεῖν ἔδει. *& locus præſtitutus eſt, in quem, & ubi convenire oporteret.*

Quòd ſi quis attendat, quâ ratione non ſolùm per ipſam illam, Deo diſpenſante, ut vidimus, factam, ſucceſſivam terræ occupationem, integris populis ſuæ regiones ceſſerint, ſed & illæ ſæpe non ſine præſentiſſimo ejus Numine, per motus bellicos, aut alias occaſiones, ampliatæ, coarctatæ aut mutatæ fuerint, tum verò quo pacto, evidentiſſimis ſingularis providentiæ ſignis, privati ſæpe in alias, eáſque remotiſſimas oras deducantur, illícque loca habitationis iiſdem aſſignentur, næ is ultrò fateri cogetur, terminos habitationis, tam integrorum populorum quàm privatorum hominum, ab illo, qui, ſecundùm æternum conſilium, res humanas prudenter gubernat, conſtitutos eſſe. Quod adeò Moſes meritò Iſraëli inculcat Deut. XXXII. 8. *cum hæreditatem concederet altiſſimus gentibus, cùm diſſiparet filios hominis, ſtatuit limites populis, ſecundùm numerum filiorum Iſraëlis*, multíſque non ſolùm exemplis, tam migrationis populorum, & fatorum Iſraëlis, quàm Abrahami, & filiorum ejus, ſi id nunc ageremus, illuſtrari poſſet, ſed & ipſis gentibus non planè ignotum fuit, vid. inſignis ARRIANI in *Epictetum* locus RAPHELIO ad hæc verba obſervatus.

Tan-

Tantùm ſubjungo, quòd uti hoc æquè ac præcedens EPICURI & STOICORUM iterum hypotheſibus repugnat, ita utrumque confirmandæ theſi Apoſtoli com. 25. egregiè inſerviat. Si enim Deus ipſe univerſum hominum genus fecit, antea ſine illo jam ſibi ſufficiens fuit, ejúsque adeò indigus non eſt. Idem teſtatus eſt, dum eos ſucceſſivè ex uno ſanguine fecit, cùm ſi illis eorúmve cultu indiguiſſet, ſine dubio omnes, aut ſaltem plures ſimul condidiſſet. Quòd ſi & tempus vitæ iisdem ſimul fixit, eo ipſo docuit, ſe illis eorúmque cultu ſine incommodo iterum carere poſſe. Denique ſi per univerſum terrarum orbem illos, aſſignatis habitationum terminis, diſtribuit, palam fecit, ſe nulli hujus illiusve loci templo manufacto, ut gentes de Diis ſuis credebant, incluſum eſſe, ſed ut ubique præſentem ſpiritum, toti univerſo præſidere, omnibúsque potius mortalibus ſua fata ſuáque commoda diſpenſare.

X X.

Alterum Apoſtoli argumentum, deſumtum eſt à ſcopo Deo digno, quem ipſe contrà in his intendit, qui proponitur com. 27. p. 1. & propiùs confirmatur p. 2. & com. 28. p. 1.

Scopus eſt ζητεῖν τὸν Κύριον. Per Κύριον MONENIUS quidem, Servatorem intelligi exiſtimat, verùm ob eadem argumenta, quæ ſupra ad com. 23 & 24. attulimus, rectiùs cenſemus, hîc quoque generatim verum Deum, cœlíque & terræ Dominum innui, qui & ſæpiſſimè in ſacris eodem nomine venit. Huic autem abſolutè *Domini* titulum, ob jus quod vi creationis & conſervationis in omnia habet, competere, ex illis, quæ com. XIV. monita ſunt, patet. Ita quoque ſolebant gentes Diis ſuis *Dominorum*, & Deabus *Dominarum*, nomen dare. *Regnat & in Dominos jus habet ille Deos*, OVID. Epiſt. IV. v. 12. vid. ib. HEINS. ut & BROEKHUS. *ad* PROPERT. Lib. II. Eleg. IV. vſ. 17. Græci autem in hoc argumento magis Δεσπότȣ quàm Κυρίου nomine utebantur, ſed Paulus non immeritò poſterius præfert, tum quia id in verſione V. T. loco nominis JEHOVA, frequentiſſimum, tum quia & ex uſu lin-

Digitized by Google

guæ græcæ his circumſtantiis maximè accommodatum erat. Præcipuè enim & plerumque græcis adhiberi ſolet de *domino* & *hero*, non tam in relatione ad ſervos, quàm ad ingenuos, ut de *Patre*, *tutore* cet. v. *Ill.* SPANHEM. de *Præſtant.* & *Uſu Numiſm.* Vol. II. p. 484. Quod egregiè huc quadrat, cùm Deus hîc repræſentetur, ut qui ſe non *ἀμάρτυρον* hominibus reliquit, & ab illis *non procul* exiſtens, ab iisdem *quæri* vult atque *inveniri*.

Τὸ *quærere Dominum*, uti ſupponit abalienationem illam hominis à Deo, quæ ex peccato orta eſt, ita involvit omne ſtudium omnémque operam, quam homo adhibet, ut poſtliminiò ad Deum revertatur, ejúsque communione hîc in gratiâ & æternùm in gloriâ fruatur, quo pertinent omnia officia cultûs rationali, quæ ſcriptura hac locutione complecti ſolet, Pſalm. LXIX. 7. CV. 3, 4. 2 Chron. XV. 12, 13. Jeſ.LV. 6 Hoſ. III. 5.

Hoc ſtudium fruſtra eſſe nequit, *εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν*, ait Paulus, *καὶ εὕροιεν.*

ψηλαφᾶν ut ex EUSTATHIO dudum STEPHANUS aliíque docuerunt, verbum muſicum eſt, denotans propriè, chordas extremis digitis, iis oberrando, tangere, unde non tantùm pro aliquid *attentare* uſurpatur, ut apud JOSEPH. Lib. XIII. cap. IX. *καὶ ὅπως τὰ κατὰ τὸν πόλεμον ἐκεῖνον ψηλαφηθέντα ὑπὸ Ἀντιόχου*, & *ut quæ per illud bellum attentata ab Antiocho*, ſed & ad contrectationem & palpationem, quâ quis in tenebris, aut oculorum uſu deſtitutus, viam explorare, aut aliud quid detegere, vel invenire, allaborat, transfertur, ut Jeſ. LIX. *Ψηλαφήσουσιν ὡς τυφλοὶ τοῖχον, καὶ ὡς οὐχ' ὑπαρχόντων ὀφθαλμῶν ψηλαφήσουσι.* coll. Gen. XXVII. 12, 21, 22. Jud. XVI. 26. & Deut. XXVIII. 29. v. & S. Rev. ELSNER. & WOLF. ad h. l. Denique de illis quoque uſurpatur, quæ adhibito ſedulo ſtudio & ſollicitâ inquiſitione, actu deprehendimus & quaſi manibus palpamus, vid. Luc. XXIV. 39. & 1 Joh. I. 1. atque ib. PRICÆUS. Aptiſſimum itaque eſt hoc verbum, & egregiè ad ſubſtratam materiam facit. Homines enim quales naturâ ſunt, in tenebris ignorantiæ verſantur, cœcíſque idcircò toties comparantur, Epheſ. IV. 18. coll. Jeſ. XXXV. 5. XLII. 7, 16. ut verè hîc cum LUCRETIO exclamare liceat Lib. II. v. 14.

O

O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis,
Degitur hoc ævi quodcunque eſt!

A Talibus autem quaſi palpando Deus inveſtigatur, quando ad reſidua illa rationis principia, & ad omnia, quæ totum hoc univerſum ſuggerit, pro exſiſtentiâ ſupremi Numinis argumenta, ad impreſſa ubique perfectionum ejus veſtigia, nec non ad indies ſeſe in rerum humanarum gubernatione offerentia, bonitatis, juſtitiæ, occultaéque providentiæ, documenta ſollicitè attendunt, ut, quid inde colligi queat, ritè eruant, &, tanquam ea, quæ manibus contrectantur, actu attingant.

Hoc medium eſt, ut *Deus ab iisdem inveniatur.* ita enim phraſis ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν per *hendiadyn*, ut Beza rectè obſervat, optimè redditur, *palpando eum inveniant.*

Εὑρεθῆναι enim, ſeu *inveniri Deus ab homine* dicitur, primùm quidem, quando rectè & certò, & cum plenâ perſuaſione cognoſcitur, quo ſenſu *Nequam Philopatridis Auctor* compoſito ἐφευρίσκω utitur, quando ſub finem Dialogi ita loquentem introducit Triephonem Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἘΦΕΥΡΌΝΤΕΣ - - τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos autem poſtquam ignotum illum, qui Athenis colitur, Deum* INVENIMUS - - *illi gratias agemus.* Deinde autem & præcipuè, quando quis ad ejus communionem & fruitionem actu admittitur. vid. Jeſ. LXV. 1. Job. XI. 7. XXIII. 3. quod certiſſimum collocatæ hîc fideliter operæ præmium eſt, quia Deus vi perfectionum ſuarum fruſtra coli non poteſt. v. Jeſ. XLV. 19. Jer. XXIX. 13, 14. Thren. III. 25. Hebr. XI. 6. Unde quando Paulus ait εἰ ἄραγε *ſi fortè*, conſequens hoc minimè dubium reddit, ſed potiùs ſubinnuit, inquiſitionem illam admodum arduam eſſe, inprimis cùm illa cognitionis ſemina non ſolùm altè abſcondita ſint, nec ſine intenſiſſimo ſtudio eruantur, ſed & homo vanitati carníſque illecebris deditus, quin & præjudiciis à teneris imbutus, ad ea æquè ac quæ extrinſecus ipſi offeruntur argumenta, debitam attentionem adferre non ſoleat.

Hunc autem eſſe ſcopum quem Deus in humano genere inten-

intendit, ultrò patet, quia uti vi ſapientiæ finem dignum, ſibi proponere debuit, ita is vi ſummæ perfectionis, tenerrimiſque, quo in ſe fertur, amoris, non potuit alius eſſe, quàm ut ſe ſuiſque perfectiones manifeſtet, quò à creaturis rationalibus rectè agnoſcatur, piè ametur, ſanctéque celebretur. Ad hunc finem, uti humanum genus condidit Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. ita cognitionis ſui ipſius ſemina menti inſculpta conceſſit, atque non obſtante corruptione conſervavit, Rom. I. 28. quin & indies ſe non ἀμάρτυρον relinquit, cœlitùs benefaciendo Act. XIV. 17. ſuáque adeò benignitate ad reſipiſcentiam invitat. Rom. II. 4. Quòd ſi quis quærat, utrum hæc media, nunc homini in ſtatu peccati, ad Deum quærendum atque inveniendum ſufficiant, haud difficilis eſt reſponſio. Scil. ad quærendum utique non tantùm obligant, ſed & cùm Deus nihil fruſtra facere queat, & inprimis ipſæ ejus perfectiones, non permittant, ut ſe fruſtra quæri ſinat, non obſcuram ſpem ſuggerunt, ab illis qui id intenſo ſtudio faciunt, poſtliminiò inveniri iterum velle. Quod ſi principia hæc docere nequeant, quâ viâ id, modo Deo digno, ſine ullâ perfectionum abnegatione, fieri poſſit, eadem tamen non ſolùm plusquam probabile faciunt, Deum voluntatem ſuam aliquando clariùs revelaſſe, ſed & ipſum implorare jubent, ut ad ſui cognitionem ducat, tum verò apud alios populos inquirere, annon alicubi propior revelatio exſtet, eáque inventâ ſedulò uti. Quod ſtudium Deus ſucceſſu carere non ſinet: cujus rei extraordinarium quidem, at luculentum tamen ſpecimen exhibuit in *Cornelio*, Act. X. 1 — 6. eodémque maximam partem collineabat, quod Salomon in templi inauguratione teſtabatur. 1 Reg. VIII. 41, 42, 43. Quod ſi quid in his ſuperſit, non per omnia ſatis patens, inprimis reſpectu illorum, qui ſincerè id quærentes, occaſionem inveniendæ revelationis nacti non ſunt, de illis præſtabit judicium ſuſpendere, eóſque Domino ſuo, cujus omnes vias veras, juſtas & bonitatis pleniſſimas eſſe novimus, permittere; qui autem ad hæc attendere noluerunt, ſed divitias has bonitatis, longanimitatis & tolerantiæ ſpreverunt, illis utique hæc principia ſufficient, ad

eos

eos ἀναπολογήτους ſiſtendos, viarúmque Dei juſtitiam aſſerendam, quando, qui abſque lege (ſcriptâ) peccârunt, abſque lege quoque peribunt. Rom. I. 20. & II. 12.

X X I.

Aſſerto huic Apoſtolus novum pondus addit, pergens καί τοιγε ού μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάςου ἡμῶν ὑπάρχοντα.

Phraſi ού μακρὰν εἶναι nonnunquam Scriptores Græci utuntur, ad inſtantem extraordinariam Numinis ἐπιφάνειαν deſcribendam. CALLIM. in *hymn.* in Apoll. v. 7.

> ὁ γὰρ Θεὸς ὀυκέτι μακράν.
> *Deus enim non jam longè abeſt.*

Hîc tamen Paulus potiùs ad ordinariam præſentiam, quâ ſingulis ſemper propè adeſt, reſpicit. Atque hanc nonnulli quidem, ad media cognitionis, quæ nobis ubique in promptu ſunt, & quibus intervenientibus, ut viſum, Deum ultrò quaſi deprehendere poſſumus, referunt. Verum, licèt veriſſimum ſit, Deum hoc pacto non longè abeſſe, & hæc interpretatio quoque nec à genio phraſeos, nec à ſcopo Apoſtoli planè abludat, non tamen ſola ſufficit, ſed inprimis de ipſâ Dei eſſentiâ & perfectionibus hîc propiùs cogitandum eſt. Secundùm has *non longè abeſt*, dum ut mens perfectiſſima, omnia extra ſe intimè cognoſcit, conſervat, gubernat, & multis modis benefacit, ſícque modo eminentiſſimo omnibus ſemper præſens eſt. v. Jer. XXIII. 23, 24. & Heb. I. 3. Inprimis verò hac ratione ſingulis hominibus proximè adeſt, ut graphicè deſcribit Pſaltes Pſ. CXXXIX. 2 ſeqq. Opponit autem id Apoſtolus EPICUREIS, qui Deos ſuos cœlo includebant, &, ne eorum quies turbaretur, eos, ullâ rerum humanarum curâ tangi, negabant. vid. quæ DIOGENES LAËRTIUS, quæ *Commentatores* ad MINUT. FEL. p. 20. edit. *Ouzel.* quæ CUDWORTHUS & BRUCKERUS fuſius tradiderunt. Quibus ego id unum addo, quòd quemadmodum illa *Epicureorum* ſententia, Doctrinæ Pauli adverſâ

Digitized by Google

fronte repugnabat, ita ex eadem, Seneca *Tragœdus* chorum, verbis etiam, his Apoſtoli, planè contrariis, Jovem ita alloquentem introducat, in *Hippolyt.* v. 971. ſeqq.

—— —— —— —— ſed cur idem
Qui tanta regis, ſub quo vaſti
Pondera mundi librata ſuos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus abes?

Quâ ſententiâ nihil dici poteſt ſtolidius, cùm non ſolùm naturæ Spiritûs, qualem Deum eſſe vidimus, & inprimis Spiritûs perfectiſſimi, repugnet loco includi, verùm & hoc pacto omniſcientia rerúmque omnium à Deo dependentia ſimul abnegetur, & denique omnia moralitatis principia tollantur; ut adeò, licèt Epicurus apertis Numinis hoſtibus annumerari minimè queat, id tamen verè de ipſo adfirmare liceat, eum doctrinâ ſuâ, omnia religionis fundamenta penitùs evertiſſe. Rectè ſanè in eum ejúsque ſequaces digitum intendens Philo libr. *de mundi Opific.* p. 2. ait: *τοῦ Θεοῦ ἣν πολλὴν ἀπραξίαν ἐναγῶς κατεψεύσαντο· δέον ἔμπαλιν, τοῦ μὲν τὰς δυνάμεις ὡς ποιητοῦ καὶ πατρὸς καταπλαγῆναι, τὸν δὲ μὴ πλέον τοῦ μετρίου ἀποσεμνῦναι.*

Nec defuerunt inter ethnicos, qui hanc de Dei præſentiâ veritatem ultrò agnoſcerent, ſummóque ſtudio inculcarent, quorum inſignia teſtimonia magno numero attulerunt Dougth. Grot. Pric. Adami, & Wolf. ad h. l. quibus tantùm addo illud Senecæ Philoſophi Epiſt. XCV. *Ubique & omnibus præſto eſt.*

Locutionem *καί τοιγε* Græcis denotare *quanquam*, docet Devarius *de part.* p. 248. & pluribus exemplis confirmat Celeb. Elsnerus ad Act. XIV. 17. ut adeò mens Pauli ſit, Deum condidiſſe humanum genus, ad id, ut ſe quæreret, ſi fortè, adhibito debito ſtudio, palpando illum inveniret, licèt, ſi id adhibeatur, *τὸ* invenire, neque *ἀδύνατον*, neque nimis difficile ſit,

Digitized by Google

ſit, cùm ſe ubique quærentibus ultrò offerat, nec longè ab unoquoque noſtrûm abſit.

Ut autem hæc omnia ad ſcopum Apoſtoli referamus; ultrò patet, quòd, ſi Deus hominem ad id condiderit, ut ſe quærat, & palpando inveniat, ergo ſcopus ejus non fuerit, ut ipſe ab homine ejúsque cultu commodum aliquod reportet, ſed ut homo potiùs, in ſui communione perfectior reddatur.

XXII.

Ceterùm hoc ipſum, quod Deus non longè ab unoquoque noſtrùm abſit, denuò confirmat, tertiúmque ſimul argumentum ad ſtabiliendam theſin com. 25. propoſitam, ſubjungit, addens, com. 28. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν.

Tria hîc abhibita verba, non incommodè ita diſtinguuntur, ut prius ad *vitam* ſeu *actuoſitatem mentis*, quæ κατ' ἐξοχὴν, ut ſupra monuimus, *vitæ* nomine inſigniri ſolet, alterum ad *motus corporis*, tertium autem ad ipſam *exſiſtentiam* aut *ſubſiſtentiam* (liceat his receptis terminis uti!) referatur, ſícque, ut rectè monuit Calvinus, Apoſtolus quaſi per gradus deſcendat, incipiendo à *vitâ*, quæ præſtantior *motu*, & ſubjungendo *motum*, qui præſtantior *nudâ exſiſtentiâ*: aut, ſi ita malis, τὸ ζῶμεν ad actiones *mentis*, τὸ κινέμεθα ad *motus corporis*, τὸ ἐσμέν ad *omne quod præterea in quacunque relatione ſumus*, referri, ſícque quicquid præter duo priora in nobis locum habet, hoc, velut brevi quadam ſummâ comprehendi poſſet; quo pacto hæc tria, tribus præcedentibus, com. 25. ζωὴ καὶ πνοὴ καὶ τοῖς πᾶσι, exactius reſponderent. Ut autem tum ſimul tria hæc poſteriora à tribus prioribus diſtinguantur, nec Paulus brevi oratione, idem fruſtra bis dixiſſe ſtatuatur, priora illa ad vitæ, motúsque & omnium, primam collationem, aut ipſa principia, poſteriora autem ad eorundem conſervationem, ſingulásque inde profluentes mentis actiones, corporis motus, & omnium præterea conceſſorum uſum atque relationem, quam ad nos habent, referri poſſent.

 Stu-

Stupendam autem HOBBESII atque SPINOSÆ impudentiam, quà verba ita accipiunt, acſi Paulus, Deum rerum omnium cauſam non transeuntem, ſed immanentem faciat, hîc non moramur, cùm illam dudum retuderint, WITTICH. in *Antiſpinoſ.* pag. 22. & STAALKOPFIUS in peculiari *Diſſertat.* recuſâ *Bibl. Brem.* T. III. pag. 482. ſeqq. & *Celeb.* DEYLINGIUS *Obſerv.* P. II. Obſ. XL. qui & recentiores ſimul quosdam fanaticos, in eodem cum illis luto hærentes, perſtringit. Nos tantùm monemus, quòd & Paulus com. 24. diſertè Deum, ut cauſam transeuntem totius univerſi, & com. 26. inprimis humani generis propoſuit, ita & hîc nos ipſos, ut cauſas proximas, quæ ipſæ *vivunt*, *moventur*, & *ſunt*, conſiderat, atque adeo, quando id nos ἐν αὐτῷ facere ait, nihil aliud potuit dicere velle, ſive τὸ ἐν inſtar hebr. ב *per* reddamus, ſive adhuc magis emphaticè *in*, quàm quòd ipſe facultates ad actiones mentis & motus corporis facultatúmque harum uſum concedat, ſícque ſingulis momentis, ad actiones has motúsque, & omnem ſtatum noſtrum, in omnibus circumſtantiis, tam efficaciter concurrat, ut, non niſi in dependentiâ ab ipſo, ut cauſâ primâ, *cogitemus*, *moveamur* atque *ſimus*. Ita autem verè ſe rem habere, ex principiis com. 25. indicatis, ultrò ſequitur, quia quod non à ſe, ſed dependenter à cauſâ primâ eſt, id nec à ſe operari, moveri, aut porrò, vel in hoc aut illo ſtatu eſſe poteſt, ſed ut cauſa ſecunda, omne actuoſitatis, motûs, & ulterioris exſiſtentiæ aut circumſtantiarum, in quibus eſt, fundamentum, in eadem cauſâ primâ, à quâ eſt, & dependenter ab illâ, habet. Ut adeò mirum non ſit, hoc quoque non paucos gentium philoſophos agnoviſſe, ut ex teſtimoniis à PRIC. ADAMI, ELSNERO, & quos hic præterea laudat, operoſè congeſtis liquet. Ceterùm qui plura de hoc argumento deſiderat, integras Virorum Doctorum in hæc verba Diſſertat. WOLFIO, & SCHETELIGIO enumeratas, conſulere poteſt. Hæc autem cùm ita ſe habeant, quid manifeſtius eſt, quàm *illum non longè ab unoquoque noſtrûm abeſſe?* Quomodo enim is non proximè nobis adeſſet, à quo ita toti dependemus, ut non niſi in ipſo cogitare,

cogitare, moveri, &, quidquid ſumus, eſſe, queamus? Atque ſic jam hoc. ut novo tertióque argumento, confirmatur, quòd ſecundùm com. 25. *Deus non colatur hominum manibus, ut cujusquam indigus.* Sic enim maniſeſtiſſimum eſt, quòd ipſe non noſtri, aut cujusquam quod à nobis proficiſci queat, ſed nos potiùs, ſingulis momentis, ipſius ad vitam, ad motum, & ad omne eſſe noſtrum, indigeamus. Non abſimili modo SENECA rationes ſubduxiſſe videtur, loco com. præced. adducto ſcribens: *Non quærit miniſtros Deus. quidni? ipſe humano generi miniſtrat: ubique & omnibus præſto eſt.* Eodem non immeritò referuntur illa ARATI in initio:

—— μεσταὶ δὲ διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί·
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες. πάντη δὲ διὸς κεχρήμεθα παντες.
—— *plena verò Jovis omnia quidem compita,*
Omnes verò hominum coetus: plenum verò mare,
Et portus: ubique autem Jove indigemus omnes.

Ad quæ Paulum tacitè digitum intendiſſe, tantò probabilius eſt, quò magis ad immediatè ſequentia, ipſe ſtatim provocat.

XXIII.

Scilicet ſubjungit demum argumentis, quæ hactenus excuſſimus, artificialibus, inartificiale, ut vocari ſolet, ex conſenſu ipſorum Poëtarum ethnicorum deſumtum: ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς Ποιητῶν εἰρήκασι κ. τ. λ.

Prolixus hîc eſt *Cl.* ADAMI, ut oſtendat, Poëtas apud gentes quidem magnæ, at non tantæ tamen, neque tam univerſalis auctoritatis fuiſſe, ut non etiam multis, & maximè Philoſophis, peſſimè audirent, quare operosè evincere quærit, Apoſtolum nihilominus rectè & prudenter ad eorum teſtimonium provocare. Ad nos quod attinet, omiſſis ambagibus, omnia quæ ad argumenti hujus excuſſionem atque illuſtrationem ſpectant, paucis his theſibus abſolvi exiſtimamus.

 1. Inſignem

Digitized by Google

1. Inſignem Poëtarum apud gentes auctoritatem fuiſſe, indubium eſt. Nam & *Sacri*, & *Divûm cura* vocabantur, nec deerant, qui illos *Numen habere* crederent, v. Ovid. III. *Amor*. IX. 17. hinc gentium *Prophetæ* habebantur, *Tit*. I. 12. vid. ib. Grotius & Pricæus. Inprimis multa egregia dogmata de Deo, & rebus divinis, quæ partim rationis lumine Veteribus jam agnita fuerunt, partim ex antiquâ traditione reliqua manſerant, ſcriptis ſuis conſervârunt. Et licèt fortè his nimium tribuat eruditiſſimus Cudworthus, pag. 426. ſeqq. ut ibi oſtendere ſatagit S. R. Moshemius, rectè tamen idem pag. 439. docet, in eosdem non ſolùm, ſed & in ipſam veritatem injurios eſſe, qui cum Clerico omnia ab illis hanc in rem dicta elevant, atque explodunt.

2. Quod Poëtas nonnullis contemtiores reddebat, erat vel vita ſordida, ſtilúſque impurus aut adulatorius, vel fabulæ, quibus veritatis reliquias nonnunquam adulterabant, & inprimis commenta de Diis. Verùm uti priora doctrinæ & dogmatibus præjudicium creare non poterant, atque adeò huc non faciunt, fabularum autem architecti Poëtæ non adeò fuerunt, ſi Moshemio ad Cudworthum p. 426. credimus, quàm quæ vulgi jam ore ferebantur, carminibus ſuis inſperſerunt; ita utraque illos tantùm in contemtum adducere poterant, qui ſe eorum reos faciebant, qualium autem Aratum, quantùm conſtat, aut ad quos præterea Paulus fortè reſpexit, nemo veterum inſimulavit. Contrà Aratus, ne de reliquis dicam, de ſupremo Numine omnium rerum Parente & Moderatore, ſub Jovis nomine, tam magnificè támque decenter, paſſim, & maximè quidem ſtatim in initio, loquitur, ut nemo facilè rectius digniúsque queat, conf. quæ inde attulit Cudworth. pag 563. ſeqq. Nec obſtat, quod ut ibidem *Celeb*. Moshem. in illo notat, dein tamen cum aliis Poëtis Jovem hunc etiam in monte Idâ educatum, à Curetibus nutritum, & Saturni filium eſſe, tradit. Quemadmodum enim Paulus ad has nugas non reſpicit, ita opinio illa tum temporis inter gentes tam pervulgata erat, ut ejus auctoritati inter illas

illas nil derogare poſſet.

3. Inprimis negligendum non eſt, Poëtas, modo in religionem aut ſtatum Reipublicæ injurii non eſſent, apud Athenienſes in maximo pretio fuiſſe, ut EURIPIDIS, EPIMENIDIS aliorúmque exemplis conſtat. conf. illius vitam editioni BARNESII præmiſſam, & quæ de hoc attulit GROTIUS ad Tit. I. 12.

4. Ante omnia verò obſervandum, non *Poëtarum* tantùm, teſtimonium eſſe, quod PAULUS adducit, ſed ipſorum antiquiſſimorum *Philoſophorum*. Poëtarum autem nomine laudatur, quòd ab his metro eſſet alligatum, ſicque non ſolùm faciliùs memoriâ retineri poſſet, ſed &, ut iſtiuſmodi ſententiis, antiquioribus temporibus jam ſæpe contingebat, & in hunc diem plerumque evenire ſolet, vulgò omnium ore ferretur, & velut proverbium, aut axioma aliquod, indubiæ veritatis, paſſim agnoſci atque allegari ſoleret. Quod ut in hac re præcipui momenti eſſe cenſeo, ita paulò propiùs adſtruere operæ pretium erit. Ad ARATUM certè quod attinet, non ipſe argumentum libri, unde verba deſumta ſunt, compoſuit, utpote, *homo aſtrologiæ*, (teſte CICERONE Lib. I. *de Oratore*,) *ignarus*, ſed tantùm *Celeb. Philoſophi*, & inprimis *Mathematici* atque *Aſtronomi*, EUDOXI *Cnidii* librum, ſive illum, quem ἔνοπτρον, *ſpeculum*, ſive quem φαινόμενα appellavit, ſive utrumque ſimul, juſſu ANTIGONI Regis Macedonii, metro condidit, atque ita EUDOXUM ἐνδοξότερον reddidit, ídque eâ ratione, ut HIPPARCHUS aſſerere non dubitet, eum ὡσανεὶ μεταγεγράφειν τὰ ὑπὸ Εὐδόξου εἰρημένα. vid. de his FABRIC. *Bibl. Gr.* Lib. III. cap. XVIII. Reliquorum, ad quos Paulum ſimul digitum intendiſſe, nonnulli Viri docti non abſque omni ratione cenſent, eadem eſt ratio. Quod ut propiùs pateat, obſervandum primùm quidem hîc meritò in cenſum venire ARATUM, in cujus *Phænomenis* vſ. 5. verba hæc etiamnum leguntur. Interim eruditiſſimus FABRICIUS obſervavit, CLEANTHEM quoque in *hymno in Jovem*, exiguâ mutatione dixiſſe:

Ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμέν.

quo

quo nomine meritò laudatur in *Actis Erudit. Lipſ.* A. 1708. p. 59. Quin & tam ipſe quàm alii monuerunt, in *Carmin. aureis Pythag.* quoque legi:

Θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσι.

Atque hæc quidem minimè apud me tanti ſunt, ut vel CLEANTHIS, vel horum CARMINUM, potiorem hîc rationem eſſe habendam exiſtimem, quàm ARATI. Utrorumque enim verba ab illis Pauli nonnihil diſcrepant, ARATI verò ſola, eadem planè, ſine ullâ mutatione, ſunt. Nec contrà valet, quod CLEANTHES *Athenienſis* fuerit, & Paulus *Athenienſes* alloquens dicat, τινὲς τῶν ΚΑΘ' ΥΜΑΣ ποιητῶν, quia locutio hæc non *Poëtas Athenienſes* innuit, ſed potiùs *ethnicos*, in oppoſitione Scriptorum *Judaïcorum*, aut *Chriſtianorum;* eadem ratione, uti *Apoſtolus* de *Cretenſibus* loquens, ait Tit. I. 12. *aliquem propriorum ipſorum Prophetarum dixiſſe, Cretenſes ſemper mendaces, &c.* licèt, qui id dixit, non *Cretenſis*, ſed *Athenienſis*, EPIMENIDES nempe, fuerit. At nihilominus inde ea, quæ modo monui, luculenter confirmantur. Primò enim, cùm ex illis, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, non ARATUS tantùm, ſed & CLEANTHES & CARMINUM AUREORUM Auctores, eandem ſententiam exhibuerint, patet, illam paſſim ut indubiam vulgóque inter gentes celebratam, meritò conſiderari. Deinde, hinc quoque manifeſtum eſt, eandem non tantùm à Poëtis metro alligatam, ſed & ab ipſis Philoſophis traditam eſſe. CLEANTHIS enim nomen, inter Philoſophos non minoris famæ quàm inter Poëtas eſt. CARMINUM autem AUREORUM, licèt non ipſe PYTHAGORAS auctor ſit, ejus tamen doctrina iisdem continetur, quam diſcipuli, ut tantò rectiùs memoriâ retineri poſſet, numeris adſtrinxerunt. Quibus omnibus in unam ſummam collectis, evidens eſt, teſtimonium apud Athenienſes maximi ponderis fuiſſe, meritóque adeò Paulum, ad illud, tanquam omni exceptione majus, provocaſſe. Neque talia teſtimonia, vel Apoſtolis, vel θεοπνευστίᾳ Scripturæ S. indigna ſunt, Apoſtoli enim illis, ut argu-

argumentis ad hominem, prudenter utebantur, ſcripturæ autem θεοπνευςίαν minimè lædunt, cùm licèt ab ethnicis profecta, ipſius tamen Spiritûs S. à quo Apoſtoli in omnem veritatem ducebantur, inſtinctu, ab his allegata ſint, v. HUET. *Demonſtr. Evangel.* Propoſ. IV.

XXIV.

Ad verba ipſa quod attinet Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. In his manifeſtum eſt τοῦ adhiberi pro τούτου, non tamen, ut WITSIUS & LEUSDENUS cenſent, per *aphæreſin*, quia artic. ὁ in omni genere, numero & caſu pro pronomine οὗτος uſurpatur, vid. loca in Ind. ad Ælian. V. H. adducta. Neque etiam hîc cum quibuſdam ad *hebraismum* confugere neceſſe eſt, cùm idem Græcis Scriptoribus uſitatiſſimum ſit, ut docet HOMBERG. ad Matth. XXIV. 32.

Græcum autem γένος æquè ac *Latin. genus*, pro *progenie* uſurpari, ab aliis jam monitum eſt. Ita quoque CALLIM. Hymn. in *Del.* v. 109.

> Νύμφαι Θεσσαλίδες ποταμοῦ ΓΕΝΟΣ εἴπατε πατρί.
> *Nymphæ Theſſalides fluvii GENUS dicite Patri.*

Et ib. v. 256.
Eadem ratione PROPERT. Lib. II. Eleg. II. v. 61.

> *Qualis & Iſchomache Lapithæ GENUS heroinæ.*

conf. BURM. ad OVID. *Metam.* II. v. 744.

Ad integram phraſin *Deûm genus*, quod attinet, MAJUS *Obſerv.* Lib. I. p. 77. ſeqq. confert, hoc titulo, ſæpe *heroas* Scriptoribus Græcis atque Latinis inſigniri. Et ſanè id haud rarò obſervatur. Huc pertinet illud VALER. FLACC. Lib. V. v. 504. ſeqq.

> DEUMQUE
> Nos GENUS, *atque ratem magnæ ſenſere Minervæ.*

conf. HEINS. & BURM. ad. VAL. FL. Lib. I. in init.

Verùm uti id ſit, vel quia illos, verè ex Deorum cum homini-

minibus commercio, prognatos, fabuloſa credebat antiquitas, vel quia extraordinariis planè & divinis dotibus gaudebant, quo ſenſu etiam modo laudatum ex *aureis carminibus Pythag.* locum explicat HIEROCLES p. 278. docens, *ſapientes & bonos juſtum eſſe εἰς* ΤΟ' ΘΕΙΟΝ ΓΕ'ΝΟΣ ἐγγεγράφειν, & dein addens, *Deum, omnium quidem conditorem, ſed BONORUM etiam PARENTEM* eſſe: ita huc propriè non facit, quoniam ſermo eſt de eo, quod, in omnibus ſine diſcrimine hominibus, locum habet. Hos omnes quando *Jovis genus*, aut *progeniem* dicebant, id non de corpore, ſed mente intelligi volebant, quam immediatè à ſupremo Numine productam ſtatuebant, háncque ob cauſam, *ἀπόσπασμα τοῦ Θεοῦ & divinæ particulam auræ* appellabant. videantur quæ hanc in rem ex gentium ſcriptis, præter LIPSIUM in *Phyſiol. Stoic.* Lib. III. Diſſ. VIII. & CORNEL. ADAMI, attulerunt DAVIS: ad *Tuſcul. Diſput.* Lib. V. cap. XIII. RAPHELIUS in not. *ex Polyb.* & *Arrian.* & ELSNERUS ad h. l. Hoc autem quod gentes de Jove adfirmabant, D. PAULUS hîc rectè ad verum Deum transfert, quoniam ſub Jovis nomine propriè ſupremum illud Numen, cujus idea omnium mortalium animis tam altè impreſſa eſt, colebant, ut fuſè docet WONNA in *Exercit.* II. *de Geniis*, inſertâ *Syntagm.* II. *Diſſert. Philol.* Roterod. §. 5. Unde & quod de Jove ſuo in hoc argumento adfirmârunt, idem Scriptura S. de vero Deo teſtatur. Gen. II. 7. Num. XVI. 22. XXVII. 16. Heb. XII. 9. conf. Gen. VI. 6. Jac. III. 9.

X X V.

Hinc autem Apoſtolus opportunum tranſitum facit, ad *tertium errorem* refellendum com. 29. Γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ, οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον.

Τὸ Θεῖον plerique monent *Deum* aut *naturam Divinam* denotare, idémque eſſe quod in ſacris θειότης aut θεότης dicitur. Neſcio tamen, an quis exemplum attulerit, præter RAPHELIUM in annot. ex *Herodot.* qui unum ex hoc ſcriptore habet. En tibi

tibi igitur, ſi deſideras, plura! *Auctor Philopatridis*, *Critiam* hæc recitantem introducit, cap. XXIX.

> Ἀεὶ ΤΟ' ΘΕΙ'ΟΝ οὐκ ἀμελεῖ τῶν ἀγαθῶν
> Ἀλλ' αὔξει ἄγον ἐπὶ τὰ κρείττονα.

i. e. *ex novâ verſione Cl.* GESNERI

> *Nunquam bonos pióſque negligit Deus,*
> *Sed auget, ornat, in bonisque collocat.*

LUCIANUS autem ipſe, loco ſupra jam adducto, de *Sacrificiis* cap. I. οἵγε οὕτω ταπεινὸν καὶ ἀγενὲς ΤΟ' ΘΕΙ'ΟΝ ὑπειλήφασιν, ὥστε εἶναι ἀνθρώπων ἐνδεές. *qui tam abjectum tamque illiberalem, Deum* (aut *naturam* divinam) *opinantur, ut hominibus indigeat.* Idem *pro Imagin.* cap. XIII. ὡς τὸ ΘΕΙ'ΟΝ ἀνάγκη ἐλαττοῦσθαι πρὸς τὸ ἐνδέον ἐπικλώμενον. *Sic* DIVINAM NATURAM *minui neceſſe eſt, ad imbecillius inflexam.* Adde τὴν πρὸς τὸ ΘΕΙ'ΟΝ τιμὴν *honorem* NUMINIS, & τὸ ΘΕΙ'ΟΝ μὴ ἐν παρέργῳ σέβεσθαι DEUM *non obiter colere*, cap. XVII. conf. & cap. XXVIII. Vetus interpres vocem Græcam preſſè ſecutus *divinum* reddit, quem contra illos, quibus eo nomine notatus erat, APULEJI & GLOSSAR. VET. auctoritate defendit PRICÆUS.

Hoc θεῖον quando Apoſtolus aſſerit, non debere reputari χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ χαράγματι τέχνης κ. τ. λ. ὅμοιον, manifeſtum eſt, illum ad *ſtatuas*, aut *ſimulacra Deorum*, apud gentes parari ſolita, reſpicere. In his duo obſervat, *materiam*, & *artem* cum ἐνθυμήσει.

Materia multiplex erat, ex metallo varii generis, *auro*, *argento*, *ære*; ex *lapide*, *marmore* aut *alabaſtro*; ex *ebore* aut denique *ligno*. Parandi modus præcipuè duplex, dum vel *fundebantur*, vel *cædebantur*. Prius in illis quæ ex metallo, locum habebat, poſterius in reliquis. Ad quod duplex genus præcipuè Apoſtolus reſpicere videtur, quando partim *metallorum*, partim *lapidis*, meminit. Atque hanc ob cauſam non abſque ratione cogitari poteſt, eum duo pretioſiſſima metalla, *aurum* & *argentum*, memorare, quò ſub illis, ut præſtantioribus, omnia reliqua, arte fuſoriâ, *la-*

 pidem

pidem autem, ut ad ſculptilia maximè adhiberi ſolitum, quò ſub eo, ut communiore, omnia arte ſculptili parata, comprehendat. Aut fortè *auri* atque *argenti* meminit, ut ſub illis, omnes ſtatuas, quas materia & pretium, lapidis autem, in cujus elaboratione ars maximè prævalebat, ut ſub illo, quas ars inprimis commendabat, complectatur. Certè ad hoc duplex genus diſertè LUCIANUS omnes redigit, quando, in *Jove Tragœdo* cap. VII. convocato Deorum concilio, Jovem introducit Mercurio mandata dantem, ut Deos conſidere curet, pro cujuſque dignitate, ὡς ἂν ὕλης ἢ τέχνης ἔχῃ, *prout* (vel *quantum*) *ad materiam ſe habeant, vel quantum ad artem. Quin & dein Mercurium ſollicitè Jovem interrogantem*, exhibet, *ſi quis aureus quidem ſit, & multorum talentorum, pondere, ſed non curioſè elaboratus, ſed idem plebejus omninò, & parum commenſu ſibi reſpondens, hîcne ante æneos* MYRONIS, POLYCLETI, PHIDIÆ *& lapideos* ALCAMENIS *aſſidere debeat, an verò ars præferenda ſit?* Cui reſpondet Jupiter: *Ita quidem decere, ſed præferendum tamen aurum.*

Ceterùm de ſtatuis generatim hîc multa monere nîl attinet, otium nobis faciente Virorum Doctorum diligentiâ, qui argumentum hoc ex profeſſo excuſſerunt, quorum præcipuos laudat FABRIC. *Bibl. Antiq.* cap. XXII. §. XV. Quare illi potiùs deſcriptioni paululum immoramur, quam PAULUS ſubjungit, addens: χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου. Quæ verba quidem Interpretes vulgò ad ſtatuas aureas & argenteas æquè ac ad lapideas, referunt. Sed diffiteri nequeo, mihi aliquando ſcrupulum ſubnatum eſſe, annon potiùs priora verba χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ſeorſim ſumenda, ultima autem hæc tantùm ad vocem λίθῳ referenda ſint, idque has potiſſimùm ob cauſas: 1. quòd ignorarem vocem χάραγμα, apud Veteres unquam de *imagine fuſâ* adhiberi, 2. quod etymon quoque non admodum faveat, dum χαράσσειν vel χαράττειν æquè ac hebræorum חרש / חרט vel חרת unde græca hæc deſcendunt, propriè *incidere*, *ſculpere*, non fundere denotet: & denique 3. quòd *ars* τέχνη, non adeò in *aureis* & *argenteis*, conſpicua ſit, & à veteribus celebretur, quàm in illis, quæ *ſculpendo* parabantur,

ut

ut *lapideis* & *eburneis*, aut etiam in *æneis*, quæ ob materiæ duritiem, ſingulari quoque artificio, ut lapideis & eburneis nil cedant, adornari poſſunt; de quibus omnibus ſtatim propiùs agemus.

Interim non tamen planè negare audeo, χάραγμα generatim de cujuſcunque generis ſimulacris, atque adeò & aureis atque argenteis, adhiberi poſſe; idque inprimis quia de ejus uſu apud veteres Græciæ Scriptores, parum hactenus conſtat: apud recentiores autem, is paulò latiùs patet, quibus, fortè ex locutione Veterum, quâ χαράττειν & παραχαράττειν νόμισμα dicebant, ut docet MENAGIUS in not. ad DIOGEN. LAËRT. Lib. VI. 20. denotat, χάραγμα *imaginem in nummo exſtantem*, quo ſenſu τὴν εἰκόνα Matth. XXII. 20. præter alios, AVIENUS reddit CHARAGMA, ſcribens: *Sicut nummus habet* CHARAGMA *Cæſaris, ſic homo habet* CHARAGMA *Dei.* quin & hinc ad *nummum* ipſum transfertur, ut MEURSIUS & *du* CANGE monuerunt; conf. de his omnibus WOWERIUM ad *Minut. Fel.* p. 24. Accedit quod & χαρακτὴρ ab eodem themate, Veteribus quoque jam de quocunque εἰκονισμῷ, nullo habito materiæ diſcrimine uſurpatur, ut docuerunt CASAUBON. & DUPORTUS in præfat. ad THEOPHR. *Charact.* & PLINIUS, ut modò laudatus WOWERIUS addit χάραγμα *notam* appellat.

In talibus autem χαράγμασι, *Apoſtolus* memorat τέχνην καὶ ἐνθυμήσιν. Uti prior vox omnem *artem* generatim denotat, ita apud Græcos ſæpe de *ſtatuariâ*, adhibetur. vid. LUCIAN. in *Somnio.* cap. II. III. & inprimis VII. & VIII.

Ab hac diſtinguit ἐνθύμησιν. Quæ vox quoque rariùs apud Veteres occurrit. THOMAS MAGISTER eam explicat per ἐνθύμιον, *cogitationem*, ſcribens in Ἐνθύμημα. Ἐνθύμημα, ποιοῦ λόγου σχῆμα· ἐνθύμιον δὲ, ἡ ἐνθύμησις. POLLUX Lib. II. n. 281. obſervat THUCYDIDEM eadem uti. Exſtat locus Lib. I. p. 86. edit. *Cl.* DUKERI, ubi de ARGILIO quodam loquens, ait: δείσας κατ᾽ ἐνθύμησίν τινα, ὅτι οὐδεὶς πω τῶν ἑαυτοῦ ἀγγέλων πάλιν ἀφίκετο· *territus cogitatione quadam*, (*ſuſpicione quadam, quæ ipſi in mentem venerat*, quemadmodum illic, ſi rem ipſam ſpe-

 ctes,

Digitized by Google

ctes, non malè redditur) *quòd nullus de nunciis, ante ſe miſſis, adbuc rediiſſet.*

Hinc per ἐνθύμησιν diſtinctè à τέχνῃ reſpici poſſet, ad diverſas figuras, & repræſentationes, quibus gentium Numina ſive varia, ſive nonnunquam eadem, diverſis modis pro ingenio inventoris, aut artificis, exhibebantur. Quod ipſum, idolorum horum vanitatem, cultúsque eorum inſaniam, clariſſimè demonſtrabat, ut graphicè oſtendit, OCTAVIUS apud MINUT. FELIC. p. 23. *Quid formæ ipſæ & babitus? nonne arguunt ludibria & dedecora deorum veſtrorum? Vulcanus claudus Deus & debilis: Apollo tot ætatibus levis: Æſculapius benè barbatus, etſi ſemper adoleſcentis Apollinis, filius: Neptunus glaucis oculis, Minerva cæſiis, bubulis Juno: pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis: Janus verò frontes duos geſtat, quaſi ut averſus incedat: Diana interim eſt altè ſuccincta venatrix: & Ephesia mammis multis & uberibus exſtructa: & Trivia trinis capitibus, multis manibus horrifica. Quid ipſe Jupiter veſter? modò imberbis ſtatuitur, modò barbatus locatur: & cùm Hammon dicitur, habet cornua, & cùm Capitolinus, tunc gerit fulmina, & cùm Latiaris, cruore perfunditur, & cùm Feretrius non auditur.* conf. LUCIAN. de *Sacrif.* cap. XI. Inprimis autem commodè quoque poſſet, vox τέχνῃ ad immediatè præcedens λίθῳ, altera autem ἐνθύμησις ad remotiora, χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ referri: quem in finem meminiſſe juvat Canonis illius grammatici, quem Diſſert. VII. ex profeſſo adſtruxi, quòd ſi duobus præcedentibus, duo alia ſubjungantur, horum prius ultimo præcedentium, poſterius autem primo ſeu remotiori, reſpondere ſoleat. Secundùm hunc igitur Canonem, vox τέχνῃ propriè ſpectaret ad *ſtatuas lapideas*, ἐνθύμησις autem, ad *aureas & argenteas.* Et ſanè Veteres Græci ſolebant inprimis artem in *lapideis*, aut quæ in hac relatione eodem loco reputabantur, *eburneis* & *æneis* celebrare, non item in *aureis* & *argenteis*. Unde LUCIANUS pro *Imagin.* cap. XXIII. elegantiora ſimulacra recenſens, aurea & argentea planè omittit, & tantùm loquitur, *de bonorum artificum operibus*, λίθου καὶ χαλκοῦ ἢ ἐλέφαντος πεποιημένοις *è lapide, & ære, vel ebore perfectis.* Imò *Mercurius* accepto à

Jove

Jove mandato, ut primum locum aſſignet Diis aureis, tum argenteis, dein eburneis, & poſt illos æneis, aut lapideis, apud eundem LUCIAN. in *Jove Tragœd.* cap. VIII. reſpondet: *prima igitur ſedilia occupaturos illos ſoli barbarici, utpote plerumque aureos atque argenteos. Græcos enim venuſtos quidem, & boni vultûs,* καὶ κατὰ τέχνην ἐσχηματισμένους, & EX ARTE FIGURATOS, *ſed* LAPIDEOS, *aut* ÆREOS, *aut pretioſiſſimos quidem* EBURNEOS *eſſe.* Cujus generis artificioſarum ſtatuarum, maximam partem Athenis conſpicuarum, plures, paſſim apud Scriptores laudantur, ut inprimis VENUS *Cnidia, Praxitelis*, ex candido lapide, alia *in hortis*, opus *Alcamenis*, SOSANDRA, *Calamidis*, MINERVA *Lemnia, Phidiæ*, v. LUCIAN. *in Imagin.* cap. IV. & *Jov. Tragœd.* cap. X. coll. cap. VII. Quin & modo adducta LUCIANI verba, me ferè eò ducunt, ut ſuſpicer, PAULUM hîc, tam ſimulacra Barbarorum, ex materiâ pretioſiore, ſecundùm inventionem opificis, formata, quàm Græcorum, quæ ars maximè commendabat, tangere voluiſſe, ac ſi dixiſſet: *non putare debemus* τὸ Θεῖον *ſimile eſſe, ſimulacris* AURI ARGENTÍVE PRETIO AUT PONDERE ÆSTIMATIS, *qualia* BARBARI *inprimis colunt*, aut AB ARTE SUA TANTOPERE CELEBRATIS, *qualia præcipuè* GRÆCIA *jactat.*

Non ſine ſingulari autem emphaſi, addit D. *Paulus* τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἈΝΘΡΩ͂ΠΟΥ. Omnem enim planè inſaniam ſuperat, id quod homo ipſe ingenio aut arte ſuâ paravit, religioſo & divino cultu proſequi, cùm illud utique omnem ſuam formam, & præſtantiam, arti, ingenio, & beneplacito artificis ſui debeat, atque adeò non ſolùm opifex operi ſuo longè præſtet, ſed &, ſi opus mente polleret, illum potiùs omni veneratione colere deberet, cui ſoli quicquid eximium habet, acceptum ferre tenetur:

> *Cùm faber, incertus ſcamnum faceretne Priapum,*
> *Maluit eſſe Deum.*

Atque ex hoc ipſo principio non aliàs tantùm Scriptura ſacra hanc gentium inſaniam perſtringit: v. Pſalm. CXV. 4. & CXXXV. 15. & Jeſ. XXXVII. 19. ſed & ipſe LUCIANUS

pro

pro Imagin. cap. XXIII. eandem explodit his verbis: Ἐγὼ δὲ — — — οὐ θεαῖς γε ὦ βελτίστη, εἴκασα, τεχνιτῶν δὲ ἀγαθῶν δημιουργήμασι, λίθου, καὶ χαλκοῦ, ἢ ἐλέφαντος πεποιημένοις· Τὰ δὲ ὑπ᾽ ἀνθρώπων γεγενημένα, οὐκ ἀσεβὲς, οἶμαι, ἀνθρώποις εἰκάζειν. *Ego verò non profecto Deabus, o Præſtantiſſima, ſimilem dixi* (hominem) *ſed bonorum artificum operibus, è lapide, & ære, vel ebore perfectis: Quæ autem facta ſunt ab* HOMINIBUS, *ea ſimilia bominibus dicere, non puto impium.* Meritò huc applicare licet, quod HIEROCLES in *Carm. aur. Pytbag.* p. 46. inculcat: ὅλως γὰρ τὰ χείρωνα τῆς ἀνθρωπίνης οὐσίας οὐ καθήκει τιμᾷν τῷ ἐρωτικῶς ἔχοντι τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀξίας ᾐσθημένῳ· *Omninò enim rebus, quæ ſunt bumanâ naturâ inferiores, eum qui amore Dei teneatur, quique dignitatem ſuam præſentiat, non decet bonorem deferre.*

Ceterùm quando *Apoſtolus* ait, quòd non debeamus exiſtimare, τὸ Θεῖον eſſe ὅμοιον *auro*, *argento* aut *lapidi*, *cet.* non ſolúm craſſiorem illam idololatriam, quâ ſtatuæ ipſæ pro Numinibus colebantur, ſed & ſubtiliorem refutat. Priorem licèt prudentiores inter gentes ipſi riderent, non pauci tamen actu fovebant. Memorabile hanc in rem exemplum exſtat apud DIOGENEM LAËRTIUM Lib. II. 116. ubi narratur, quòd cùm STILPO interrogaſſet DEMETRIUM *Antigoni* filium, *Num Minerva Jovis filia, Deus eſſet?* Hic autem annuiſſet, atque ipſe inſtitiſſet, *At iſta* (imaginem ejus oſtendens) *non Jovis, ſed Pbidiæ* eſt: eóque conceſſo, ſubjunxiſſet: *Non ergo ipſa Deus eſt:* idcircò ad Areopagitas delatus, licèt, ut accuſationem eluderet, ſe rectè locutum aſſeruiſſet, *illam enim non Deum, ſed Deam eſſe, Deos enim mares eſſe,* nihilominus ab illis continuò, urbe ejectus ſit. Eundem errorem non ſolùm tangit, ſed & ejus, ut in ipſam Dei ideam apertiſſimè incurrentis, refutandi, otium nobis iterum fecit LUCIANUS, dum ejus ἀλογίαν breviter ſed nervoſè detegit loco modo adducto, pergens: ἐκτὸς εἰ μὴ σὺ τοῦτο εἶναι τὴν Ἀθηνᾶν ὑπείληφας, τὸ ὑπὸ Φειδίου πεπλασμένον· ἢ τοῦτο τὴν Οὐρανίαν Ἀφροδίτην, ὃ ἐποίησε Πραξιτέλης ἐν Κνίδῳ, οὐ πάνυ πολλῶν ἐτῶν· ἀλλ᾽ ὅρα μὴ ἄσεμνον ᾖ, τὰ τοιαῦτα περὶ τῶν θεῶν δοξάζειν, ὧν τάς τε ἀληθεῖς εἰκόνας ἀνεφίκτους εἶναι ἀνθρωπίνῃ μιμήσει ἔγω γε ὑπολαμβάνω. *niſi fortè tu*

boc

hoc Minervam exiſtimes, quod à Phidiâ effictum eſt, aut illud cæleſtem Venerem, quod fecit Praxiteles in Cnido, ante annos non ita multos. Sed vide, ne parum deceat, talia de Diis ſentire, quorum veras imagines, ſupra humanam imitationem eſſe poſitas, equidem arbitror. Poſteriori addicti erant, qui cautiùs quidem loquebantur, at, cùm, ut plerique ethnici, eſſentiæ Spiritûs, atque adeò & ipſius Dei, debitum conceptum non haberent, ſubtilius aliquod corpus illi tribuebant. Et tales inprimis ſimulacra hæc ad illa Deorum corpora effigiata credebant. Cui rei præcipuè anſam, aut nutrimentum fortè Poëtæ dederunt, dum Deos, hac vel illâ ſpecie, viſos introducebant, quorum delineationibus dein artifices ſimulacra conformabant. Hinc igitur patet, hos quoque, Deos, imaginibus illis, ſimiles crediḋiſſe; dum rudiores adhuc craſſius errantes, imagines ipſas pro Diis colerent. Utrumque errorem ad vivum iterum delineat LUCIANUS *de Sacrif.* cap. XI. Ἔπειτα δὲ ναοὺς ἐγείραντες —— — εἰκόνας αὐτοῖς ἀπεικάζουσι, παρακαλέσαντες ἢ Πραξιτέλην, ἢ Πολύκλειτον. ἢ Φειδίαν· οἱ δὲ οὐκ οἶδ᾽ ὅπου ἰδόντες ἀναπλάττουσι γενειήτην μὲν τὸν Δία —— — ὅμως δ᾽ οὖν οἱ παριόντες ἐς τὸν νεὼν, οὔτε τὸν ἐξ Ἰνδῶν ἐλέφαντα ἔτι οἴονται ὁρᾷν, οὔτε τὸ ἐκ τῆς Θρᾴκης μεταλλευθὲν χρυσίον, ἀλλὰ τὸν Κρόνου καὶ Ῥέας, ἐς τὴν γῆν ὑπὸ Φειδίου μετῳκισμένον, καὶ τὴν Πισαίων ἐρημίαν ἐπισκοπεῖν κεκελευσμένον *Deinde autem templis erectis* — — *imagines ipſis* (Diis) *aſſimilarunt, advocato Praxitele, aut Polycleto, aut Phidia. At hi, neſcio ubi Deos viderint, fingunt barbatum quidem Jovem* — — *ſimiliter autem, templum intrantes, neque Indicum ebur ſe videre putant, neque petitum ex Thraciæ metallis aurum, ſed Saturni & Rheæ filium, à Phidia in terram tranſlatum, & Piſæorum deſerto præſidere juſſum.* Hinc & OVIDIUS Lib. II. *ex Ponto* Epiſt. VIII. 61. canit.

Sic homines novere Deos, quos arduus æther
Occulit: & colitur pro Jove FORMA JOVIS.

Non minus autem ſubtilior ille error ac craſſior, in ipſam Dei ideam injurius eſt, cùm ſumma perfectio, non niſi in Spiritum cadat, & omne corpus imperfectione laboret, atque adeò Deo

corpus, ſive craſſius, ſive ſubtilius, adſcribere, idem ſit ac illi imperfectiones corpori adhærentes tribuere. Tantò majori autem jure id Athenienſibus ob oculos poni poterat, quò magis ipſi aliquando Deorum *ligneorum* & *lapideorum* vanitatem, agnoverunt, licèt aſſentatione in aliud extremum prolaberentur, & eorum loco, mortalem hominem, Deum facerent. Scilicet narrat Athenæus Lib. VI. p. 253. quòd cùm *Demetrius Piliorcetes* Athenas veniſſet, non ſolùm divinis honoribus exceptus ſit, ſed & inprimis Ithyphallico *carmine* publicè cantatum ſit: *Ἄλλοι μὲν ἢ μακρὰν γὰρ ἀπέχουσιν θεοί, ἢ οὐκ ἔχουσιν ὦτα, ἢ οὐκ εἰσὶν, ἢ οὐ προσέχουσιν ἡμῖν οὐδὲ ἕν. σὲ δ᾽ παρόνθ᾽ ὁρῶμεν,* ΟΥ ΞΥΛΙΝΟΝ, ΟΥΔΕ ΛΙΘΙΝΟΝ ΑΛΛ᾽ ΑΛΗΘΙΝΟΝ· *Alii profectò Dii vel abſunt procul, vel auribus carent, vel nulli ſunt, aut rebus noſtris curandis mentem non advertunt, te verò nos præſentem cernimus:* NON LIGNEUM AUT LAPIDEUM, SED VERUM NUMEN.

Ceterùm argumentatio Pauli veriſſima eſt, atque huc redit: ſi ipſi Poëtæ veſtri, nos *Dei genus*, non ſecundùm corpus, *ſed animam*, dixerunt; non magis Deum formâ corporeâ gaudere, ſimulacríſque ſive aureis & argenteis, ſive lapideis ſimilem cenſere debemus, quàm ipſa anima noſtra, certam quandam figuram habet, corporeáeque adeò imagini aſſimilari poteſt.

X X V I.

Hactenus quidem pars orationis Paulinæ ἐλεγχθικὴ, reſtat διδακτικὴ, quâ ſaniora dogmata melioríſque cultûs fundamenta tradere incipit. Quem in finem primùm innuit, adeſſe nunc illud tempus, quo Deus hæc etiam gentibus manifeſtare velit, com. 30. Tum verò capitalem veritatem de univerſali judicio certò certiùs aliquando exſpectando, inculcat, com. 31.

Commendaturus Apoſtolus opportunitatem temporis, quâ Deus gratiæ media, nunc etiam gentibus concedere velit, ait: *Τοὺς μὲν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς τὰ νῦν παραγγέλλει κ. τ. λ.*

Χρόνοι ἀγνοίας ſunt tempora illa præcedentia, quibus Deus verbum ſuum & Legem *Iſraëli ſoli manifeſtaverat*, *neque ita fece.*

fecerat ulli genti Pſ. CXLVII. 19, 20. Epheſ. II. 12. Phraſis ſtilo populorum orientis inprimis convenit, unde & in hunc diem, Arabes tempus ante Muhammeden, quo pleræque regiones, præcipuè in oriente, tenebris ethniciſmi & inſano idolorum cultui, adhuc mancipatæ erant, الجاهلية *tempus ignorantiæ* appellare ſolent, vid. quæ hac de re ſupra p. 165. in *Diſſert.* de Nibchas, monui, & confer. quæ ad locum illic à me adductum, ex Abul Farajim in *Spec. Hiſt. Arab.* adnotat Pocock. p. 343. nec non Gagnier. ad Abulfed. *vit. Muhamm.* p. 18. Videtur autem Apoſtolus hac locutione tacitè ferire voluiſſe Athenienſes, qui non ſolùm cum omnibus Græciæ populis ſapientiam appetebant, ſed & præ reliquis ejus laude maximè hactenus celebrabantur, ut paſſim apud Ciceron. Lib. I. de *Orat.* c. 4. pro *Flacco* c. 26. & *de Officiis* Lib. I. in init. videre eſt, conf. ad ultimum locum not. Muret. Inprimis autem tangit Philosophos Epicureos & Stoïcos, quorum utrique ſuæ ſectæ hanc ſapientiæ laudem arrogabant, conf. Adam. ad h. l. cùm tamen ex illis dogmatibus, quæ Paulus hac oratione refutaverat, clariſſimè pateret, quod cum reliquis gentibus φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν Rom. I. 22. Atque hinc non opus erat, ut Paulus theſin illam de præcedentibus ignorantiæ temporibus propiùs adſtrueret, cùm ea ex dictis ultrò pateſceret. Si enim *gentes*, & inter illas quidem ſapientiæ maximè ſtudioſæ, ut *Græci*, & inter Græcos ipſi *Athenienſes*, imò, quod magis eſt, *ipſi eorum* Philoſophi, ſapientiæ laude præ aliis turgidi, in tam craſſis, ínque prima & certiſſima rationis principia, apertiſſimè incurrentibus, erroribus hæſerint, quibus omnis verus Dei conceptus tollebatur, omníſque rationalis cultûs principia evertebantur, ultrò patebat, tempora illa verè in relatione ad gentes, *tempora craſſiſſimæ ignorantiæ*, fuiſſe.

Pro voce Ὑπεριδὼν *Clar.* Hombergius legit ὑπερείδων *ſuſfulciens*, *ſubveniens*, ac ſi compoſitum eſſet ex ὑπὸ & ἐρείδω. Verùm minùs rectè, cùm emendatio hæc nullius codicis auctoritate nitatur, & recepta lectio, ut R. Wolfius benè monuit, ſatis commodum, imò meliorem, ſenſum fundat. Hunc

 idem

idem Wolfius, cum multis aliis, cenſet eſſe, *deſpicere, cum indignatione contemnere.*

Et ſanè negari nequit, verbum; hoc potiſſimum ſenſu, apud Scriptores græcos, uſurpari. Sic præter loca ab eodem allegata Plato in *Phædr.* p. 1223. ait. Ψυχὴ ὑπεριδοῦσα ἃ νῦν εἶναι φαμὲν, καὶ ἀνακύψασα εἰς τὸ ὄντως ὄν· nec non Ælian. in V. H. paſſim. At neſcio tamen quid duri & coacti explicatio, quam hujus ſignificationis Patroni inde eliciunt, habeat, longéque, fateor, mihi planiorem & ſimpliciorem videri, illam, quam eruditi Belgæ cum Luthero adoptârunt, ut innuatur, Deum *connivendo* quaſi *diſſimulaſſe*, aut *diſſimulatione*, vel *ſilentio transmiſiſſe tempora ignorantiæ.* Quæ & mens videtur fuiſſe Interpretis Syri, dum vertit, ܐܥܒܪ *tranſire fecit*, ut & plurium Interpretum recentiorum, inter quos inprimis duo *Hiſpani*, quorum verſiones rariores ſunt, Cyprianus de Valera & Cassiodorus Regna, verba reddunt: *Anſique diſſimulando Dios los tiempos de eſta ignorancia.* Atque hoc quoque egregiè convenit, illi quod in ſimili argumento Paulus Act. XIV. 16. dixit: Ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν·

Neque credo quiſquam de hoc ſimpliciori verborum ſenſu dubitaſſet, modo ſatis conſtaret, Scriptoribus Græcis verbum ὑπεριδεῖν eadem ſignificatione adhiberi. Verùm licèt exempla fortè hactenus obſervata non ſint, ipſum tamen etymon & generalior verbi notio ex ὑπὲρ & ἰδεῖν eò tendit. Innuit enim propriè geſtum illius, qui oculos non in objectum aliquod defigit, ſed ſuper illo vel trans illud viſum dirigit, quod vel fieri poteſt, quando aliquid non vult animadvertere, & idcircò ita agit, ac ſi id non videat, vel quando illud adſpectu indignum judicat, hócque ipſo geſtu vult ſignificare.

Hinc itaque vi hujus originis ὑπεριδεῖν rectè primùm poteſt accipi, pro aliquid *non animadvertere*, aut *ita agere, ac ſi id non animadvertas*, ſive illud *non curando*, aut, ubi id ceteroquin mereretur, *non puniendo*, quo ſenſu Belgis æquè ac Germanis *iet overzien, etwas überſehen* aut *über etwas hinſehen*, præcipuè adhibetur, quod Græcis quoque παριδεῖν dicitur, ut do-

docuit, pluribúſque exemplis, etiam ubi cum voce ἀγνοίας conjungitur, παρειδεῖν ἀγνοίαν confirmavit PRICÆUS ad h. l. Quibus in tranſitu unum tantùm addam, ubi & contextus vocem ἀγνοίας ſuppeditat, apud ÆLIAN. V. H. Lib. V. cap. XVII. οὐκ ἀργῶς τοῦτο Ἀθηναῖοι παρεῖδον, ἀλλ' ἀπέκτειναν Ἀτάρβην, καὶ οὐκ ἔδοσαν ὅτι ἀγνοίας συγγνώμην· *Non ſegniter id neglexerunt* (inultum prætermiſerunt) *Athenienſes*, *ſed interfecerunt Atarben*, *neque veniam dederunt ignorantiæ*. Deinde autem à geſtu ejus, qui alterum adſpicere non dignatur, etiam *contemnere*, *deſpicere*, ídque etiam,, *cum indignatione*, denotat, quæ ſignificatio inprimis paſſim apud Græcos obtinet. Ceterùm licèt prioris exempla hactenus obſervata non ſciam, non deſunt tamen loca, ubi illa fortè non minori jure, quàm altera *contemnendi*, quæ illi vulgò tribuitur, admitti poſſet. Sic apud ÆLIAN. V. H. Lib. XII. cap. XXII. dicitur, quòd, cùm Græci liberis Trojæ civibus permitterent, ut unum, quod maximè vellent, in humeros ſublatum ſecum auferrent, ÆNEAS Deos patrios humeris portans abſtulerit, ὑπεριδὼν τῶν ἄλλων *negligens cetera*. Ubi ſanè non poteſt, *contemnendi* ſignificatio, inprimis *cum indignatione*, obtinere, quia inter reliqua illa, & Pater erat, quem dein poſt Penates, omnibus aliis rebus prætulit. Rectiùs itaque hîc intelligitur, quòd priùs nullius alterius rei, & ne ipſius quidem Patris curam habuerit, vel ita egerit, ac ſi illum non curaret, quia Penates ante alia omnia aſportanda credebat.

Ita quoque apud JOSEPHUM de B. J. Lib. II. cap. XIX. de CESTIO dicitur: ὁ δὲ, καὶ πρὸς ὀργὴν ὑπεριδὼν, καὶ μὴ πάνυ πιςεύσας, διεμέλλησεν· quod reddunt, *ille verò*, *præ irâ faſtidioſus*, *eiſque nonnihil diffiſus*, *cunctatus eſt*.

Verùm uti faſtidium, non adeò iræ, quàm ſuperbiæ, convenit, ita fortè commodiùs verba accipiuntur, quòd *Ceſtius præ irâ non curaverit oblationem moderatioris partis Judæorum*, qui ſe urbem dedituros polliciti erant, cúmque illis inſuper non ſatis fideret, idcircò oblationem hanc accipere tardaverit.

Atque hac ratione verè quondam Deus tempora ignorantiæ ὑπεριδεῖν, dum gentes in hac ignorantiâ toleravit, nec in illas,

ut potuiſſet, háecque vincibilis, imò voluntaria ignorantia, quâ non curaverant Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει Rom. I. 28. meruiſſet, animadvertit. At nunc alia planè rerum erat facies. Elapſis enim cùm maximè his ignorantiæ temporibus, *annunciabat ubique omnibus, ut reſipiſcant.*

XXVII.

Quid μετάνοια Græcis ſit, M. Antonini verbis Lib. I. §. 10. docuit Steinheilius in *Obſerv.* in nonnull. N. F. loca, Symbb. noſtrarum Literar. T. I. inſertis, p. 1. Ceterùm eam nonnulli tantùm de ſalutari pœnitentiâ uſurpari volunt, atque ita differre à μεταμέλεσθαι, quod quamcunque aliam denotare, cenſent. Verùm non eſſe hoc diſcrimen perpetuum, monuit jam Wolfius ad Matth. XXVII. 3. & Act. II. 38. Nihilominus tamen, ut ſæpe, ſic & hoc præcipuè loco veram & ſalutarem reſipiſcentiam innuit, quæ propriè, ſecundùm vim vocis, in ipſius mentis, conſiliorum & deſideriorum mutatione conſiſtit, ſéque in dictorum factorúmque, ex corde prodeuntium, emendatione, prodit. Hoc ipſum agnoſcit Hierocles in *Carm. Aur. Pythag.* p. 166. ſcribens: ἐπεὶ γὰρ τὸ εἶναι ἀγαθοὶ ἐκπεπτώκαμεν, τὸ γίνεσθαι γοῦν ἀντιλαμβανόμεθα μεταμελείᾳ εὐγνώμονι τὴν θείαν ἐπανόρθωσιν εἰσδεχόμενοι· ἡ δὲ ΜΕΤΑ'ΝΟΙΑ αὕτη φιλοσοφίας ἀρχὴ γίνεται, καὶ τῶν ἀνοήτων ἔργων τε καὶ λόγων φυγὴ, καὶ τῆς ἀμεταμελήτου ζωῆς ἡ πρώτη παρασκευή· Hac in re differt à pœnitentiâ externâ, aut hypocriticâ, quarum illâ quis tantùm à gravioribus, & in oculos præcipuè incurrentibus vitiis, deſiſtit, externíſque cultûs exercitiis litat, hac autem ſpeciem pietatis aſſumit, dum ejus δύναμιν abnegat. Hinc illa veri nominis μετάνοια, ut notum, ex toto corde fit, & cum tranſitu ex tenebris in lucem, & ex poteſtate Satanæ ad Deum, conjuncta eſt Act. XXVI. 18. Quæ præcipuam Evangelii ſummam conſtituit Matth. III. 2. & Marc. I. 15.

Dicitur autem Deus eam annunciare, quia ipſe primus Evangelii Auctor eſt, ejúſque præcones conſtituit, illos mittit, ſpiritu ſuo inſtruit, & per eoſdem, ſuo nomine loquentes, homines

nes ad meliorem frugem invitat Jeſ. LVII. 19. Act. XXVI. comm. 16, 17.

Singularis emphaſeos eſt, quòd Paulus ait τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ· Prior locutio non omnes & ſingulos homines denotat, ad illos omnes enim hoc Evangelii præconium, inprimis illis temporibus, non pervenit, ſed potiùs omnes ſine diſcrimine, tam gentes quàm Judæos, eodem modo, uti πάντες οἱ κακῶς ἔχοντες, ſunt *omnis generis morbis laborantes*, ut rectè in verſione animadvertit LUTHERUS. Matth. IV. 24. coll. VIII. 16. Ita quoque Πανταχοῦ ſignificat *ubique*, *promiſcuè locorum*, ſeu *omnibus ſine diſcrimine locis*, ut Matth. XVI. 20. & Luc. IX. 6. Eadem autem ratione aliàs quoque πᾶσι πανταχοῦ conjungitur, ut Act. XXI. 28.

Atque ita Apoſtolus hoc opponit œconomiæ V. T. ubi gratiæ media ſolis Judæis conceſſa, & intra anguſtos Canaanis limites concluſa fuerant, quæ nunc contrà, omnibus ſine diſcrimine gentibus, concedenda Matth. XXVIII. 19. unde *ſonus præconum Evangelii in omnem terram exiit, verbáque illorum ad fines orbis habitabilis*, Rom. X. 18. Quare nunc, ut ante ſcriptum erat, ἔδει κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι χριστοῦ μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη· Luc. XXIV. 47.

XXVIII.

Huic commendationi opportunitatis temporis, gratiǽque, gentibus nunc oblatæ, jungit D. PAULUS capitalem veritatem, de *ultimo judicio* com. 31. Διότι ἔστησεν ἡμέραν ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ κ. τ. λ. De judicio illo hîc loci fuſiùs agere, præter ſcopum noſtrum eſſet, unde paucis tantùm, quæ ad phraſium illuſtrationem faciunt, præmiſſis, illa, quæ ex intentione Pauli, & circumſtantiis ſermonis ejus, inprimis obſervanda veniunt, breviter ſubjungemus.

Supponimus idcircò non ſolùm, vocem κρίσεως generatim totum, ut vulgò loqui ſolent, proceſſum judicialem, *cauſæ inquiſitionem*, *ſententiæ pronunciationem* atque *exſecutionem* involvere, ſed & ipſam rationem ſatis docere, quòd iſtiusmodi judicium aliquando habendum ſit, quia ſine eo fruſtra lex lata fuiſſet,

fuiſſet, & nec S. Bonum fruſtra quæri, nec ſupremus Dominus temerè lædi poteſt, hujúſque jam in conſcientiâ erectum tribunal, id ipſis gentibus, ſatis clarè denunciavit Rom. II. 15. coll. I. 30. & providentiæ in his terris diſpenſatio, quâ ſæpe bonis malè, malis autem benè fit, idem neceſſarium facit, & præcedanca jam, præcipuè univerſaliora judicia illud confirmant.

Capitalem autem hanc veritatem, tantò majori jure Apoſtolus hîc inculcabat, quò minùs illa à gentibus, & ejus inprimis auditoribus agnoſceretur. Licèt enim ethnici vulgò præmia quoque & pœnas benè vel malè factorum ſtatuerent, multi tamen illa jam in hac vitâ irrogari credebant, & inprimis pœnas in verberibus conſcientiæ, aut vindictâ à furiis ſumtâ, collocabant. De prioribus videatur Pfannerus *Theol. Gent.* Cap. VIII. §. XI. de hac autem inter alios Æschylus in *Eumenid.* qui & furiis hanc ob cauſam propè *Areopagum*, Athenis templum exſtructum fuiſſe tradit v. 1030. vid. ibid. Stanlej. in not. Nonnulli quoque retributionem poſt hanc vitam urgebant, unde *infernale tribunal Æaci*, *Minoïs* & *Rhadamanti*, unde *Elyſii campi*, in quos animæ piorum poſt mortem mitterentur, & *nigra tartara*, quò illæ impiorum, mille ſuppliciorum generibus cruciandæ, detruderentur, nata ſunt. Verùm omnia hæc non niſi de animabus à corpore ſeparatis intelligebantur.

Judicium autem, cui homines ſecundùm mentem & corpus, ad reportandum, quod in utroque egerunt, ſive bonum ſive malum, aliquando ſiſtendi, licèt ipſa ratio quoque non obſcurè docere queat, cùm ex iiſdem principiis, quæ antea tetigimus, ſequatur, quòd uti, non ſola mens benè vel malè egit, ſed actiones per corpus exſeruit, ita quoque in corpore præmium aut pœnam perſentiſcere debeat, non ſolùm ignorabant, ſed & dogma hoc, quando à Chriſtianis inculcabatur, albis dentibus ridebant, vid. quæ hanc in rem attulit *Cl.* Adami. Epicurei inprimis iſtiuſmodi judicium admittere non poterant, quia & cum ſpirituali animæ ſubſtantiâ, ejus immortalitatem, negabant, v. *Cl.* Bruckeri *Hiſt. Crit.* T. I. p. 1271 & 1277. &

& nullam, ut mox videbimus, certò futuram reſurrectionem corporum credebant. Stoici verò & ſolas animas poſt mortem ſuperſtites, ſtatuentes, præmium quoque vel pœnam ulterius extendere non poterant. Imò *S. Rever.* Moshemius ad *Cudworth.* pag. 518. oſtendere ſatagit, illos, quàm ſplendidè etiam loquerentur, verè Doctrinâ ſuâ nullum præmio aut pœnæ locum reliquiſſe, dum omnem felicitatem in virtute, miſeriam autem in vitio ponerent, & voluptatem aut delicias ſapientem non curare ſtatuerent, cruciatum autem & dolorem in malis eſſe negarent. Denique etiam illi inter ethnicos, qui præmium & pœnam verè poſt hanc vitam agnoſcebant, ea ſingulis jam in ipſâ morte diſtribui, volebant. Nulli autem ſolemne & univerſale aliquod judicium, cui *omnes* omninò *homines*, uno tempore, ſeu *die* ad id conſtituto, ſecundùm mentem & corpus ſiſtendi, credebant. Hoc ignorat ratio, ſoláque revelatio tradit. Atque hinc Apoſtolus id meritò auditoribus inculcat. Præterea, ipſæ loci, quò deductus erat, circumſtantiæ, ei maximè opportunam anſam, de hoc argumento diſſerendi, dabant. Stabat in Areopago, loco, ut ſupra viſum, ſummo celebratiſſimóque Athenienſium judicio, quo illi nullum ſublimius, nullum magis pertimeſcendum tribunal, nôrant, imò cui forſan ipſum, ſi quid in verbis eo dignum deprehenderent, ſiſtere in animo habebant. Accedit, quod idem locus ipſi egregiam iterum occaſionem ſuppeditaret, ineptas eorum de Numine cogitationes tacitè tangendi, earúmque ἀλογίαν manifeſtandi.

Eo enim dementiæ delapſi erant, ut & ipſos Deos ſuos, cauſas, quas inter ſe, aut cum hominibus habebant, Areopagitis nonnunquam inquirendas & decidendas commiſiſſe ſtatuerent. Huc facit, quòd Æschylus in *Eumenid.* Minervam introducit cauſam inſtituentem contra Furiarum chorum, apud Areopagitas, ad liberandum *Oreſten*, ipſúmque *Apollinem*, ad teſtimonium ferendum, advenientem. vid. inprimis v. 570. ſeqq. 677. ſeqq. 737. ſeqq. 751. ſeqq. Idem confirmat, *interfectus à Marte Neptuni filius Halirrothius* καὶ ἡ πρώτη ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κρίσις *& primum* (de hac re) *in Areopago judicium*, apud Lucian.

 de

de *Saltatione* cap. XXXIX. vid. plures Scriptores idem argumentum tangentes ibidem in not. Quibus uti nihil dici poterat in Deum indignius, cùm ſupremi Domini & Legislatoris non ſit, judicari, inprimis à creaturis, ſed ipſi potiùs judicium omne in illas competat, ita non immeritò hæc commenta ſalſè ridet idem LUCIANUS, in *Demoſthenis Encom.* cap. X. *Ego ſanè Athenas nactus, pro poëticâ illâ licentiâ, inducerem* ἔρωτας Θεῶν καὶ ΚΡΙΣΕΙΣ, *amores Deorum &* JUDICIA, quæ nempe ipſi quoque Dii, vel exercuerunt, vel ſubierunt. conf. quæ ibidem ex DEMOSTHENE & LIBANIO doctè ut ſolet, attulit eruditiſſimus GESNERUS in not. Denique etiam ibidem Apoſtolus ante oculos habebat Areopago adſtructum *Eumenidum*, ſeu furiarum templum, per quas præcipuè ſcelera puniri credebant.

Inprimis quoque in eadem hac relatione, non ſine ratione ſingularíque emphaſi addit, judicium hoc exercendum eſſe *in juſtitiâ*. Non enim tantùm juſtitia animam omnis judicii conſtituit, quin & ex præcipuis Dei perfectionibus eſt, unde illi ut *judici totius terræ*, in ſacris τὸ ἀνεγκλητοδίκαιον & ἡ δικαιοκρισία, κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur v. Geneſ. XVIII. 25. Pſalm. IX. 9. LXXXIX. 15. XCVII. 2. XCVIII. 9. Sed & licèt Græci de juſtitiâ in judicio Areopagitico obſervatâ, multùm gloriarentur, omniáque ad illam exactè obſervandam egregiè ordinata eſſent, non tamen ea illic ſemper illæſa manebat, ſed nonnunquam etiam ſtolidiſſimæ atque iniquiſſimæ ſententiæ ab Areopagitis ferebantur. vid. SCHEDII *Diſſert. de Areopag.* cap. III. §. V. coll. cap. VII. §. III. Denique quod hic maximè conferri meretur, gentes, ipſos Deos nonnunquam violati juris in hoc judicio Auctores faciunt. Ita ſanè ÆSCHYLUS *Eumenides* introducit v. 643. ſeqq. tam *Jovem*, quam *Apollinem* & *Minervam* injuſtitiæ inſimulantes, quod ORESTEN ab Areopagitis abſolvi curarent. quin & ipſe *Apollo* eam non obſcurè prodit, dum Judices jubet potiùs Jovis conſilio obſequi, quàm jurijurando ſuo, v. 624. additâ ratione

Ὅρκος γὰρ ὔτι Ζηνὸς ἰσχύει πλέον.
Jusjurandum enim non prævalet Jovi.

Ut

Ut adeò idem eſſet, acſi Paulus dicere voluiſſet, fruſtra eſt, quòd ſupremo illo judicio Areopagitico, cui me forſan ſiſtere quæritis, gloriamini; quòd ejus auctoritate veræ religionis progreſſum ſiſtere quæritis; quòd illic ipſos Deos veſtros judicia exercuiſſe atque ſubiiſſe, ſtultâ vobis religione perſuadetis; quòd in furiarum, quarum hîc templum ante oculos habetis, vindictâ, peccati poenam ſtatuitis. Longè aliud, longè ſublimius magíſque pertimeſcendum judicium eſt, cui vos mecum, imò cui omnes ſine exemtione mortales ſiſtendi erunt, utpote quod ab ipſo illo ſummo, vobíſque hactenus ignoto Deo, quem vobis annuncio, habebitur, & ubi cauſæ ſine affectibus aut præjudiciis, ſecundùm ſummam juris *ἀκρίβειαν*, quæ ab ipſo judicio Areopagítico aliquando exſulavit, agentur. Quâ de re ne dubitetis, ſciendum, illi jam dudum *diem conſtitutum eſſe.*

Vox *ἡμέρας diei*, judicio aptiſſima eſt, utpote quæ ipſa Latinis Græcíſque de judicio adhiberi ſolet, unde *diem alicui dicere*, pro aliquem in jus vocare. Inprimis habendo judicio antea dies conſtitui ſolebat, qualis tum *ſtatus condictúſque dies* dicebatur, ut docet Festus. Hinc in *Legg.* XII. *Tabb. Si ſtatus condictus dies intercedit cum hoſte ito.* vid. *Celeb.* Funccii *Commentar.* quo Leges has eruditiſſimè illuſtravit; pag. 101. ſeq. conf. not. ad Gell. Lib. XVI. 4. ubi & de diſcrimine inter *ſtatum* & *condictum* diem agitur.

Fortè quoque non abſque ratione cenſeri poſſet, Paulum tacitè voce *diei* opponere iterum ſupremum hoc judicium, judiciis Areopagiticis. Hæc enim in cauſis capitalibus, aliíſque maximi momenti, noctu agebantur. v. præter Auctores ſupra laudatos Marq. Freheri *Deciſion. Areopag. Sylvula*, in *Theſ. Antiqq. Gronov.* & inprimis Schedius cap. VI. §. 1. qui hanc in rem plures laudat. Illi verò judicio dies conſtitutus eſt, quo *Deus in lucem proferet occulta tenebrarum, & ipſa cordis conſilia manifeſtabit.* 1 Cor. IV. 5.

XXIX.

Hoc autem judicium, Deum habiturum pronunciat ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε.

Prudenter Apoſtolus & ad captum Auditorum, qui myſterium incarnationis filii Dei nec intelligebant, nec intelligere hactenus apti erant, loquitur, quando illum ἄνδρα tantùm appellat. Interim tamen & emphaſis in hac voce eſt, quæ Virum inprimis honoratum denotat, ut ad com. 22. jam monitum. Hinc & Chriſto in oppoſitione præcedentis exinanitionis tribuitur, quando de eo ut exaltato agitur. v. Act. II. 22. & talis inprimis in ultimo illo judicio cum ſummâ gloriâ adveniens *Matth.* XXV. 31. & 1 *Theſſ.* IV. 16. manifeſtabitur. Neque quicquam derogare id nominis, apud gentes, poterat divino Chriſti honori, nam & ipſe *Jupiter* apud LUCIANUM introducitur, Deos alloquens: Ἄνδρες Θεοί. VIRI DII. ut *Jove Tragoed.* cap. XV. Particula ἐν pro *per* ad morem hebr. ב Helleniſtis ſæpiſſimè uſurpatur, neque tamen & Græcis idem inſolens eſt. v. GROT. ad *Matth.* IV. 1. & OLEAR. *de Styl.* N. T. Sect. Exeg. memb. I. §. 2.

Hanc particulam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendam eſſe nonnulli cenſent, quando dicitur ᾧ ὥρισε, quæ & videtur mens Lutheri fuiſſe, dum verba reddit: durch einen mann in welchem ers beſchloſſen hat. Alii exiſtimant pronomen relativum ſe accommodare caſui nominis præcedentis, ſicque ᾧ poſitum eſſe pro ὅν. Verùm licèt id non inſolens ſit, non tamen forſan eo magis quàm priori opus eſt, quia verbum ὁρίζειν etiam hîc non incommodè cum dativo perſonæ conſtrui poteſt, *per Virum* CUI (id) *definivit.* Ita ſanè Medium ὁρίζεσθαι uſurpari ex DINARCHO docet BUDÆUS, & ex eo STEPHANUS, quando ait: ὁρισάμενος ἑαυτῷ ζημίαν θάνατον. Dicitur autem Pater id Chriſto *definiviſſe*, quia illud in æterno conſilio ipſi deſtinaverat. *Act.* X. 42. *Joh.* V. 22, 27. unde & toties in verbo ipſi addixit. cujus conſilii, æquè ac teſtimoniorum Scripturæ, licèt Auditores ignari eſſent, ultrò tamen ex verbis Apoſtoli intelligere poterant, *id ipſi à Deo demandatum eſſe.*

Tanti autem momenti dogma meritò propiùs confirmat, addens: Πίστιν παρασχὼν πᾶσι ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

XXX.

X X X.

Phraſis πίστιν παρέχειν, ex ἅπαξ λεγομένοις eſt, unde de ejus verâ ſignificatione dudum inter Interpretes diſceptatum eſt. Notum eſt, multos πίστιν hîc pro *verbo ſalvifico*, alios pro ipſo *fidei dono* ſeu *facultate credendi*, omnibus non reluctantibus à Deo concedendâ, ſumere: unde verba hæc, eorúmque inprimis verſio à LUTHERO adoptata, und jederman den glauben fürhält, à multis pro gratiâ univerſali trahi ſolent. Verùm, ne dicam, ſenſum inde admodum contortum totíque orationis filo minùs reſpondentem naſci, ſufficiet obſervaſſe, quòd integra phraſis πίστιν παρέχειν Græcis potiùs denotet, *certis atque indubiis argumentis aliquid demonſtrare*, aut *confirmatum dare*; quod non ſolùm eruditi Belgæ animadverterunt, verbáque idcircò reddiderunt, verzekeringe (daarvan) doende/ non ſolùm BOISIUS in *collat.* inculcavit, ſed &, quo fuit candore, inſigne Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ decus, RAPHELIUS in *Semicenturiâ Annotat. Philol.* & præcipuè in notis *ex Polyb. & Arrian.* adductis pluribus exemplis, tam ſolidè adſtruxit, tótque inſuper ex præcipuis Eccleſiæ ſuæ Doctoribus, ſibi ὁμοψήφους, laudavit, ut meritò & R. WOLFIUS ſibi hanc ſententiam non diſplicere, teſtetur.

Publicum autem hujus rei, quod dedit, documentum eſt ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν. Cùm græcum ἀνίστημι eodem modo ut hebræum הקים de quacunque *exhibitione*; aut *conſtitutione* uſurpetur, ſícque de ipſa excitatione Servatoris per nativitatem occurrat, *Act.* II. 30. & III. 22. hîc non ſine ratione additur ἐκ νεκρῶν, ut adeò pateat, de ejus *reſuſcitatione ex mortuis* ſermonem eſſe. De hac iterum ſigillatim non agimus, neque etiam latiùs deducimus, quòd illa κατ' οἰκονομίαν Patri, ut qui in exſecutione operis gratiæ perſonam judicis ſuſtinet, tribuitur, quoniam per eam Servator juſtificatus eſt, dum eâ ſolemniter declaratum eſt, quòd juſtitiæ divinæ plenè ſatisfecerit, v. *Jeſ.* L. 8. & 1 *Tim.* III. 16. Hoc enim iterum Athenienſes non capiebant, quibus ſufficiebat, quòd audirent, Deum *illum ex mortuis ſuſcitâſſe.* Ita quoque cum nexu inter hanc reſuſcitationem, & judicium, à Servatore in tremendo illo die haben-

 dum,

dum, comparatum eſt. Hic ex Scripturâ quidem ſatis manifeſtus eſt, quoniam judicium hoc partem illius gloriæ conſtituit, ad quam Servator non ſolùm ſuſcitatus eſt, ſed & quam ipſi competere, per hanc reſurrectionem, actu declaratum eſt, conf. Rom. XIV. 9. & 2 Tim. IV. 1. Dein quia idem dudum à Prophetis prædictum eſt de Meſſia, *Pſ.* LXXII. 1, 2. *Jeſ.* XI. 3, 4. *Dan.* VII. 13, 14, 26, 27. Hunc autem eſſe Jeſum Nazarenum, præcipuè iterum ex ejus reſuſcitatione conſtabat. *Rom.* I. 4. coll. *Act.* III. 14, 15. V. 31. & XVII. 3. Denique quia ipſe præcedaneum & præliminare judicium in Judæos, à ſe exercendum, ſignum diacriticum conſtituerat, quòd filius ille Dei, & promiſſus Meſſias eſſet *Matth.* XXVI. 64. Verùm uti horum omnium quoque nullum conceptum Athenienſes habebant, ita

1. Illis iterum ſatis eſſe poterat, quòd audirent, eum à Deo ex mortuis eſſe ſuſcitatum. Id enim ſi verum certúmque eſſet, uti Paulus, ſi id flagitarent, non ſolùm demonſtrare poterat, ſed & debebat, in proclivi ipſis erat, inde colligere, Deum in tam extraordinario opere, quod inprimis omnem eorum fidem, ut mox videbimus, ſuperabat, etiam extraordinarium quid intendiſſe, húncque Jeſum ad maximum aliquod opus deſtinaſſe. Hoc autem opus inprimis eſſe judicium illud, vel *Paulo*, cui Doctrina Chriſtiana, quam annunciabat, probè cognita erat, adfirmanti credere debebant, vel ſaltem ab ipſo quoque propiorem hujus theſeos confirmationem exigere, & argumenta eum in finem adferenda, accuratiori examini ſubjicere.

2. Sine dubio autem quædam illorum Paulus diſtinctiùs jam enucleaverat, quia jam antea *Jeſum* & *reſurrectionem mortuorum* annunciaverat, quod ipſum Athenienſibus anſam præbuerat, eum in Areopagum, ad doctrinam ejus diſtinctiùs percipiendam, deducendi. com. 18.

3. Denique, cùm idem, ut ſtatim oſtendemus, ulteriùs pergere in animo haberet, ſine dubio hæc ultrò propiùs expoſiturus atque confirmaturus fuiſſet.

Addit autem Paulus emphaticè *πίστιν παρασχὼν πᾶσι*, *fidem faciens* OMNIBUS. Quoniam nempe reſuſcitatio illa Servatoris

ex

ex mortuis, non clam ſed publicè, & quidem cum talibus circumſtantiis facta erat, ut paſſim ſine diſcrimine, Judæis æquè ac gentibus, ignota eſſe non poſſet. Contigerat enim præſente integrâ cohorte militum Romanorum, qui ad Procerum Judaicorum preces, armati in excubiis ad cuſtodiendum ſepulchrum, ipſius Procuratoris Judææ Pontii Pilati juſſu, conſtituti fuerant, rémque tam extraordinariam atque prodigioſam cum ſummâ conſternatione Hieroſolymis nunciaverant. Ita quoque Deus eandem per indubios teſtes, qui ipſi Jeſum reſuſcitatum viderant, paſſim omnibus, Judæis & gentibus, annunciari curaverat, quorum teſtimonium omnia exploratæ veritatis κριτήρια habebat, atque adeò πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον erat.

X X X I.

Dicebam modo Paulum ſine dubio ulteriùs perrecturum fuiſſe, niſi impedimentum interveniſſet, quod ſermonem ejus abrupiſſet. Patet id clariſſimè, quia cùm prudentis Oratoris partes per omnia obſervârit, & compellatione, exordio atque propoſitione, orationem ritè inceperit, ordinéque dein ſingula deduxerit, dubitari nequit, illum quoque convenienti peroratione finem impoſiturum fuiſſe, niſi filum orationis abruptum fuiſſet. Deinde ipſe Lucas id clarè ſatis indicat, dum aſſerit, *audientes reſurrectionem mortuorum, quoſdam quidem irriſiſſe, alios dixiſſe: audiemus te iterum de hoc. ſicque Paulum è medio illorum exiviſſe.* com. 32, 33. Multus hîc eſt Corn. Adami, ut inquirat, quinam fuerint irriſores, quinam qui amplius deliberandum cenſerent, utrum ut nonnulli volunt, priores Epicurei, poſteriores Stoici? quia Epicureis, *animas mortales ſtatuentibus, reſurrectio incredibilis & impoſſibilis*, ut loquitur, Stoicis, *non planè incredibilis, viſa*: an verò quidam utriusque ſectæ alterutram partem ſecuti ſint, ut alii poſt Augustinum cenſent. Ad nos quod attinet, obſervamus primùm, etiam Epicureis non fuiſſe reſurrectionem abſolutè ἀδύνατον viſam, omninò enim exiſtimabant, eodem fortuito atomorum concurſu, quo primùm corpus natum, idem reſtitui poſſe. Ut docuit Brucker. *Hiſt. Crit. Philoſ.* T. I. pag. 1271. Ita quoque verum eſt quòd Stoicis eadem

eadem non planè incredibilis videretur, ut ex illis quæ *Cl.* Adami attulit, quaéque Grotius, Casaubonus, aliſque ipſi laudati ſummi in litteris Viri, latiùs deduxerunt, patet. Interim tamen certiſſimum eſt, neutris illam admodum probabilem, multò minùs certam atque indubiam habitam; quin contra gentibus generatim ſupra fidem viſam. Ipſe ſanè Apollo eam his verbis explodit, apud Æschyl. in *Eumenid.* v. 650.

Ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀνασπάσῃ κόνις
Ἅπαξ θανόντος, οὔτις ἐστ' ἀνάστασις·

Poſtquam verò viri ſanguinem attraxerit pulvis
Semel morientis, nulla amplius fit reſurrectio.

Alia, pluráque hanc in rem vid. apud Pfannerum cap. XIX. Tum verò inprimis univerſalis illa omnium hominum, quâ redintegrato inter mentem & corpus vinculo, tandem ultimo univerſalique judicio ſiſtendi ſint, paſſim à gentibus, inter aniles Chriſtianorum, ut loquebantur, fabulas, referebatur, ſalſéque ridebatur. Nota ſunt hanc in rem Cæcilii apud *Minut.* verba pag. 10. & 11. ad quem locum videantur commentatores.

Atque ſic nullus ambigo, quin utriusque ſectæ fuerint, qui dogma hoc riderent, & utriusque, qui in rem, aliâ occaſione, propiùs inquirendum cenſerent. Inprimis quia nulla ratio eſt, cur cùm Lucas antea diſtinctè quoſdam ſectæ *Epicureorum*, quosdam autem ſectæ *Stoicorum* memoraſſet, non etiam nunc ſigillatìm indicaſſet, quomodo utrique ſe geſſerint, ſiquidem tam diverſimodè verba Apoſtoli excepiſſent, *Epicurei* quidem cachinnis, *Stoici* ulterioris examinis, alio tempore inſtituendi, declaratione. Ut adeò ex utriusque generis auditoribus, nonnulli quidem, pro adoptatis ſectæ ſuæ hypotheſibus & præjudiciis, dogma hoc, & cum illo totam Doctrinam Apoſtoli, albis dentibus riſerint, alii verò, qui ex prioribus Pauli verbis, graviſſimos, quibus hactenus cum reliquis ſectæ ſuæ aſſeclis, dediti fuerant, errores agnoſcere, contrà veró τὸ λογικὸν Doctrinæ ac cultûs chriſtiani perſpicere incipiebant, neque tamen hoc reſurrectionis dogma, contra quod ratio facilè

non

non exigua dubia nectit, ſatis concipere poterant, ſeriò deſideraverint, Paulum aliâ occaſione propiùs hac de re audire. Imò non improbabile eſt, forſan utrorumque etiam nonnullos ex illorum numero fuiſſe, qui cum DIONYSIO *Areopagitâ*, & muliere DAMARI, Paulo adhærentes, verâ fide Doctrinæ Chriſti adſenſum præbuerunt. Ceterùm de DIONYSIO illo *Areopagitâ*, ejus martyrio, ſcriptis ſuppoſititiis, aliíſque eodem ſpectantibus, nihil addo, videantur, quæ Commentatores ad h. l. attulerunt, & inprimis CORN. ADAMI, & *Cel.* FABRICIUS *Bibliotb. Græc.* Lib. V. cap. I. conf. ejusd. *Lux Evang.* cap. XVII. Quod autem tandem ſæpius laudatus *Cl.* ADAMI circa diſceſſum Pauli ex medio auditorum, adfert, de uſitatâ cauſarum ἀνακρίσει, quâ inquiſitum fuerit, num ἔδει ἀγωνίζεσθαι ἐν τῷ δικαστηρίῳ, & de quorundam qui interceſſerint, ne denuò ad Areopagum traheretur, ab inſtitutâ actione, quòd καινὰ δαιμόνια doceret, eum abſolventium; quod addit de quinque diebus in magnis cauſis conſtitutis, & denique de reo, cui condemnationem metuenti ſe ſubducere atque aufugere licuerit; ea majori doctrinæ apparatu, quàm ad rem hîc dicta eſſe cenſeo. Nullum enim horum omnium, in narratione Lucæ, veſtigium occurrit. Quin potiùs, uti ab initio oſtendimus, nullum planè in univerſâ re geſtâ exſtare indicium, unde colligas, cauſam à Paulo coram judicio actam, ſed potiùs illum amicè à quibuſdam invitatum, brevem doctrinæ, quam annunciabat, ſummam, quamdiu auditorii ſilentium id permittebat, expoſuiſſe; ita dubitari vix poteſt, ulteriori ſermone ejus, partim contemptu & ſannis, partim dilationis in aliud tempus ſignificatione, abrupto, Apoſtolum placidum diſceſſiſſe, ſéque ad ſuos recepiſſe.

DISSERTATIO XXVI.

DE

CONTEMPLATIONE GLORIÆ DEI; in retectâ facie Jeſu Chriſti, & fidelium in eandem imaginem μεταμορφώσει.

AD

2 Cor. III. 18.

I.

Vix illuſtrior in Sacris locus eſt, quo prærogativæ fidelium N. F. luculentiùs panduntur, quàm quem cùm maximè præ manibus habemus. Singula verba, quibus Apoſtolus utitur, inſignis ſunt ponderis, & ſingulare momentum habent, alluſionibus atque emblematibus eadem ſcatent, cum incredibili acumine, ſuaviſſimâ ſeſe venuſtate commendantibus, res autem verbis his traditæ, Fidelium melioris œconomiæ conditionem, ultrà communem non ſolùm mortalium, ſed & priſtini inprimis populi Dei ſortem, quàm longiſſimè evehunt, & cœlicolarum ſtatui tam vicinum reddunt, ut ab illo non niſi gradu differat, quin & ad eundem quàm proximè, quámque certiſſimè, ducat. Ut adeò minimè mirum ſit, quòd non pauci Viri docti loco huic illuſtrando operam inſumſerint, quorum præcipuos laudat *Celeb.* Wolfius in *Curis Crit.* non ſolùm ad hoc caput, ſed & inprimis ad 1 *Cor.* XIII. 12. Quibus addi meretur *Cel.* Venema in Diſſertationibus *de Glorioſ. Moſis facie*, & *facie Moſis retecta*, quæ recuſæ ſunt in ejuſdem *Diſſert. Sacr.* Lib. I. cap. VI. & XII. Verùm uti hi nobis adhuc non exiguum poſt meſſem ſpicilegium reliquerunt, ita & nos hac diſſer-

Digitized by Google

ſertatione experiemur, an fortè aliquid novæ lucis eidem argumento adferre queamus.

I I.

De fidelibus N. F. verba agere, cuivis, rem æquâ judicii lance ponderanti, facilè manifeſtum evadet. Licèt enim Apoſtolus illos hoc capite ſemper in ſecundâ perſonâ compellet comm. 1, 2, 3. contrà autem de ſe ſuisque in opere Domini συνέργοις, in primâ loquatur ibid. ut & 4, 5, 6, & 12. eundem tamen utrosque, tam Adminiſtros, quàm vera membra Eccleſiæ, generaliori illâ locutione, ΗΜΕΙΣ ΠΑΝΤΕΣ NOS OMNES hîc comprehendere, manifeſtum eſt, quia prærogativæ quas illis tribuit, ita ſunt comparatæ, ut non ad Doctores ſolos, ſed ad omnes ſimul fideles ſpectent, ut ex ſequentibus pateſcet. Quare & pro more in ſimilibus circumſtantiis plerumque ſervato, hos cum iisdem conjungit, ut pateat omnes *vocatos eſſe in unâ ſpe vocationis ſuæ* Epheſ. IV. 4. Diſtinctiùs autem eosdem hîc conſiderari in oppoſitione priſtini Dei populi, ex mox dicendis clariùs eluceſcet.

I I I.

Per Κύριον *Dominum*, quæ vox plerumque hebrææ יהוה *Jehova* reſpondet, hîc non *Servatorem*, qui aliàs κατ' ἐξοχὴν ita appellatur, imò *unus Dominus* audit Epheſ. IV. 5. ſed generaliùs, *Deum*, aut ſigillatim *Patrem*, qui jus Deitatis in negotio gratiæ tuetur, intelligi, tum ex hiſtoriâ ad quam alluditur, tum ex eo, quòd Servatoris facies eſt, ut mox audiemus, in quâ Domini hujus gloria conſpicitur, indubium eſt. Hujus itaque gloria, eſt univerſus ille ſplendor perfectionum divinarum, qui præcipuè in operis gratiæ executione relucet, & à fidelibus ritè agnoſcitur, piéque ad ejusdem laudem extollitur. v. Exod. XXXIII. 18, 22. coll. XXXIV. 5, 6. Rom. IX. 23. Epheſ. I, 12, 14. 1 Tim. I. 11. Atque hæc idcircò objectum eſt contemplationis fidelium, qui eandem *in facie retectâ tanquam in ſpeculo intuentur*.

I V.

Præcipua ſe hîc difficultas offert, quænam facies intelligenda ſit? utrum nempe ipſorum fidelium, atque adeò ea ad ſubjectum orationis, ſeu ipſos illos, qui gloriam Dei intuentur, pertineat; an verò ad objectum, in quo gloria hæc conſpicienda præbetur. Prius multis placet, qui exiſtimant, hac ratione opponi fideles N. F. qui facie retectâ gloriam Dei intueantur, Iſraëlitis, de quibus Paulus com. 15. diſertè monuerat: *Verùm in hunc diem usque, quando Moſes legitur, velum cordibus ipſorum eſt impoſitum*, quod comma, Apoſtolum hîc reſpicere cenſent. Alii poſterius eligunt, atque adeò, faciem Jeſu Chriſti intelligunt, in quâ retectâ, ſeu nullo velo coopertâ, ſe Dei gloria conſpiciendam præbeat. Alii rem in medio relinquunt, nec quicquam certi determinare audent. Ad nos quod attinet, ſecundam ex his ſententiam, vero quàm maximè conſentaneam eſſe, arbitramur. Quod ut pateat, duo in anteceſſum, quæ ab omnibus facilè admittentur, præmonenda habemus.

1. Quòd toto hoc capite alludatur ad hiſtoriam, quæ narratur Exod. XXXIV. Scilicet poſtquam Moſes in monte cum Deo locutus eſſet, facies ejus ingentem ſplendorem emittebat, cujus aciem cùm non ferrent Iſraëlitæ, cogebatur ei velum imponere, quoties cum populo ageret, idem autem contra removebat, quando ad Deum reverteretur. vid. com. 29. & ſeqq. Atque his circumſtantiis jam opponit Paulus, quòd fideles N. F. intueantur gloriam Domini *in facie retectâ* &c.

2. Quòd Apoſtolus in toto hoc capite, oppoſitionis leges exactè obſervet. Sic opponit.

א. Miniſterium ipſum Vet. Fœderis Sinaitici miniſterio Novi, comm. 6 — 11.

ב. Illius fœderis Mediatorem Moſen, hujus Mediatori Chriſto, com. 4, 7, 13, & 14. coll. IV. 6.

ג. Fœderatos illius Fœderis, populum Iſraëliticum, fœderatis hujus, ſc. Iſraëlitis ſpiritualibus ſeu fidelibus N. T. comm. 7, 13, 18.

ד. Prærogativam V. F. quod illud fuerit *ἐν δόξῃ in gloriâ*, imò

imò ipſa *δόξα gloria*, comm. 7, 9, 11. prærogativæ N. F. utpote, quod *περισσεύῃ ἐν δόξῃ ſuperabundet in gloriâ*, habeátque *ὑπερβάλλουσαν δόξαν ſuperabundantem gloriam* comm. 9, 10. Eodem ſpectat, quòd illa fuerit *δόξα καταργουμένη*, hæc *μένον* comm. 7. & 11.

II. Utriusque prærogativæ rationem & modum, dum aſſerit gloriæ divinæ, in Veteri Fœdere manifeſtatæ, adſpectum, Iſraëlitis fuiſſe *terribilem*, imò *intolerabilem*, ita ut Moſes idcircò cogeretur, velum faciei, hac gloriâ coruſcanti, imponere, comm. 7. & 13. cùm contra excellentior illa gloria in N. F. manifeſtata, in fidelibus hujus œconomiæ pariat parrheſiam, com. 12. ipſíque adeò eam intueantur in facie retectâ. &c. com. 18.

V.

Quisquis adhæc ſeriò attenderit, facilè intelliget, faciem retectam, hîc objectivè de facie Jeſu Chriſti, eſſe intelligendam.

1. Enim tam hiſtoria ipſa Exod. XXXIV. ad quam Paulus alludit, quàm diſertum Apoſtoli teſtimonium evincit, gloriam Dei ab Iſraëlitis in facie quadam objectivè conſpectam eſſe, unde quando in contemplatione majoris gloriæ fidelibus N. F. tributâ, etiam faciei alicujus fit mentio, oppoſitionis ratio flagitat, ut hæc quoque objectivè accipiatur, de tali facie, in quâ hæc gloria fidelibus N. F. conſpicienda præbeatur.

2. Idem evincit perſonarum, quæ in hoc negotio occurrunt, relatio. Facies enim illa in quâ gloria conſpiciebatur velo tecta, erat facies Moſis, Mediatoris Veteris Inſtrumenti, non autem Iſraëlitarum ſeu fœderatorum. Hinc igitur facies, in quâ ſine velo nunc gloria à fidelibus N. F. conſpicitur, debet quoque eſſe Mediatoris N. F. Chriſti, non verò ipſorum fidelium. Quod ſi quis enim hîc faciem fidelium velit intelligere, atque adeo eam ad ſubjectum, non ad objectum, referre, tota ratio comparationis, quam Paulus conſtanter obſervat, turbabitur, cùm in toto hoc negotio Moſes non Iſraëlitis, ſed Chriſto, ut Mediatori N. F. Iſraëlitæ autem fidelibus, ſeu Fœderati illius fœderis, Fœderatis hujus reſpondeant.

 3. Sed

3. Sed quid argumentatione hîc opus eſt, cùm Paulus ipſe, optimus verborum ſuorum Interpres, rem non obſcurè ita explicet, quando non ſolùm πρόσωπον *faciem*, in quâ gloria Dei ſub V. F. conſpecta erat, *faciem Moſis* fuiſſe docet com. 13. *Et non ſicut Moſes impoſuit velum FACIEI SUÆ, ne Filii Iſraëlis perſpicerent usque ad finem ejus quod aboletur*, ſed & faciem illam in quâ gloria Domini à fidelibus N. F. conſpicitur, eodem orationis filo, *faciem Chriſti* eſſe inculcat cap. IV. 6. *ad illuſtrationem cognitionis gloriæ Dei IN FACIE JESU CHRISTI.*

4. Eodem facit, quòd uti Apoſtolus myſticum velatæ faciei Moſis ſenſum explicans, τὴν παλαιὰν διαθήκην *Vetus Teſtamentum*, cujus Moſes Mediator fuerat, quódque adeò in ipſius perſonâ repræſentabatur, dicit *velo tectum eſſe* com. 14. ita deinde contemplationem fidelium quæ fit ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ myſticè explicans cap. IV. com. 3. ait, *Evangelium non eſſe* κεκαλυμμένον *velatum*, aut *velo tectum*, unde neceſſario quoque *retecta facies* intelligi debet, de facie Mediatoris N. F. in cujus perſonâ hoc fœdus Evangelii, ut Vetus in perſonâ Moſis exhibebatur.

5. Denique nec illud prætermittendum eſt, quòd quemadmodum Paulus, de contemplatione gloriæ Dei in facie retectâ, tanquam *in ſpeculo*, ut mox videbimus, loquitur, ita quoque hîc aliquid ſupponi debeat, quòd *ſpeculi* rationem habeat; tale autem quid in totâ hac oratione non occurrit, ſi phraſis de retectâ facie fidelium accipiatur, at contra id luculenter oſtendi poteſt, ſi locutio de *retectâ facie Chriſti* accipiatur, ipſa enim hæc facies ſimul *ſpeculi* rationem habet, ut in ſeqq. oſtendemus.

V I.

Objici tamen, ne quid diſſimulem, mihi non ſine ratione poteſt, quòd Paulus, com. 15. ſcribens: *Sed in hunc diem usque, quando Moſes legitur, velamen cordibus ipſorum eſt impoſitum*, non obſcurè alludat ad morem, quo Judæi, precibus, vel Legis aut Prophetarum ſcriptis, excitandis atque explicandis,

dis, in Synagogis intenti, caput, velo quodam majori טלית *Tallis* dicto, obnubere ſolent, ut præter alios *Rev. Wolfio* ad hoc comma adductos, docuit præcipuè *Celeb.* LAKEMACHERUS *Obſerv. Philol.* Part. III. Obſ. II. atque adeò videatur, hac ratione tectæ Judæorum faciei, retectam faciem fidelium N. F. opponere. Verùm uti negare nolo, Paulum eò alluſiſſe, ita tamen id rem minimè conficit, neque enim hîc ulla faciei, aut intuitûs, qui fiat velatâ facie, mentio injicitur, cùm contra viderimus, Paulum disertè, *faciem velatam Moſis*, *faciei Chriſti*, opponere. Sed præterea hoc ego quidem commodè noſtræ ſententiæ ſubordinari poſſe exiſtimo. Satis certum enim eſt, hunc morem velandi capitis, ut rectè jam monuit LAKEMACHERUS, non à Moſe aut Moſis temporibus profectum, ſed recentioris originis eſſe, cùm neque in Sacris ejus vola aut veſtigium occurrat, neque *Karræi*, qui Scripturam preſſè rejectis traditionibus ſequuntur, illum agnoſcant. Quare non dubito eum, ſub templo II cum innumeris aliis ritibus externis, à *Traditionariis* introductum eſſe. Neque tamen cum laudato LAKEMACHERO exiſtimem, Judæos illum à Romanorum ſacris mutuatos eſſe. Qui enim perpendit, quantopere ſub templo II à gentium moribus, præcipuè in relatione ad Sacra abhorruerint, ita ut vel ſtrictis mucronibus nudatas cervices objicere, quàm Romanorum ſigna militaria in urbem recipere maluerint, ut JOSEPHUS *Ant. Jud.* Lib. VIII. cap. III. teſtatur, is nunquam ſibi facilè perſuadebit, eos ritum Romanorum idololatricum in ſua ſacra recipere voluiſſe, nec quæ *Vir Clariſſ.* pro hac ſententiâ adfert, ullum (quod abſque honoris, Viro eruditiſſimo debiti, detrimento dictum ſit) momentum aut ſpeciem ſaltem habent. Verùm ex innumeris exemplis patet, & ego inprimis in decantato ritu libationis aquæ in feſto tabernaculorum oſtendi, *Symb. Litt.* T. I. P. IV. illos, cùm externas cerimonias augendo, jugum Legis multis modis aggravarent, à rebus, quarum in Lege aut Prophetis fit mentio, ad eaſdem ſub externis ſignis repræſentandas, aut memoriam earundem recolendam, occaſionem deſumſiſſe. Sic itaque cenſeo, niſi hic mos velandi capitis, tantùm introductus ſit, ad majorem

jorem reverentiam populo, quoties Deum in precibus adiret, aut circa Legem occuparetur, incutiendam, eundem ſimili ratione natum eſſe. Scilicet cùm legerent, Patres ſuos ſplendorem gloriæ divinæ in facie Moſis, quando tabulas Legis ferret, coruſcantis, nudis oculis intueri non potuiſſe, ſed Moſen debuiſſe faciem ſuam velo tegere, ſciréntque ſimul, eundem œconomiam Legis, ut Paulus quoque docet, repræſentâſſe, ad harum rerum memoriam conſervandam, hócque quodammodo imitandum, cùm id aliâ ratione commodè fieri non poſſet, juſſerunt non ſolùm ut *Lex velo involveretur*, quam cerimoniam fuſè explicat Buxtorfius, *Synag. Jud.* cap. XIV. & quò non obſcurè reſpicit Paulus com. 14. ſed & ut populus ad Deum appropinquans aut circa Legem in Synagogis occupatus, velum faciei imponeret, quo idem reſpicit com. 15. conf. locus ex R. Menachem adductus Ainswortho ad Exod. XXXIV. 33. Atque ita hoc eodem recidebat, ut ſcilicet pateret, gloriam Dei, prouti in Moſis facie ſymbolicè ſplendeſcebat, ſeu quod idem eſt, in œconomiâ Legis *manifeſtabatur*, vid. ſupra com. V. & conf. infra com. X. non niſi interveniente velo, conſpici poſſe. Quòd ſi quis exiſtimet, etiam hac ratione, id illi quam ſupra adſtruximus ſententiæ ſubordinari poſſe, quoniam abrogato jam illo ritu caput velandi, fideles nunc facie non velatâ, gloriam Dei intueantur, per me quidem id licèt, ſed Paulum tamen propriè ad *retectam faciem Chriſti* reſpicere, in quâ gloria Dei nunc conſpiciatur, rationes ſupra allegatæ mihi perſuadent. Interim quocumque modo phraſis ſumatur, res ipſa eodem recidit, quia velata facies, ſive objecto ſive ſubjecto, tribuatur, innuit cognitionis modum obſcuriorem, tanquam interpoſito velo, facies autem retecta, clariorem, quaſi ſublato velo intermedio, ut mox dicetur.

VII.

Antequam autem eò progrediamur, vox κατοπτρίζεσθαι, quâ modus contemplationis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti diſtinctius indicatur, paulo propiùs excutienda erit. Deſcendit *illa*,

ut

Digitized by Google

ut notum eſt, ab alterâ κάτοπτρον *ſpeculum*, atque adeò denotat *intueri in ſpeculum*, non verò ut ERASMUS volebat, *repræſentare in ſpeculo.* Docuerunt id jam ex DIOGENE LAËRTIO, ARTEMIDORO, atque SOPHOCLE, fuſiùs Viri græcè Doctiſſimi L. BOS & *Cl.* ELSNERUS ad h. l. Ut adeò tota phraſis Apoſtoli duo involvat, partim *ipſam contemplationem gloriæ Dei*, partim verò modum, quo ea fit, *in retectâ facie Jeſu Chriſti*, & quidem *tanquam in ſpeculo.* Quæ paulò diſtinctiùs enucleanda ſunt.

VIII.

Cùm viſus, licèt oculorum ope peragatur, propriè tamen in ſenſu illo conſiſtat, quem mens interveniente organorum opticorum motu percipit, unde Ariſtoteles jam rectè monuit Νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει *Mens videt, & mens audit*, ſeu ut Judæi dicunt in SOHAR. f. 52. 2. הלב רואה והלב שומע nihil apud Scriptores Profanos æquè ac Sacros magis obvium eſt, quàm ut *videre*, pro ipſâ rei *cognitione*, uſurpetur, nec pro nudâ cognitione tantùm, ſed & ſæpiſſimè pro tali, quâ homo rei alicujus particeps evadens, aut in ejus fruitionem perveniens, eandem per ipſam experientiam intimámque conſcientiam cognoſcit, aut, in rei gratæ contemplatione, ſe ſingulari attentione atque voluptate, occupatum tenet. Quæ omnia præcipuè locum habere, quando Deus videri dicitur, notiùs eſt, quàm ut moneri oporteat. vid. de his omnibus fuſius agens *Celeb.* VITRINGA in diſſert. *de Facie & Poſterioribus Dei* Cap. III. nec non *Clariſſ.* LAMPIUS ad Joh. I. 14. & III. 3. conf. PHILO *de Nomin. mutat.* in init.

IX.

Sic igitur quæ quondam in facie Moſis reſplendeſcebat Dei gloria, nunc in facie Jeſu Chriſti videnda præbetur, quia Deus qui in ſe inviſibilis eſt, in filio ſuo cognoſcitur, unde & *imago Patris* audit 2 Cor. IV. 4. Col. I. 15. & ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ *effulgeſcentia gloriæ ejus & character ſubſiſtentiæ ejus* Heb. I. 3. Inprimis verò quia in

 ipſo

ipſo ut mediatore, operéque ſalutis per eum exſecutioni dato, omnes perfectiones divinæ, gratia, miſericordia, juſtitia, ſanctitas, potentia, veracitas, contemplandæ præbentur, ipſéque eaſdem dictis æquè ac factis manifeſtavit Matth. XI. 27. Joh. I. 18. VII. 16, 17. & XVII. 4, 6. atque ita tam reſpectu æternæ generationis filii à Patre, quàm negotii ſalutis, verum eſt, quod Servator dicebat, *qui me videt, videt illum qui miſit me*, Joh. VII. 45. & XIV. 9. *qui me vidit, vidit Patrem.* Imò ita illum vident, ut ipſum ſuum jam Patrem cognoſcant, experiantur inque eo ut tali piè deliciari queant. Joh. XIV. 7. ſeqq. XVII. 2, 25, 26.

X.

Quod ipſum propiùs indigitatur, quando hæc facies conſideratur ut *retecta*. Monuimus §. IV. & V. Apoſtolum verba hæc opponere illis quæ narrantur Exod. XXXIV., & ipſe tetigit com. 13. ſcilicet quòd Moſes de monte deſcendens, ob ſummum faciei ſplendorem, velum ei impoſuerit, quoties cum Iſraële loqueretur. Cùm autem idem Apoſtolus illud disertè in ſenſu myſtico ad Vetus Teſtamentum tranſtulerit com. 14. ultrò patet, in hac hiſtoriâ tanquam in imagine, propoſitam fuiſſe rationem atque indolem illius œconomiæ, quæ miniſterio Mediatoris Moſis erat introducta. Quod ut clarius intelligatur, obſervandum, quòd non ſolùm res quarum familiariori adſpectu aut propiori cognitione alios arcere volumus, velo ſuperinjecto tegi ſoleant, quemadmodum hanc ob cauſam in Oriente mulieribus nunquam niſi velatâ facie in publicum prodire licet, verùm & ipſa occultatio ad reverentiam perſonis rebúsve conciliandam, aut pro re natâ etiam metum & timorem erga eaſdem incutiendum, ſemper adhibita fuerit. Memorabile eſt, quod NEUHOFIUS, ſolemnem pompam, quâ Legati ad magnum TARTARIÆ IMPERATOREM admiſſi, deſcribens de illo narrat in legat. p. 175. *Hy* (de Keyzer) *zat ontrent dertig treeden van de Gezanten, in zynen heerlycken troon, die van goud en edele geſteenten blonk en glinſterde. De Leuningen ter wederzyde van dezen troon, die de gedaante van twee groote draaken*

draaken uytbeelden, BEDEKTEN HEM ZODANIG DAT DE GEZANTEN VAN HEM NIETS BEMERKEN KONDEN., DAN EEN WEYNIG VAN HET AANGEZIGT. Paulò poſt autem addit: *Dan dit is een gebruyk niet alleen by de Sineezen, maar ook by veele Ooſterſche Volken, dat* HUNNE KONINGEN EN KEYZEREN, ZIG ZELDEN VOOR HUNNE ONDERDANEN, EN NOG VEEL MINDER VOOR UYTHEEMSCHE VOLKEN VERTOONEN, *ook is het van alle gebeugens her, by de Sineesſche Keyzeren onderhouden*; DAT ZE ZIG NOIT AAN EENIGE VREEMDE GEZANTEN NOGTE AAN IEMAND DAN AAN HUNNE HOVELINGEN ZULLEN VERTONEN, *alſſe in haare Majeſteit op den Keizerlyken troon gezeten zyn.* Eodem facit quod de priſcis Sinenſium Imperatoribus breviter monet, *du* HALDE in *Deſcriptione Imperii Sinenſ.* cet. Tom. II. p. 23. *Cependant ces Empereurs ne ſortoit que rarement de leurs Palais*, & MOINT ILS SE MONTROIENT A LEURS PEUPLES, PLUS ILS CROYOIENT SE CONCILIER DE RESPECT. Imò eandem jam artem obſervavit NINYAS, ut & tectè omni voluptatum genere frueretur, & ſimul profundiſſimâ veneratione coleretur, ut obſervat DIODOR. SICUL. Lib. II. cap. 21. ſcribens πρῶτον μὲν γὰρ ἐν τοῖς βασιλείοις τὸν ἅπαντα χρόνον διετέλεσεν, ὙΠ' ΟΥ̓ΔΕΝΟ'Σ ὉΡΩ'ΜΕΝΟΣ, πλὴν τῶν παλλακίδων, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν εὐνούχων· *Primùm enim in regiâ omne tempus exegit, ſic ut A NEMINE CONSPICERETUR præterquam à pellicibus & eunuchis.* & paulò poſt: τὸ γὰρ μηδ' ὑφ' ἑνὸς τῶν ἔξωθεν θεωρεῖσθαι, τὴν μὲν ἀληθοῦς περὶ αὐτὸν τρυφῆς ἄγνοιαν παρείχετο πᾶσι, ΚΑΘΑ'ΠΕΡ ΔΕ' ΘΕΟ'Ν ἈΟ'ΡΑΤΟΝ ΔΙΑ' ΤΟ'Ν ΦΟ'ΒΟΝ ἝΚΑΣΤΟΣ ΟΥ̓ΔΕ' ΛΟ'ΓΩ ΒΛΑΣΦΗΜΕΙ͂Ν ἘΤΟ'ΛΜΑ. *Quòd autem nemini eorum, qui extra erant, ſe conſpiciendum præberet, omnes voluptatis ejus ignaros reddebat, interim tamen UT DEUM INVISIBILEM, NEMO VEL VERBULO OBTRECTARE AUDEBAT.* Quare & *Judæus Interpres* apud MUNSTERUM ad Exod. XXXIV. 29. Moſen, conciliandæ ſibi auctoritatis cauſâ, faciem obtegiſſe cenſet, ſcribens: *Cooperuit Moſes faciem ſuam, cùm loqueretur ad filios Iſraël, quò cum majori auctoritate loqueretur.* Eodem facit quod & gentes ſacra ſua, in primis myſteria (à מסתר *tectum, abſconditum* ita dicta) ut Eleuſinia magna & par-

va, tam ſtudioſè celarent, ne ullis præterquam ſolis initiatis paterent. Nam ut rectè Strabo pag. 717. ait: Ἡτε κρύψις ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν σεμνοποιεῖ τὸ Θεῖον, μιμουμένη τὴν φύσιν αὐτοῦ ἐκφεύγουσαν ἡμῶν αἴσθησιν. *Myſtica Sacrorum occultatio majeſtatem Numini conciliat, imitans ejus naturam effugientem noſtros ſenſus.* Neque aliam ob cauſam introducebant ſemper Deos ſuos nube aut nebulâ præcipuè faciem tectos, & quidem lucidiori ſi benigniùs, obſcuriori ſi irati apparerent, HOMER. *Iliad.* ἑ. ν. 186.

— — — — ἀλλά τις ἄγχι
ἕστηκ' ἀθανάτων νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους.

Sed Deorum aliquis prope adſtitit nube humeros amictus. conf. HORAT. Lib. I. Od. II. ubi v. BENTLEJ. & VIRG. ÆNEID. XII. 416.

Hoc Venus obſcuro FACIEM CIRCUMDATA NIMBO
Detulit.

Quid quod ipſa quoque ſanctiora Deorum ſimulacra, quæ de cœlo lapſa, fabuloſa finxit antiquitas, quibúſque Numina præſentiſſimè adeſſe cenſebant, non ſolùm in occulto ſervari, ſed & nonnulla eorum tota velis involvi ſolebant. Notari hanc in rem maximè meretur, quod de PALLADIS ſigno in Ægypti urbe, Sais dictâ, refert PLUTARCHUS de *Iſid.* p. 354. illud undique peplo tectum fuiſſe, additâ hac inſcriptione: ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΠΑΝ ΤΟ ΓΕΓΩΝΟΣ ΚΑΙ ΤΟ ΟΝ ΚΑΙ ΤΟ ΕΣΟΜΕΝΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΕΠΛΟΝ ΤΟΝ ΕΜΟΝ ΟΥΔΕΙΣ ΠΩ ΘΝΗΤΟΣ ΑΝΕΚΑΛΥΨΕ: *EGO SUM OMNE QUOD FUIT, ET QUOD EST, ET QUOD FUTURUM EST, ET PEPLUM MEUM NEMO MORTALIUM RETEXIT.* Quam egregie igitur velata Moſis facies Veteris illius œconomiæ conditionem repræſentaverit, quivis ad hæc omnia ritè attendens, facilè intelliget.

1. Cognoſcebatur quidem ſub illâ Deus ejúſque gloria in negotio ſalutis olim manifeſtanda, ita ut præcipuæ & ſcitu creditúque neceſſariæ veritates eſſent revelatæ, ſed modo perobſcuro, dum reconditis prophetarum oraculis involutæ & velo legis

legis cerimonialis, quæ *umbram habebat futurorum, quorum corpus in Chriſto*, Col. II. 17. & Hebr. X. 1. tectæ erant, cùm alias tum hanc quoque ob cauſam tunc temporis inprimis אל מסתתר *Deus ſemet occultans* Jeſ. XLV. 15. dici poterat. Accedit, quòd & vi externi illius fœderis, cum omnibus ſine diſcrimine Iſraëlitis initi, *non dabantur oculi ad videndum* Deut. XXIX. 4. quin & multi, licèt ſuâ culpâ & attentionis defectu, aut in externis hærentes, idcircò in verum horum omnium & arcanum ſenſum, Legíſque finem, non penetrarent. Quò PAULUS deſertè reſpicit com. 13. aſſerens. Moſen impoſuiſſe velum faciei ſuæ πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου *ne perſpicerent filii Iſraël usque ad finem ejus quod abolendum erat.*

2. Præcipua autem ratio cur Moſes velum hoc imponebat, erat, quòd Iſraëlitæ ſplendorem hunc ferre non poſſent, nam *cùm Aharon & omnes filii Iſraël viderent Moſen, quòd cutis faciei ejus ſplenderet, timebant ad ipſum appropinquare* Exod. XXXIV. 30. unde & PAULUS ait: com. 7. *ita ut filii Iſraël non poſſent intueri faciem Moſis, propter gloriam faciei ejus, quæ tamen aliquando abolenda erat.* Quod iterum egregiè conveniebat rationi œconomiæ illius. Cùm enim Deus nondum actu placatus, nec peccata per Chriſtum verè jam expiata eſſent, nondum poterant Iſraëlitæ propiori cum Deo commercio frui, ſed ipſe ſe & majeſtatem ſuam, ſub illâ œconomiâ modo magis tremendo manifeſtabat, unde & in montem Sinai horrendis tonitruum mugitibus, & præmicantibus fulguribus deſcenderat, vocémque ex medio nubis atque ignis audiendam præbuerat, *quod phœnomenon tam tremendum erat, ut ipſe Mediator fœderis Moſes, exclamaret: timore perculſus ſum & contremiſcens* Heb. XII. 21. Atque idem per totam œconomiam Legis durabat, ubi Deus ut ignis conſumens in medio populi habitabat, populúmque propiore acceſſu, duplici velo, ad oſtium Sancti & Sancti Sanctorum appenſo, additóque mortis interdicto, arcebat, quin & haud raró in refractarios tremendis ſuppliciis animadvertebat v. Lev. X. 1. XVI. 35. unde carebat populus parrheſiâ apud Deum, imo *metu mortis per totam vitam ſervi-*

tuti ſubjectus erat Heb. II. 15. & Rom. VIII. 15. At longè alia œconomiæ Novi Fœderis eſt ratio. Hîc enim intuentur gloriam Dei in facie Jeſu Chriſti retectâ, dum

1. Gloria hæc longè clarius illûſtriûsque eſt manifeſtata, partim per ipſam negotii ſalutis exſecutionem, *quâ nunc datur videre atque audire, quæ multi Prophetæ & Reges* (aut Juſti) *videre atque audire voluerunt, ſed non viderunt, nec audiverunt.* Luc. X. 24. coll. Matth. XIII. 17. partim per ſimpliciſſimum Evangelii præconium, *quo myſterium, temporibus ſecularibus tacitum, nunc revelatum eſt* Rom. XVI. 25. & velum prophetarum ac Legis umbratilis jam reductum eſt, ita ut fideles nunc ſub N. F. longè acutiùs, quàm quondam cernant, & hoc quoque ſenſu, *minimus in regno cælorum Johanne major ſit.* Matth. XI. 11. Atque hanc clariorem cognitionem Judæis dici *viſionem ſine velo,* Viri Docti jam docuerunt ex RASCHIO ad Num. XXIII. 23. Addam & ipſe egregium locum ex *Mattenot Cehunna* ad VAJIKRA RABBA f. 165. a. fin. באיקונין פי׳ במראה פניו בלי מסך המבדיל *in imagine* i. e. *per intuitum faciei ſine velo diſtinguente.* conf. locum infra adducendum com. XV.

2. Quoniam Deus jam actu per Chriſtum reconciliatus, non amplius populo ſuo terribilis apparet, ſed ejus gloriam, ut placati patris in Chriſto, cum parrheſiâ atque ſancto gaudio intuentes, & per Spiritum, quem acceperunt, non ſervitutis, ſed adoptionis, accedunt ipſi immediatè ad thronum gratiæ Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. Epheſ. II. 18. III. 12. Heb. IV. 16. X. 22. coll. XII. 22, 23. intimóque ſenſu amoris ejus, & fruitione bonorum N. F. gaudentes, in plenâ emphaſi, *guſtant atque vident quòd Jehova bonus eſt* Pſ. XXXIV. 9. *Et cernentes gloriam Chriſti, tanquam unigeniti à Patre pleni gratiâ & veritate, ex ejus plenitudine accipiunt gratiam pro gratiâ* Joh. I. 14, 16. Ad eorum quæ de parrheſiâ fidelium diximus, illuſtrationem, luculenter facit, quod Syris ܐܦܐ ܓܠܝܢܐ *revelatio faciei* plerumque pro *parrheſiâ* aut *fiduciâ* uſurpari ſolet, ut 1 Joh. II. 28. ܘܡܐ ܕܡܬܓܠܐ ܠܐ ܠܐ ܢܒܗܬ ܡܢܗ ܐܦܐ

Digitized by Google

ܐܝܟ ܠܗܘܐ ܠܢ ܓܠܝܘܬ ܐܦܐ ܒܡܐܬܝܬܗ

ut quum manifeſtabitur, non pudore ſuffundamur ab ipſo, ſed RETECTIO FACIEI *ſit nobis* (in Græco ἔχωμεν παῤῥησίαν) *in adventu ejus.* v. & IV. 17. Phil. I. 20. Heb. III. 6. X. 19. 35. Inſignis eandem in rem locus exſtat, apud SEVERUM *Alexandrinum Patriarcham*, in libro rariori de *ritibus Baptiſmi* pag. 102. ubi in voto poſt baptiſmum adhiberi ſolito, Sacerdos ait:

ܢܟܠܠܟܘܢ ܒܟܠܝܠܐ ܕܙܕܝܩܘܬܐ ܘܒܥܒܕ̈ܐ ܛܒ̈ܐ

ܘܒܓܠܝܘܬ ܐܦܐ ܬܗܘܘܢ ܐܡܝܢܐܝܬ ܫܘܝܢ ܠܐܪ̈ܙܘܗܝ

ܩܕܝܫ̈ܐ *coronet vos coronâ juſtitiæ & operibus bonis, ut* IN FACIE RETECTA, (parrheſiâ) *ſemper digni ſitis, myſteriis ejus ſanctis.*

X I.

Uti autem Paulus hac phraſi, contemplationem gloriæ divinæ, quæ fidelibus N. F. conceditur, præ illâ Vet. œconomiæ extollit, ita ejuſdem tamen imperfectionem præ illâ, quæ poſt hanc vitam exſpectatur, ſimul oſtendit, quando eam aſſimilat contemplationi *in ſpeculo.* Quod partim res ipſa ſatis arguit, quia contemplatio in ſpeculo, utpote, quæ mediate radiorum repercuſſione peragitur, ſemper eſt debilior atque infirmior illâ, quæ coram & immediatè fit: partim verò locus parallelus Apoſtoli, id extra omnem dubitationis aleam ponit, quando 1 Cor. XIII. 12, inquit: βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι. *Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate.* Non ignoro quidem præter *Cel.* L. Bos ad h. l. pleroſque recentiores Interpretes exiſtimare, vocem ἔσοπτρον illic non ſpeculum, ſeu corpus quod radios reflectit, ſicque imaginem repræſentat, ſed *ſpeculare*, ſeu corpus pellucidum, quod radios tranſmittit, quale eſt ſpecularis lapis, cornu, aut, quo nunc plerumque utimur, vitrum, denotare; idque duabus potiſſimùm de cauſis; primò, quia Paulus dicat fideles cernere *δι' per ἐσόπτρου*, quod non ſpeculo ſed ſpeculari convenire volunt, deinde

inde autem, quia Paulus phraſin à Judæis mutuatus videatur, qui eodem modo locutione ראה באספקלריא de *viſione per ſpeculare* ſæpiſſimè utantur. v. *Doctiſſ.* SCHÖTGENIUS in H. H. ad h. l. & *Celeb.* HARENBERGIUS in Diſſ. ſub præſidio *Cl.* OLDERMANNI quondam habitâ, quam recudi cum *Celeb.* HASÆO curavi in *Theſauro Novo Diſſert. Theol. Phil.* Tom. II. pag. 833. Verùm licet eruditiſſimorum horum mihíque amiciſſimorum Virorum Doctrinam impenſè venerer, hîc tamen diverſum ab illis ſentire, & cum antiquioribus Interpretibus, qui ad unum ferè omnes, vocem de *ſpeculo* accipiunt, facere, ſalvâ amicitiâ noſtrâ mihi integrum erit. Cujus rei ſequentes habeo rationes.

I. Quod omnium conſenſu conſtat, ἔσοπτρον *ſpeculum* in quod introſpicimus, denotare. Notior res eſt, quàm ut exemplis confirmari opus habeat. En tamen, ſi vis unum atque alterum. ANACREON Ode in ſe ipſum

Λαβὼν ἔσοπτρον ἄθρει
Κόμας μὲν οὐκέτ' ἐούσας
Ψιλὸν δέ σου μέτωπον.
Accipiens SPECULUM ſpecta
Comas quidem non amplius eſſe,
Prorſus autem nudam tuam frontem.

& in Puellam

Ἐγὼ δ' ἔσοπτρον εἴην
Ὅπως ἀεὶ βλέπῃς με·
Ego autem SPECULUM eſſe velim
Ut ſemper adſpectes me.

vid. & PLUTARCH. in *Conjug. Præcept.* aliquoties. Verùm neque ipſe Græcè Doctiſſimus L. Bos, neque quiſquam alius vel unicum hactenus ex ullo Scriptore græco exemplum attulit, quo vox hæc de *ſpeculari* adhiberetur, quòd enim Gloſſæ Veteres ἔσοπτρον per *ſpeculum* & *ſpeculare* explicant, quiſque videt rem minimè conficere, cum earum partim tanta eſſe auctoritas nequeat, ut idcircò

idcircò contra omnium Veterum Scriptorum uſum, voci huic nova ſignificatio tribuatur, partim verò Græci ſequioris ævi *ſpeculum* & *ſpecular* confundere ſoleant, ut pluribus docuit SALMASIUS in *Exerc. Plin.* pag. 771. conf. & quæ hanc in rem ex Scriptoribus latinis attulit PRASCHIUS ad PHÆDR. Lib. III. *Fab.* VIII.

2. Neque eſt, ut quis exiſtimet, forſan ſcriptores N. F. hîc ſibi aliquid, Græcis ſcriptoribus minus uſitatum, indulgere. Nam præterquam, quod nec ejus rei ullum veſtigium exſtet, ex his potiùs contrarium colligere licet. Occurrit tantùm ſemel adhuc vox hæc, ſed & ibi de SPECULO clariſſimè adhibetur Jac. I. 23. *Si quis audiat tantùm verbum & non faciat, ſimilis eſt Viro contemplanti faciem ſuam nativam* ἐν ἐσόπτρῳ *in ſpeculo.* Contra quando de re pellucidâ & tranſparente ſermo eſt, vox διαφανὴς, quâ & aliàs *ſpecularia* inſigniri ipſe *Celeb.* BOS monuit, adhibetur, ut Apoc. XXI. 21 *Et platea urbis aurum purum,* ὡς ὕαλος διαφανὴς *inſtar pellucidi vitri.* Utrumque quoque apud alios ſcriptores, quorum ſtylum ſæpiſſimè illi N. F. imitari ſolent, ut INTERP. ALEXAND. & APOCRYPHOS obſervare licet, v. Exod. XXX. 34. Jeſ. III. 21. Sapient. VII. 29. & Syracid. XII. 13.

3. Ante omnia verò ipſe PAULUS, mentem ſuam ſatis explicat, quando 2 Cor. III. vocabulum κατοπτρίζεσθαι, 1 Cor. XIII. autem alteram phraſin βλέπειν δι' ἐσόπτρου adhibet. Uti enim in utroque loco de eadem re agit, & verbum κατοπτρίζεσθαι *intueri in ſpeculum*, vel *tanquam in ſpeculo* denotat, vox ἔσοπτρον autem apud Græcos nunquam aliter, quàm de *ſpeculo* uſurpatùr, ita dubitari cum ratione nequit, alteram phraſin, βλέπειν δι' ἐσόπτρου, eodem ſenſu de viſione quæ *mediante ſpeculo* peragitur, accipi debere. Poſſet fortè hoc non incommodè eo ipſo illuſtrari, quòd & apud alios Scriptores, quando de eadem re agunt, verba κατοπτρίζεσθαι & ἐσοπτρίζεσθαι alternant. Sic quod DIOGENES LAËRTIUS in *vita Socratis* Lib. II. Segm. 33. narrat: Ἠξίου δὲ καὶ τοὺς νέους συνεχῶς ΚΑΤΟΠΤΡΙΖΕΣΘΑΙ ἵν' εἰ μὲν καλοὶ εἶεν ἄξιοι γίγνοιντο, εἰ δὲ αἰσχροὶ, παιδείᾳ τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν. *Voluit autem, ut juvenes ſe cre-*

bro in SPECULO CONTEMPLARENTUR, *quò ſi formoſi eſſent*, *dignos ſe* (formâ illâ) *præſtarent* : *ſin deformes*, *diſciplinâ deformitatem obtegerent.* Id PLUTARCHUS in *Conjug. præcept.* his verbis refert : ὁ Σωκράτης ἐκέλευε τῶν ἘΣΟΠΤΡΙΖΟΜΈΝΩΝ νεανίσκων τοὺς μὲν αἰσχροὺς, ἐπανορθοῦσθαι τῇ ἀρετῇ· τοὺς δὲ καλοὺς μὴ καταισχύνειν τῇ κακίᾳ τὸ εἶδος. *Socrates juſſit juvenum IN SPECULO SE CONTEMPLANTIUM*, *deformes quidem*, *formæ vitium virtute corrigere*, *formoſos autem non dedecorare pravitate formam.*

X I I.

Nec quæ contra objiciuntur, tanti momenti ſunt, ut non facilè ſolvi queant. Huc ſpectat

1. Quòd Apoſtolus non dicat, *in ſpeculum inſpicere*, ſed δι' ἐσόπτρου videre. Hinc enim minimè ſequitur, non notionem *ſpeculi*, ſed *ſpecularis*, obtinere debere. Nihil enim notius eſt, quàm quòd particula διὰ cum ſecundo caſu, ſæpiſſimè de *omni inſtrumento*, quo mediante aliquid peragitur, uſurpatur. vid. ex innumeris locis 1 Cor. III. 15. IV. 15. XV. 2. XVI. 3. 2 Cor. V. 10. 3 Ep. Joh. com. 12.

2. Quòd Paulus ſermonem ſtilo recepto Judæorum accommodaverit; hi autem phraſi ראה באספקלריא ſæpius utantur, pro *videre per ſpeculare.* Si enim poſterius hoc, vel maximè verum eſſet, quis tamen non potiùs *Paulum* ex *Paulo*, quàm ex ſcriptoribus Judæorum explicandum eſſe cenſeat? cúmque ipſe aliàs phraſin *intueri in ſpeculum* in eodem negotio adhibeat, eandem & hîc loci ejus mentem fuiſſe credat? Interim id ipſum quod in hac objectione ſupponitur, ſcilicet, quòd phraſis illa Judæis denotet *videre per ſpeculare*, penitus negamus, contráque audacter adfirmamus, eam nullum alium ſenſum habere, quàm quem nos phraſi Paulinæ vindicavimus, idémque in loco noſtro, uno verbo, κατοπτρίζεσθαι innuit, nempe *videre in ſpeculo*, vel *mediante ſpeculo.* Certè vox אספקלריא Veteribus Judæis *ſpeculum* ſignificare indubium eſt. Ita uſurpatur apud INTERPRETEM CHALDÆUM Job. XXXVII. 18. ubi verba: *Expandis cum eo æthera tenuiſſimum*, *firmum* כראי מוצק

ut

Digitized by Google

ut ſpeculum fuſum, hic כאספקלריא סנינא reddit. In eundem ſenſum quoque BARTENORIENSEM vocem interpretari ad *kelim* Cap. XXX. m. 2. quando ſcribit, eſſe מראה של זכוכית שהאשה רואה את פניה ובלע״ז אכפקלא *Speculum vitreum in quo fœmina intuetur faciem ſuam, vernaculè dictum SPECULO*, quin & RASCHIUM & ABARBANELEM eandem fovere ſententiam, ipſe *Celeb.* HARENBERGIUS rectè agnoſcit loc. adducto pag. 835. BARTENORIENSIS mentem ulteriùs explicat JOM TOBH ad eundem locum *kelim* ולפי זה פתרנו בלשון אשכנז שפיג״ל *& ex hac ſententiâ explicatio ejus Germanicè eſt SPIEGEL.* Simili ratione vocem exponit DAVID DE POMIS in *Lexico* ſcribens: אספקלריא מראה *ſpeculum, Specchio.* Et COHEN DE LARA in *Ir David* אספקלריא p אספקלריות פי׳ המראה latinè *Specular*, *Speculare*, *Specularium: idem quod Speculum*, *hiſpanicè Eſpejo*, *vidriera.* Neque modo adducti ſolùm, ſed plerique omnes Judæi ita ſentiunt, imò ſi quemcumque tibi obvium rabbinicè ſatis doctum interrogabis, quid in hac locutione ſit אספקלריא non aliud reſponſum feres, quàm ein Spiegel. Primus autem (quantum deprehendere potui) MAIMONIDES eſt, qui, uti lubens ab aliis diſcedit, ita & in hac phraſi, de novâ vocis ſignificatione cogitavit, quemadmodum & ipſe eandem ex duabus vocibus ספק & ראיה compoſitam cenſet, manifeſtiſſimo errore, cùm nihil certius ſit, quàm eſſe Græcum σπεκλάριον *Speculare*, unde meritò eo nomine notatus eſt eidem R. COHEN DE LARA in *Cetber Cebunna* his verbis כמשמעו — —

אספקלריא בר״ מראה. וכמה נשתבש הר״ם בפי׳ המלה הזאת כאשר קרה לו באסתנם וזולתן. כי גזר אותה לשתים (כלים פל״ מ״ב) ואציעה לך הנה דבריו למען תדע ובחנת כמה ידיעת לשון יונית עושה בכמו אלה הענינים. הוא המכסה אשר יעשה לראות מאחוריו והוא אצלו מלה מורכבת ספק ראיה וכו׳

 Iſte-

Iſpeklarja - - ſecundùm ipſum vocis ſonum in linguâ latinâ denotat ſpeculum. Quantopere autem errat Maimonides in ejus interpretatione! quemadmodum ipſi evenit ex infirmitate mentis, aut ſimilibus cauſis, dum vocem in duas ſecat (in comment. ad kelim cap. XXX. miſn. 2.) Exhibebo tibi autem ipſa ejus verba, ut ſcias atque explores, quantum proſit cognitio linguæ græcæ in iſtiusmodi rebus. (Ita autem ſcribit:) *Eſt operimentum quod conficitur, ut quis à poſteriori parte per illud proſpiciat, & ex meâ ſententiâ eſt vox compoſita ex* ספק ראיה *Sapbek raija*, &c. Refutato autem hac ratione Maimonide, ipſe dein veriorem ſententiam confirmat atque illuſtrat, addens loco adducto אספקלריא המאירה eſſe in linguâ vernaculâ (luſitanicâ) *Eſpagio claro aut limpio* אספקלריא מלוכלכת (או) כצוחצחת eſſe אספקלריא שאינה מאירה *ſpeculum non lucidum.* Quod ſi Maimonides in etymo vocis toto cœlo aberravit, illius fides, non immeritò, & in novâ ejuſdem ſignificatione aſſignandâ, ſuſpecta erit.

XIII.

Ut autem de integræ phraſeos ראה באספקלריא uſu, &, quam illi aſſignavimus, ſignificatione, non ſolùm propiùs conſtet, ſed & omnia hæc ad ſcopum noſtrum ſimul referamus, dico omninò *Paulum*, in his phraſibus, ſe recepto inter Judæos loquendi mori, accommodaſſe, & ſecundùm hunc, *viſionem Dei*, quæ in terris conceditur, rectiſſimè atque elegantiſſimè *viſionem in ſpeculo*, aut *per ſpeculum*, appellaſſe. Nihil enim in Rabbinorum ſcriptis magis obvium eſt, quàm quòd mediatam cognitionem, qualis in his terris obtinet, eadem phraſi inſigniant, imò & pro majori minoríve hujus gradu de viſione באספקלריא מאירה ובאספקלריא שאינה מאירה *in ſpeculo lucido*, & *minùs lucido*, aut באספקלריא מצוחצחת ומלוכלכת *in ſpeculo claro*, & *obſcuro*, loquantur. Satis magnam locorum farraginem collegi, ſed cùm eorum benè multa ab aliis, & inprimis ab eruditiſſimo illo rerum rabbinicarum promo condo, *Cl.* SCHÖTGENIO adducta videam, adferam tantùm nonnulla, quæ aliorum diligentiam effugerunt. Ita Auctor libri

bri *Neve baſſchalom* f. 90. a. וזה אמר׳ משה הביט באכפקלרי׳
מצוחצח׳ ושאר הנביאין באספקלריא שאינה מצוחצחת *Et*
hoc eſt quod dixerunt, Moſes VIDIT IN SPECULO LUCIDO, Prophetæ verò IN SPECULO NON LUCIDO. JOSEPH ALBO in *Sepher Ikkarim* f. 80. b. אבל ישעיה למה שהיה
משתמש בנבואה גם על ידי הכח המדמה שקראוה רז״ל
אספקלריא שאינה מאירה הביאו זה לטעות ולדמות בכח
המדמה שראה את השם והוא בעצמו פירש שהשגתו זאת היתה
בטעות ועל ידי הכח המדמה ובאר שהסבה בזה היתה
שלא היתה חומרו מזוקק כחמר משה רבינו וזהו שאמר כי איש
טמא שפתים אנכי וגם מדותיו לא היו כראוי וזהו שאמר ובתוך
עם טמא שפתים אנכי יושב כי הישיבה בין האנשים רעי
המדות יפסידו מדות האיש הטוב ובעבור זה היה מתאונן ואמר
אוי לי כי נדמתי כלומר שנתפעלתי מן הכח המדמה ואין נבואתי
באספקלריא המאירה כנבואת משה שהיה שומע את הקול
מדבר אליו מזולת שיראה תמונה לנגד עיניו אבל אני להיות
נבואתי באספקלריא שאינה מאירה שהיה באמצעות הכח
המדמה לא יכולתי לשער השגת דבור מבלי ראיית צורה
מדברת וזאת גרם לי להיותי איש טמא שפתים ושהייתי בתוך
עם טמא שפתים ולזה אני מתאונן ואומר אוי לי כי נדמתי
לפי שאת המלך צבאות ראו עיני וזרע אני שזהו פעל הכח
המדמה כי הוא יתברך בלי ספק אי אפשר ליחס אליו שום
תאר ולא תמונא אפילו במראה הנבואה למתנבא באספקלריא
המאירה וזהו שאמרו רז״ל מנשה הרג את ישעיה ואמרו מידן
דייניה וקטליה אמר לו משה רבך אמר כי לא יראני האדם

 וחי

וחי ואתה אמר׳ ואראה את אדני ואמרו שהיה יכול להשיב על זה ולא השיב לפי שידע שלא יקבל תשובתו ומרה שהיה יכול להשיב הוא כי אפילו באותם העובדים בדורו של משה נאמר עליהם ויראו את אלהי ישראל לפי שלא היה השגתם באספקלריא דנאירה וגו׳ *Sed quoniam Jeſaias uſus eſt prophetiá etiam per virtutem imaginatricem* (ita ut non verè videret Deum, ſed phantaſiæ tantùm objiceretur, atque eum ſe videre putaret) *quam Rabbini B. M. appellant SPECULUM NON LUCIDUM* (idcircò hæc verba Jeſaiæ) *tranſtulerunt ad errorem, & aſſimilationem, per virtutem imaginatricem, quá vidit Deum, ipſéque explicuit mentem ſuam, quod perceptio hæc fuerit per errorem & virtutem imaginariam, & declaravit, ejus cauſam eſſe, quòd corpus ejus non fuerit ita purgatum, ut Moſis magiſtri noſtri, atque hoc eſt quod dicit, nam vir immundus labiis ſum, & qualitates* (virtutes) *ejus non ſatis convenientes fuerunt, atque hoc eſt, quod dicit, & in medio populi immundi labiis habito, nam habitatio inter homines pravarum qualitatum, corrumpit mores viri boni. Et propterea dixit* (Jeſaias) *Hei mihi! nam perii, quaſi diceret, quia occupatus ſum in facultate imaginatrice* (ludit in voce דמה quâ Jeſaias utitur, quæ aliàs etiam imaginari denotat) *neque prophetia mea eſt IN SPECULO LUCIDO, quemadmodum prophetia Moſis, qui audivit vocem ipſum alloquentem, præterquam quòd & viderit ſpeciem coram oculis ſuis. Ego verò cùm prophetia mea ſit in SPECULO NON LUCIDO quod eſt medium virtutis imaginatricis, non poſſum attingere ſermonem ſine viſione formæ loquentis: atque hoc mihi evenit, quia ſum Vir immundus labiis & dego in medio populi immundi labiis. Idcircò igitur lugeo & dico, Hei mihi! nam perii quia Regem Zebaoth viderunt oculi mei, ſcio autem, quod hoc opus eſt facultatis imaginatricis, nam ipſi Deo benedicto ſine dubio non poteſt tribui ulla forma aut ſpecies, etiamſi in viſione propheticá, ad vaticinandum PER SPECULUM LUCIDUM. Hoc autem eſt quod dixerunt Rabbini noſtri B. M. Manaſſes occidit Jeſaiam, ratio autem quare eum condemnaret atque occideret, eſt, ut ipſe dixit: Moſes magiſter*

tuus

Digitized by Google

tuus dixit, non videbit me homo & vivet, tu verò dixiſti, & vidi Dominum (Jeſ. VI. 1.) *Addunt autem quòd facilè ipſi reſpondere potuiſſet, ſed non reſpondit, quia ſciebat, ipſum reſponſionem ſuam non accepturum, ceteroquin enim reſpondere potuiſſet, quòd de ipſis illis, qui Moſis ævo vixerunt, dictum ſit, & viderunt Deum Iſraëlis* (Exod. XXIV. 10.) *quoniam nec ipſi pervenerunt ad SPECULUM LUCIDUM, &c.* In tranſitu autem moneo ne quem offendat, quòd Judæi hîc Jeſaiæ errorem in viſione tribuant, non eo ipſo eos dicere velle, quòd in Jeſaiæ vaticinio erroneum quid occurrat, ſed tantùm, quòd Jeſaias æquè ac alii prophetæ, non verè Deum, vel objectum aliquod oculis externè repræſentatum, viderit, ſed tantùm, quòd in exſtaſi ſe id videre exiſtimaverit, licèt verè nihil oculis externè contemplandum exhiberetur: Ceterùm pluribus de hac viſione in *ſpeculo lucido* & *minus lucido* quoque agit R. MOSES LANIADO in *kele Pas* f. 36. & 37. quæ huc tranſcribere chartæ anguſtia vetat. Aliàs iidem Rabbini dicunt, quòd omnes alii Prophetæ viderint בתשע אספקלריות *per novem ſpecula*, Moſes autem באספקלריא אחת *per ſpeculum unum*, ut in *Vajikra Rabba* f. 16. fin. legitur. conf. *Bechai* in Leg. f. 128. col. 4.

X I V.

Uti autem ex his omnibus manifeſtum eſt, *viſionem in ſpeculo*, certum cognitionis gradum denotare, ita inſuper patet, *ſpeculum* hîc *medii* inſtar eſſe, quo interveniente aliquid cognoſcitur. Hinc & aliàs in ſimilibus locutionibus, media, quibus res alias cognoſcere datur, *ſpeculis* comparari ſolent. Huc facit quòd PLUTARCHUS de *Iſid. & Oſirid.* loco à *Clar.* ELSNERO ad 1 Cor. XIII. tacto, animalia ἔσοπτρα Θεῶν *ſpecula Deorum*, &, quod hîc præcipuè conferri meretur, auctor libri *Sapientiæ* VII. 26. ſapientiam ipſam appellat ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας *Speculum immaculatum potentiæ Dei.* Eodem modo PINDARUM hymnum dixiſſe *ſpeculum*, in quo res geſtas virtutéſque cujuſdam celebres poſſimus intueri, monet PIER. VALER. *Hieroglyph.* pag 523. Atque ita eleganter contemplatio gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti, *viſio in Speculo* dicitur, quia

quia ipſe Chriſtus eſt medium quo interveniente, ut ſupra vidimus, Deus & Pater in ſe inviſibilis, quadam veluti radiorum repercuſſione, à fidelibus cognoſcitur, ſpeculíque adeò vicem fidelibus præſtat. Pulchrè huc & in plenâ emphaſi accommodare liceret verba PHILONIS in libr. de *Somniis* ab *Ill.* GROTIO ad l. c. *Sapientiæ* tacta καθάπερ γὰρ τὴν ἀνθήλιον αὐγὴν, ὡς ἥλιον, οἱ μὴ δυνάμενοι τὸν ἥλιον αὐτὸν ἰδεῖν, ὁρῶσι, καὶ τὰς περὶ σελήνην ἀλλοιώσεις, ὡς αὐτὴν ἐκείνην, οὕτω καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ εἰκόνα, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον, ὡς αὐτὸν κατανοοῦσιν. *Sicut qui ſolem ipſum intueri non poſſunt, ejus repercuſſum ſplendorem ut ſolem vident, & lunæ mutationes, pro* (lunâ) *ipſâ, ita quoque Dei imaginem, nuncium ipſius ſermonem, tanquam ipſum comtemplantur.*

X V.

Ex dictis jam facilè pateſcet, quomodo viſio, quæ in cœlis locum habebit, etiam illam, quæ in N. T. obtinet, immenſum quantum adhuc ſuperabit. Illa enim non ſolùm ſine velo, ſed etiam ſine interveniente medio, quod ſpeculi vicem habebit, fiet, dum beati Deum & perfectiſſimè & immediatè cognoſcent, ſícque cognito perfectiſſimo modo fruentur. Hoc eſt quod *Pſaltes* appellat: *Ego verò in Juſtitiâ VIDEBO FACIEM TUAM ET SATIABOR IMAGINE TUA POSTQUAM EVIGILAVERO.* Pſ. XVII. 15. & *Johannes* 1. Ep. III. 2. *poſtquam autem manifeſtatus erit, EI SIMILES ERIMUS, ET VIDEBIMUS IPSUM SICUTI EST. Paulus* verò adhuc magis emphaticè 1 Cor. XIII. 12. *Videmus verò nunc per Speculum in ænigmate, TUNC VERO FACIE AD FACIEM*, quod ſtatim explicat, *nunc cognoſco ex parte, TUNC VERO COGNOSCAM QUEMADMODUM COGNITUS SUM.* Quæ locutio & ipſa Judæis inuſitata non eſt. Hinc quando deſcribere volunt, Moſis præſtantiam præ omnibus aliis Prophetis, inter alia eo referunt, quòd cum ſummâ parrheſiâ intrepidus faciem attollens, quæſiverit Deum intueri אנפוי באנפוי *facie ad faciem.* Inſignis hanc in rem locus ex *Sohar* adductus eſt à *Clar.* SCHÖTGENIO ad 1 Cor. XIII. Addam illi non minus egregium ex eodem antiquiſſi-

mo

mo libro P. III. f. 129. 1. בכמה דרגין עלאין ויקירין
אתפרש משה נביא׳ מהימנ׳ על כל שאר נביאי דעלמא דהא
כלהו לקבליה כקוף בפני בני נשא שאר נביאי׳ הוו מסתכלי
באספקלרי׳ דלא נהיר ועם כל דא לא הוו זקפן אנפין
לעילא לאסתכלא אלא כמה דכתיב ואני הייתי נרדם
על פני ופני ארצה ולא עוד אלא דמלין לא הוו גביהי
באתגלייא׃ ומשה נביאה מהימנא לאו הכי דהוא הוה
מסתכל באספקלרי׳ נהיר וקאים בקיומי ולא עוד אלא
דהוה זקיף רישא לאסתכלא כמאן דאמר לחבריה זקיף
רישך ויסתכלון אנפך באנפי בגין דתנדע מלי כך משה
פנים אל פנים זקיף רישא בלא דחילו אנפוי זקפאן
ומסתכלי בזיו יקרא עלאה ולא אשתני דעתוי ואנפוי כשאר
נביאין דכדהוו נבאן לאסתכלא נפקי מרשותיהו ומדעתיהו
ואשתני זיו אנפייהו דלא הוי ידעי מהאי עלמה כלום ומשה
לאו הכי וגו׳ *Quot gradibus ſupremis & glorioſis Moſes Propheta fidus diſtinctus fuit ab omnibus reliquis Prophetis mundi! quod ecce omnes fuerunt in relatione ad ipſum, ut ſimia reſpectu hominum. Reliqui Prophetæ intuiti ſunt in ſpeculum non ſplendens, atque inſuper non ſuſtulerunt faciem ſurſum, ſed quemadmodum ſcriptum eſt* (Dan. X. 9.) *& ſopore obrutus cecidi in faciem meam & facies mea fuit verſùs terram. Neque hoc tantùm, ſed nec verba inter illos fuerunt dum revelatio ipſis fieret. Cum Moſe autem Prophetâ fido res ſe ita non habuit: ipſe enim intuitus eſt in ſpeculum ſplendens & ſtetit firmiter: neque hoc tantùm, ſed ſuſtulit caput, ad intuendum, quemadmodum homo dicit ſocio ſuo, attolle caput tuum, ut FACIES TUA INTUEATUR FA-*

Digitized by Google

CIEM MEAM (ſeu ut *INTUEAMUR NOS* ΠΡΟΣΩΠΟΝ ΠΡΟΣ ΠΡΟΣΩΠΟΝ) *quò noſcas verba mea. Sic Moſes* ΠΡΟΣΩΠΟΝ ΠΡΟΣ ΠΡΟΣΩΠΟΝ *SUSTULIT CAPUT ſine TIMORE, SUSTULIT FACIEM SUAM AD INTUENDUM SPLENDOREM GLORIÆ EXCELSÆ, neque mutata eſt cognitio & facies ejus, ut reliquorum Prophetarum, qui cum venerunt ut intuerentur, facultatem & cognitionem ſuam amiſerunt, & mutatus eſt ſplendor faciei ipſorum, neque quicquam de hoc mundo ſciverunt. At non ita comparatum fuit cum Moſe &c.* Interim hæc licèt phraſin egregiè illuſtrent, non tamen ita accipienda ſunt, ac ſi Moſes actu Deum immediatè & *facie ad faciem* viderit, ſed potiùs, ſignum gloriæ divinæ immediatè conſpexit, ſine interveniente velo, cùm enim deſideraret ipſam faciem Dei videre, reſponſum tulit, *faciem meam videre non poteris, neque enim videbit me homo & vivet* Exod. XXXIII. 20. Quod & ipſi Judæorum magiſtri probè intellexerunt, unde quemadmodum de Moſe tam magnifica prædicant, quod & ſine velo (conf. ſupr. dicta) & longè clariùs quàm reliqui Prophetæ, imò immediatè externum gloriæ divinæ ſignum adſpexerit, ita tamen ſimul fatentur, quod faciem Dei immediatè non viderit, unde Raschi ad *Jevamoth* f. 49. 2. נסתכלו באספקלריא שאין מאירה ובסבורים לראות ולא ראו ומשה אסתכל באספקלריא המאירה וידע שלא ראהו בפניו *Viderunt* (Prophetæ) *in ſpeculo non lucido, & in imaginatione, quòd viderent, ſed non viderunt, at Moſes vidit in SPECULO LUCIDO, ET NOVIT, QUOD NON VIDERET ipſum de facie.* Cum quo minimè pugnat, quod Moſes tamen dicitur cum Deo locutus eſſe, *facie ad faciem*, aut *ore ad os* Exod. XXXIII. 11. hoc enim planè differt à τῷ *videre facie ad faciem*, neque aliud dicit, quàm quod *immediatè cum Deo locutus ſit.* Ita rectè rem, ex ſententiâ R. Saadiæ, explicat Bechai in *Leg.* fol. 128. col. 3. הנה נבואת שאר הנביאי היתה באמצעות מלאך כי המלאך היה שומע הקול הנפלא והיה מודיעו אל הנביא ומשה רבינו היה ממלה מקומו

של

של מלאך כי הוא היה שומע קול הדבור הנפלא בעצמו בלא אמצעי וזהו שכתוב פנים אל פנים: *Ecce autem prophetia reliquorum Prophetarum fuit interventu angeli. Angelus enim audiebat vocem mirabilem, eámque indicabat Propheta: Moſes autem magiſter noſter implevit locum angeli: ipſemet enim audivit vocem mirabilem, immediatè* (nemine interveniente) *atque hoc eſt, quod ſcriptum, FACIE AD FACIEM.* Hinc itaque ultrò patet, Moſen loqui potuiſſe, *facie ad faciem*, ſeu immediatè cum Deo, licet eum non immediatè videret. Unde JONATHAN rectè phraſin illam non ſolùm explicat *ſermone pro ſermone*, ſed & ſtatim addit קול דיבור שמע ונגה פניו לא ראה *vocem ſermonis audivit, ſed ſplendorem faciei ejus non vidit.* Quæ omnia egregie conveniunt illis, quæ *Apoſtolus* loco noſtro 2 Cor. III. 18. coll. 1 Cor. XIII. 12. tradit, quod fideles N. T. quoque *videant gloriam Dei in facie Jeſu Chriſti ſine velo*, ſed tamen *tanquam in ſpeculo, non verò, facie ad faciem*, utpote quod demum poſt hanc vitam ipſis exſpectandum ſit. Atque hoc ultimum quoque tam Moſi, quàm omnibus fidelibus, in futurâ vitâ demum reſervatum eſſe, clariſſimè iidem Judæi aſſerunt. En illuſtrem locum quo utrumque aſſeritur in *Jalkut Rëubeni* f. 109. 2. quando ad verba Moſis, *oſtende mihi gloriam tuam*, non ſolùm dicitur Deum reſpondiſſe, *non potes videre faciem meam*, ſed & mox ſubjungitur

ולא יהיב ליה רשותה עד דנפיק נשמתיה לקיים מה שנא׳ כי לא יראני האדם וחי וכל נשמתא דצדיקייא אתיהב ליה רשותה למנדע ולאתדבק מה דלא יכיל בעלמא הדין

neque datum eſt ei quod petebat, niſi donec moreretur, ut ratum fieret, quod dictum eſt: non enim videbit me homo & vivet: atque ita quoque omnibus MENTIBUS JUSTORUM DATUR ID COGNOSCERE ATQUE ASSEQUI, quod in hac vitâ non potuerunt. Hinc paſſim inculcant Judæi juſtos in futurâ vitâ perfectâ Dei viſione fruituros. Sic R. MEIER in *Avodat hakkodeſch* f. 52. 3. hæc verba adducit *ex Midraſch Tanchuma*

 לעולם

לעולם הבא אני נגלה בכבודי על כל ישראל והם רואים
אותי וחיים לעולם שנ׳ כי עין בעין יראו בשוב יי ציון

In ſeculo futuro ego revelabor in gloriâ meâ omnibus Iſraëlitis, & ipſi me videbunt & vivent in ſeculum, quemadmodum dicitur, (Jeſ. LII. 8.) *nam oculo ad oculum videbunt, cùm reducet Jehova Zionem.* Idque ita ut velum, & quicquid in hac vitâ perfectiori illi viſionis gradui obfuit, tunc removendum atque abolendum ſit. Sic idem *Auctor.* f. 52. 4. ait:

וזה רמזו רבותינו ז״ל בתעניות פרק ראשון באמרם שמפתח
תחיית המתים בידו של הקב״ה ולא נמסרה ביד שליח שנ׳
וידעתם כי אני יי בפתחי את קברותיכם וסוד הכתוב כי בזמן
התחיה ידעו דעת שלמה את יי כי יסור המסך המבדיל והיא
זוהמת הנחש בסבת יצר הרע אשר בו יבערו ויכשלו מלדעת
ומהכיר את השם הגדול ובזמן התחיה בהסתלק המונע הרבה
דעת את יי כמים לים מכסים :

Atque id indigitârunt Rabbini noſtri B. M. in (Tractatu) *TAANIJOTH* (de jejuniis) *cap. I. quando dicunt, quòd clavis reſurrectionis mortuorum eſt in manu Sancti Benedicti, neque tradita eſt in manum legati, quemadmodum dicitur* (Ezech. XVII. 13.) *& cognoſcetis, quod ego ſum Jehova, dum aperuero ſepulchra veſtra. Arcanum autem hujus loci eſt, QUOD TEMPORE RESURRECTIONIS COGNOSCENT DOMINUM COGNITIONE PERFECTA, QUIA RECEDET VELUM DISTINGUENS, atque hoc eſt inquinamentum ſerpentis per concupiſcentiam malam, quâ homines obbruteſcunt, atque offendunt, quò minùs intelligant atque cognoſcant Deum magnum. Tempore autem reſurrectionis, quando RECEDET, ID QUOD PROHIBEBAT, AUGEBITUR COGNITIO DOMINI, ut aquæ fundum maris operientes.* Idem & *Muhammedani* agnoſcunt, præeunte *Pſeudopropbetâ* ſuo, his verbis

اكرمهم علي الله من ينظر الي وجهه غدوة وعشية

maximo inter ipſos (Paradiſi incolas) *in honore apud Deum eſt,*

QUI

QUI FACIEM EJUS MANE ET VESPERI CONTEMPLATUR. Quem ſequitur ALGAZALIUS, ſcribens, Auctarium quod benefacientibus à Deo promittatur, eſſe النظر الى وجه الله *intuitum faciei Dei*, in quo voluptatem omnium maximam, *ſummam felicitatem* & *ultimum amœnitatis gradum conſtituit*, ut docet POCOCKIUS in not. *Miſcellan. ad Portam Moſis* pag. 304. unde in tranſitu patet, *Muhammedanos*, ſaltem prudentiores, minimè tam ineptos eſſe, ut beatitatem futuræ vitæ, propriè in voluptate corporeâ, vel ſaltem in illâ ſolâ ſitam eſſe, contendant, conf. *Celeb.* RELAND. de *Relig. Mohammedicâ* Lib. II. §. XVIII. En tibi igitur B. L. in loco noſtro, præcipuè quando cum altero illo 1 Cor. XIII. 12. confertur, *triplicis viſionis gloriæ Dei gradum*, ſtylo Scripturæ Vet. Inſtrumenti æquè ac Doctorum Judaicorum, egregiè convenientem! *imperfectiorem*, qualis ſub œconomiâ Legis obtinebat, *in facie velatâ* ſeu *velo tectâ*, *perfectiorem* ſub œconomiâ Evangelii *in facie retectâ*, ſed tamen *tanquam in ſpeculo*, atque adeò clariorem quidem, at nondum immediatum, *perfectiſſimum* autem, qui in cœlo locum habebit, *ſine velo* & *ſine ſpeculo*, *facie ad faciem*.

XVI.

Hujus autem ut tandem participes evadant, accedere debet inſignis *mutatio*, quam Apoſtolus priori prærogativæ, per conſtructionem participii κατοπτριζόμενοι, tanquam cum illâ indivulſo nexu cohærentem, imò ejus quandam ſequelam ſubjungit, addens: *transformamur in eandem imaginem à gloriâ in gloriam tanquam à Domino Spiritu.* Mittimus hîc Philoſophorum de formâ internâ & externâ diſputationes, obſervamúſque tantùm, verbum μεταμορφόω cum derivatis, tam de mutatione interiori ipſius naturæ aut conditionis, quàm externâ faciei & ſtatûs rerum, uſurpari. Priori ſenſu OVIDIUS primam creaturarum ex *Chao* formationem, ut & *mutationis hominum in animalia*, *arbores* &c. ſub metamorphoſeôn nomine comprehendit; & CALLISTHENES Μεταμορφώσεως, DIDYMARCHUS Μεταμορφώσεων βίβλους, ANTONINUS LIBERALIS Μεταμορφώσεων συναγωγὴν & LUCIUS JATRENSIS Μεταμορφώσεων λόγους ſcripſit. Poſteriori mu-

tationem coloris, quam polypodibus Veteres tribuunt, his verbis refert ÆLIAN. *Var. Hiſt.* Lib. I. cap. I. Ὑπὸ ταῖς πέτραις κάθηνται καὶ ἑαυτοὺς εἰς τὴν ἐκείνων μεταμορφοῦσι χροιάν. *Sub ſcopulis ſedent, & ſemet ipſos transformant in eorundem colorem.* Idem Lib. XIV. cap. VIII. de *Polycleto*, ex ſententiâ vulgi imaginem, quam parabat, ſemper immutante, narrat: Καθ' ἕκαστον τῶν εἰσιόντων μετετίθει τι, καὶ μετεμόρφου, πειθόμενος τῇ ἑκάστου ἐξηγήσει· *ex ſingulorum intrantium mente aliquid mutabat, & transformabat, uniuscujusque monitis morem gerens.* Atque ita quoque glorificatio Servatoris in monte *metamorphoſeos* nomine venit, ſimúlque in quo conſtiterit ita deſcribitur à Matthæo cap. XVII. com. 2. Καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν καὶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ Ἥλιος· τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς. *Et transformatus eſt coram ipſis, & fulſit facies ejus inſtar ſolis: Veſtimenta autem ejus facta ſunt candida inſtar lucis.* Quæ omnia egregiè huc quadrant. Scilicet innuitur, ut notum eſt, hac μεταμορφώσει fidelium, inſignis illa totúmque hominem pervadens mutatio, quâ non ſolùm mens, cum omnibus facultatibus intellectûs & voluntatis, innovatur, ſed &, quæ hac ratione intrinſecus in corde cœpta, etiam extrinſecus, in totius vitæ omniúmque actionum emendatione, ſe prodit. Ita *Paulus* eam deſcribit Rom. XII. 2. *Neque conformamini huic mundo* ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν SED TRANSFORMAMINI PER INNOVATIONEM MENTIS VESTRÆ, *ut exploretis quænam ſit voluntas Dei bona, accepta & perfecta.* Aliàs eadem ἀνακαινώσεως *innovationis* nomine ſæpius venit Epheſ. IV. 23. Col. III. 10. phraſi reſpondente Judæorum locutioni התחדשות נפש ut docuit *Celeb.* VITRINGA *Obſerv.* Lib. III. monente *Cl.* WOLFIO in *hor. Crit.* ad loc. adduct. Rom. XII. Quemadmodum autem hæc metamorphoſis incipit in regeneratione, ita eadem perficitur in ulteriori ſanctificatione, quò Paulus propriè reſpicit, quia de talibus loquitur, qui regeniti jam erant.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Eſt autem illa in *eandem imaginem.* Imago hæc non alia eſſe poteſt, quàm ipſius Dei & præcipuè Patris, cujus gloria in facie Jeſu Chriſti tanquam in ſpeculo repræſentatur. Mirum itaque hoc eſt ſpeculum, in quo fideles non propriam ſuam imaginem, ut in ſpeculo Legis Jac. I. 23. ſed, ut ex antecedentibus manifeſtum eſt, gloriam Dei, in illo exhibitam, contemplantur. Eleganter hîc confert *Celeb.* ELSNERUS admirabile illud ſpeculum in fano *Proſerpinæ*, referente PAUSANIA in *Arcadicis* cap. XXXVII. *in quod ſi quis inſpiceret, ſuam imaginem aut obſcure aut omninò non videret, ſed Deorum ſimulacra & thronum clarè liceret contemplari.* Eſt autem imago hæc Dei eadem, ad quam primus homo erat conditus Gen. I. 27. Quæ uti in rectâ cognitione & caſto amore Dei intemeratáque totius hominis ſanctitate conſiſtebat, ita in eandem transformatur iterum, quando harum perfectionum poſtliminiò particeps, ſicque Deo denuò ſimilis redditur, ut ex Col. III. 10. Epheſ. IV. 24. adeò notum eſt, ut vix moneri opus habeat. Tantùm obſervo, hæc quoque cum reliquiis ſanioris doctrinæ inter Judæos, egregiè convenire. In cognitione ſanè Dei & ſanctitate aut juſtitiâ ABARBANELEM, MANASSE BEN ISRAËL alióſque prudentiores *imaginem Dei* in homine conſtituere, pluribus docuit JOH. A LENT in *modernâ Theol. Judæor.* Cap. IX. Sic R. SIMEON BEN JOCHAI in *Sohar* f. 107. 1. cujus verba in compendio exhibet SALOMON ALGASI in מעלפת ספירים pag. 14. b.

כשהאד' צדיק יש על פניו צלם אלקי' ואז כל הבריות זוקפות עיניה' ורואות אותו הצלם ומתיראות ממנו ואף חיות ברא ועוף שמיא אבל כשהאדם רשע נסתלק ממנו צלם אלקי' ונדמה בעין הבריות כבהמה *Quando homo juſtus eſt, in facie ejus conſpicitur imago Dei, omnéſque creaturæ cum ipſis feris deſerti & volucribus cœli, oculos ſuos aperientes, videntéſque imaginem hanc, illum metuunt: Sed quando ipſe malus evadit, recedit*

cedit ab ipſo imago Dei, & in oculis animalium ſimilis fit pecori.

XVIII.

Emphaticè autem hanc metamorphoſin Apoſtolus aſſerit fieri ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν *à gloriâ in gloriam.* Supponit primùm hæc locutio, quòd in hac imagine vera fidelium gloria conſiſtat, imò ea ſit quaſi ἀπαύγασμα aliquod, ſeu reſplendeſcentia quædam, gloriæ Dei, qualis & ſecundùm litteram in facie Moſis coruſcabat. Cui ex doctrinâ avitâ Judæorum & phraſibus in eadem receptis non parum lucis accedit. Sanè ſplendorem faciei Moſis, *gloriam* disertè appellat, imò quoddam gloriæ divinæ ἔκτυπον fuiſſe aſſerit ABEN ESRA ad Exod. XXXIV. 29. quando ad verba, *& Moſes neſcivit, quòd coruſcaret pellis faciei ſuæ, dum loqueretur ſecum*, ita commentatur: הטעם בדבר אתו השם וזה בעבור שנראה הכבוד על פניו על כן הזהירו כזוהר הרקיע: *Senſus eſt, dum cum ipſo loqueretur Deus, factum autem hoc eſt, quoniam GLORIA CONSPICIEBATUR IN FACIE EJUS, idcircò illuſtravit illam, inſtar ſplendoris expanſi.* Imò, quod magis huc faciat, cum imagine Dei ſplendorem gloriæ divinæ in Adami facie conjunctum, eúmque quidem poſt lapſum deperditum, ſed in Moſe per ipſum illud commercium cum Deo, nec non in Davide, & ſimilibus fidei heroibus, reſtitutum fuiſſe, quin & in diebus Meſſiæ in fidelibus reſtituendum eſſe, ipſi quoque Judæi teſtantur. Loca qui deſiderat, adeat VOISIN. in not. ad *R. Iſraël.* diſſert. *de anima* pag. 176. ſeq. & EISENMENGER. im entdeckten Judenthum P. II. cap. XV. quorum compilare ſcrinia, noſtrum non eſt. Phraſis ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν *à gloriâ in gloriam* incrementum hujus gloriæ innuit, more loquendi Scriptoribus ſacris ſatis familiari. Sic Pſ. LXXXIV. 8. מחיל אל חיל *à robore in robur*, & ἐκ πίστεως εἰς πίστιν *ex fide in fidem* Rom. I. 17. Tale incrementum hîc in terris obtinetur per ulteriorem ſanctificationem, Apoc. XXII. 11. & innovationem, quæ fit ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ 2 Cor. IV. 16. Perficietur autem tandem atque conſummabitur poſt hanc vitam, in illo ſtatu, *qui glorificationis* nomine, in omni emphaſi, venire ſolet, Rom. cap. VIII. com. 30. coll. com. 17. In hoc ſtatu, præter omnium facul-

facultatum perfectionem, etiam propriè dictum quendam ſplendorem à corporibus refulſurum, nos inſignia loca Dan. XII. 3. Matth. XIII. 43. 1 Cor. XV. 41. ſeqq. dubitare minimè ſinunt. Quod ipſum quoque ex veteri Patrum doctrinâ Judæi paſſim urgent. vid. EISENMENGER. loc. adduct. & cap. XVII. pag. 959. ubi inter alia ad Dan. XII. 3. de juſtis dicitur, illis verbis affirmari: שאותם הקמים יהיו פניהם מאירים ומזהירים כספירים לאות על דביקותם בזיו השכינה *quòd eorum, qui reſurgent*, FACIES LVCEBVNT ET SPLENDEBVNT INSTAR SAPPHYRORVM, IN SIGNVM COHÆSIONIS IPSORVM CVM SPLENDORE SCHECHINÆ (gloriæ divinæ.) Atque ita per metamorphoſeos hujus conſummationem, *uti portarunt imaginem terreſtris, ſic portabunt quoque imaginem cæleſtis* 1 Cor. XV. 49. quin & ipſa eorum corpora transformata, glorioſo corpori Chriſti, conformia, evadent. Phil. III. 20.

XIX.

Cauſam hujus metamorphoſeos Apoſtolus indicat addendo καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος· Nonnulli quidem hîc vocem κύριος ab alterâ πνεύματος regi exiſtimant, verbáque adeò reddunt, *tanquam à Domini Spiritu.* At nos potiùs cum illis facimus, qui duo hæc vocabula per appoſitionem conjungi volunt, illáque idcircò reddunt *tanquam à Domino Spiritu*, id eſt, *à Domino, qui eſt Spiritus.* Id enim non ſolùm optimè convenit ſimplicitati conſtructionis, cùm ceteroquin potiùs dicendum fuiſſet, ἀπὸ πνεύματος κυρίου *à Spiritu Domini*, ſed & idem comma præced. flagitat, ubi dictum erat, τὸ δὲ πνεῦμα ὁ Κύριος *Spiritus autem eſt Dominus.* Πνεῦμα enim illic non ad prædicatum orationis pertinere, nec verba reddi poſſe *Dominus autem eſt Spiritus*, ſed potiùs ad ſubjectum, evidens eſt, quia aliàs articulus τὸ planè ſupervacaneus foret, & ex genio linguæ Græcæ potiùs dici debuiſſet ὁ δὲ κύριος πνεῦμα, unde & rectè INTERPRES SYRUS verba ܡܢ ܡܪܝܐ ܪܘܚܐ reddit.

Huic Spiritui Apoſtolus tribuit μεταμόρφωσιν fidelium. Neque enim vox καθάπερ *tanquam* hîc comparationi inſervit, ſed quemadmodum apud Hebræos particula כ non ſolùm vim *comparandi* habet, quale Hebræi כף הדמיון *Caph ſimilitudinis* appellare ſolent, verùm & confirmandi, ad rei veritatem indicandam, quale iiſdem כף האמת *Caph veritatis* dici conſuevit v. R. D. K. ad Hoſ. IV. 4. & V. 10. ita & Græci vocibus ſimilitudinem indicantibus ὡς, ὥσπερ, καθάπερ &c. ſæpiſſimè eadem ratione utuntur v. Matth. VII. 29. Joh. I. 14. 2 Cor. IX. 5. conf. Wolf. ad Joh. l. c. Atque hoc ſenſu καθάπερ hîc loci ſumi debere, ultrò patet, quia Spiritus S. verè Sanctificationis, & progreſſûs in eadem, quin & glorificationis in hac æquè ac futurâ vitâ proxima cauſa eſt. v. 1 Cor. VI. 11. 1 Petr. IV. 14. Rom. VIII. 11. 1 Cor. XV. 44. In quibus licèt hodierni Judæi cœcutiant, Veteres tamen nobiſcum idem ſenſiſſe, ex Doctrinæ hujus, apud Cabbaliſtas præcipuè, & ſcriptores allegoricos, laciniis, haud obſcure conſtat, v. Raym. Mart. *Pugio Fid.* Part. III. Diſtinct. I. cap. XI. & Diſtinct. III. cap. XIII.

XX.

Coronidis loco ſubjungimus ratiocinationem Apoſtoli, quâ prærogativam hanc in oppoſitione Iſraëlitarum, fidelibus N. T. vindicat. Illic uti ob tectam Moſis faciem, ſeu quod per eam ſignificabatur, Vetus Inſtrumentum velo tectum, non poterant, clarè & cum parrheſiâ, cernere gloriam Dei, ita multò minùs hujus contemplationis fructibus gaudere, & vi illius externi fœderis in eandem imaginem glorioſam transformari, ídque inprimis quoniam Spiritus tum nondum erat, ſeu neque tam uberi menſurâ, neque effectibus tam lætis concedebatur. Joh. VII. 39. Contra autem fideles N. F. dum in retectâ facie Chriſti, gloriam Dei, velut in ſpeculo, contemplantur, atque ita prærogativæ, Moſi conceſſæ, participes evadunt, vi clarioris cognitionis omniúmque donorum gratiæ, & liberioris inprimis commercii cum Deo, transformantur quoque inſtar Moſis, in eandem imaginem de gloriâ in gloriam, ídque eo magis

magis, quò magis ipſis ſub œconomiâ Novi Fœderis, quæ *miniſterium eſt Spiritûs*, uti Apoſtolus in initio capitis noſtri docuerat, *jam datur Spiritus absque menſurâ* Joh. III. 34. Quæ omnia ὑπεροχὴν hujus œconomiæ & fidelium ſub eadem viventium, præ illâ, nec non Iſraëlitis eidem ſubjectis, quàm clariſſimè arguunt.

DISSERTATIO XXVII.

DE

ΣΑΛΕΥΟΜΈΝΟΙΣ Veteris Oeconomiæ, factis, ut præſtolentur ſtabilem Oeconomiam Novi Foederis.

AD

HEBR. XII. 27.

I.

Plus difficultatis verba hujus commatis in receſſu habent, quàm quis primâ facilè fronte cogitaret, quod non ſolùm diverſæ admodum explicationes, à Viris doctis allatæ, ſed & violenta remedia critica, ad quæ nonnulli confugere voluerunt, manifeſtant.

Digitized by Google

I I.

In verbo σαλεύεσθαι, quod in hoc loco præcipuè regnat, non quidem opus eſt, ut multùm hæreamus, cùm DuumViri Græcè doctiſſimi, L Bos ad h. l. & J. Elsnerus ad Act. XVII. 13. & 2 Theſſ. II. 2. illi jam inſignem lucem accenderint, oſtendentes, id propriè de navibus, quæ, dum in anchoris ſtant, nunc ſurſum, nunc deorſum jactantur, uſurpari, inde autem ad quemvis motum & agitationem, ex gr. reipublicæ, transferri, quod pluribus exemplis comprobatum dederunt. conf. & Blacwall. *Auct. Claſſ.* pag. 189. Quæ uti ſatis egregiè obſervata ſunt, ita tamen exiſtimo, verbum hîc majoris adhuc emphaſeos eſſe, & talem inprimis agitationem innuere, qualis in terræ motu obtinet, aut vehementiſſimo tonitru, vel validiſſimis machinis cietur, quo objecta, quæ hac ratione commoventur, disjiciuntur, ſtatu ſuo deturbantur, aut ſaltem in graviſſimum interitûs diſcrimen adducuntur. Poſteriori ſenſu aliquoties apud Diod. Sic. occurrit de inſtrumentis bellicis, quibus muri quaſſantur, ut tandem corruant, ut Lib. I. Cap. XLVII. Οὐδὲν δ' ἧττον καὶ μηχανὰς προσάγοντες, καὶ διὰ τούτων σαλεύοντες τὰ τείχη καὶ προσβολὰς ἀδιαλείπτως ποιούμενος διετέλουν. *Nec ſegniùs machinis etiam adactis, muros* QUATERE *atque indeſinenter oppugnare pergebat.* & Lib. XVII. cap. XXII. Ἐπεὶ δὲ ὁ βασιλεὺς φιλοτιμότερον ταῖς τε μηχαναῖς ἐσάλευε τὰ τείχη. *Ubi verò Rex acrius moenia adhibitis machinis* QUASSARE *coepit.* Inprimis apud Interpretes Alexandrinos uſurpatur, de vehementiori commotione terræ & fundamentorum ejus, pro hebræo געש Pſalm. XVIII. 9. Καὶ ἐσαλεύθη, καὶ ἔντρομος ἐγενήθη ἡ γῆ, καὶ τὰ θεμέλια τῶν ὀρέων, ἐταράχθησαν, καὶ ἐσαλεύθησαν. pro יתפלצון Job. IX. 6. loco mox adducendo. pro מוט Κατορθωθήτω ἡ γῆ, καὶ μὴ σαλευθήτω. pro רעם Pſalm XCV. 11. σαλευθήτω ἡ θάλασσα, καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. pro מוג cum alluſione ad effecta fulguris aut tonitru. Pſalm. XLV. 6. ἔδωκε φωνὴν αὐτοῦ ἐσαλεύθη ἡ γῆ. Neque dubitari poteſt, quin iſtiusmodi ſenſus ἐμφατικώτερος hîc loci quoque obtineat, quia Apoſtolus de validiſſimâ illâ commotione coeli, terræ, maris & gentium, verbis Haggæi modo lo-

cutus

cutus eſt, & τὸ σαλεύειν alteri verbo Σείω, quo illic uſus erat, reſpondet. Eadem ratione aliàs quoque hæc duo verba conjungi, alterúmque per alterum explicari ſolet. Ut Nahum. I. 5. Τὰ ὄρη ἐσείσθησαν, καὶ οἱ βουνοὶ ἐσαλεύθησαν. & Job. IX. 6. Ὁ σείων τὴν ὑπ' οὐρανὸν ἐκ θεμελίων· οἱ δὲ στύλοι αὐτῆς σαλεύονται.

III.

Per τὰ σαλευόμενα igitur, ut paſſim Interpretes agnoſcunt, innuuntur omnia, quæ ad oeconomiam legis pertinebant, univerſum cultûs cerimonialis choragium, ſtatus atque facies Eccleſiæ illorum temporum; ipſiúsque Reipublicæ judaicæ. Hæc verè erant σαλευόμενα, ſive jàm paſſivum accipias de facultate aut indole, reddásque cum Vulgato Interpr. *quæ mobilia ſunt*, ſive de eo quod actu contigerat, vertásque *quæ commota ſunt*, ſive utrumque potiùs conjungendum, aut poſterius priori ſubordinandum cenſeas. Certè omnia illa verè mobilia erant, ſeu ejus indolis, ut poſſent, imò deberent aliquando ad plenariam abrogationem commoveri. *Lex* enim *cerimonialis* ex naturâ Dei & hominis minimè ſequebatur, ſed *Lex præcepti carnalis*, aut *præceptorum in placitis* erat Heb. VII. 16. coll. Epheſ. II. 15. & ad tempus tantùm, ut mox videbimus ex Heb. IX. 10. introducta. Hinc & *univerſus cultus*, ut per ſe Deo non ſatis dignus, aut ipſi placens Pſ. XL. 7. L. 8. ſeqq. Jeſ. I. 11. Jer. VI. 20. Amos. V. 21. perpetuò durare non poterat, ſed, *ob multas imperfectiones* illi adhærentes, aliquando *abrogari* debebat, Jeſ. LXVI. 3. eadémque univerſi illius fœderis Sinaitici, utpote quod minimè ἄμεμπτον erat, ratio. vid. Heb. VIII. 7, 8. unde *veteraſcere* debebat, ibid. com. 18. *Bona* erant *terrena*; Canaan cum uberrimo proventu ſuo, quæ in ſe iterum veri nominis bona minimè haberi, nec deſiderium animarum explere, aut ſpiritualem defectum ſarcire, tum verò contra variis caſibus eripi poterant, imò debebant, quia Deus dudum interminatus erat, *ſe terram hanc aliquando anathemate percuſſurum* Mal. IV. 6. *Proceres* in cathedrâ Moſis ſedentes, non ſolùm *mortales* homines, ſed & aliquando *poteſtate ſuâ exuendi*

 erant,

erant, vid. Pſalm. LXXXII. 7. coll. Epheſ. I. 20, 21. & Col. II. 15. Ne jam de ipſis *angelis* loquar, per quorum manus Lex illa data erat Heb. II. 2. coll. Act. VII. 53. & Gal. III. 19. Sed quibus oeconomia N. F. ſubjici non debebat, ut Paulus jam cap. II. 5. inculcavit. Denique quòd Deus ſolos Abrahami ex Jacobo poſteros ex omnibus gentibus in populum peculii aſſumſerat, ad tempus quoque durare tantùm debebat. Ipſo enim illo tempore, quo Deus id Abrahamo promiſerat, prædixerat ſimul, fore, ut *omnes gentes in ejus ſemine ſibi benedicerent*, Gen. XXII. 18. Quid? quod idem jam ante Noachus indicaverat. Gen. IX. 27. & Moſes omnia diſtinctiùs explicans, diſertè monuerat, aliquando *gentes*, dudum præteritas, non ſolùm *unà cum populo judaico*, ſed & *ejus loco in populum peculii à Deo aſſumendas eſſe*. Deut. XXXII. 21. coll. Rom. X. 19 & com. 43. coll. Rom. XV. 10. quod ſequentes Prophetæ ſemper clariùs explicuerunt, certiúsque confirmarunt. vid. inprimis Hoſ. II. 23. coll. Rom. IX. 25. Uti igitur ex illis omnibus abundè conſtabat, hæc verè non perpetuæ durationis eſſe, ita eadem jam actu valdè commota atque agitata erant, interitúmque non obſcurè minabantur. Per Chriſti ſatisfactionem enim Lex impleta, fidelésque ab hoc jugo liberati, per Evangelii præconium idem annunciatum, & regnum Chriſti inter gentes erectum erat; tum verò terra judaica graviſſimis bellis per plures jam annos validiſſimè concuſſa, omniáque in eum ſtatum redacta erant, ut brevi totam politiam & Remp. judaicam collapſuram funditúsque evertendam eſſe, colligere liceret.

IV.

Atque hæc eſt illa mox ſecutura μετάθεσις τῶν σαλευομένων; quam Apoſtolus propiùs commemorat. Scilicet vox, quæ propriè *transpoſitionem* denotat, æquè ac verbum μετατίθημι, uſurpatur de iſtiuſmodi mutatione, quâ res loco ſuo movetur, aut planè aboletur, aut alia in ejus locum ſubſtituitur. Ita de *translatione Enochi in coelum*, in eadem hac Epiſtolâ ad Hebræos bis adhibetur cap. XI. 5. de *translatione belli* ab unâ regione

gione in aliam, apud DIODOR. SICUL. Lib. XIX. in fin. ΜΕΤΑΤΙΘΕΝΑΙ τὸ πόλεμον εἰς τὴν ἄπειρον ἐκ τῆς νήσου. *TRANSFERRE bellum ex inſulâ in continentem.* conf. p. 181. ΜΕΤΑΘΗΣΕΣΘΑΙ τὸν πάντα πόλεμον ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὴν Εὐρώπην. de *mutatione* aut *retractatione prioris ſententiæ*, apud LUCIAN. in *Jov. confutat.* cap. X.. ὅπως εἰ μὴ μεταμέλει σοι ἐκείνων, καὶ ΜΕΤΑΤΙΘΕΣΑΙ αὖθις τὰ εἰρημένα. *niſi fortè poenitet te illorum, & dicta tua RETRECTAS.* De *mutatione Reipublicæ*, unde turbator ejus POLLUCI appellatur τὴν πολιτείαν ΜΕΤΑΤΙΘΕΙΣ Lib. IV. cap. XXXVI. & ἄνω καὶ κάτω ΜΕΤΑΘΕΙΣ Lib. VI. cap. CXXXIX. de *mutatione Sacrorum*, 2 Maccab. (Chaſmon.) XI. 24. Ἀκηκοότες τοὺς Ἰουδαίους μὴ συνευδοκοῦντας τῇ τοῦ Πατρὸς ἐπὶ τὰ ἑλληνικὰ ΜΕΤΑΘΕΣΕΙ. De *mutatione Legis*, apud XENOPHONTEM *Apomnem.* Lib. IV. pag. 469. edit. Stephan. Νόμους, δὲ ἔφη, ὦ Σώκρατες, πῶς ἄν τις ἡγήσαιτο σπουδαῖον πρᾶγμα εἶναι, ἢ τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς; οὕς γε πολλάκις αὐτοὶ θέμενοι ἀποδοκιμάσαντες ΜΕΤΑΤΙΘΕΝΤΑΙ; *Quomodo autem quis, ô Socrates, ait, leges, aut obedientiam illis præſtitam magni exiſtimaret, quas illi ſæpe, qui tulerunt, improbantes, MUTANT?* cui dein ſtatim reſpondet τὸ καταλύειν. quando Socrates regerit: Διάφορον οὖν τι οἴει ποιεῖν, τοὺς τοῖς νόμοις πειθομένους φαυλίζων, ὅτι ΚΑΤΑΛΥ'ΟΙΕΝ ἂν νόμοι; κ. τ. λ. conf. quoque locus, quem ex PLATONE in *Minoë* attulit BUDÆUS in *Commentar.* Tria ultima loca inque illis memoratæ circumſtantiæ, tantò majoris hîc ſunt momenti, quò luculentiùs, ad ſcopum Pauli, & hanc τῶν σαλευομένων μετάθεσιν, quadrant. Per illam enim quoque Sacrorum Leviticorum & Legis cerimonialis mutatio fieri, & utraque abrogari debebant. Docuerat id jam iisdem verbis ipſe Apoſtolus cap. VII. 12. ΜΕΤΑΤΙΘΕΜΕΝΗΣ γὰρ τῆς Ἱερωσύνης, ἐξ ἀνάγκης καὶ νόμου ΜΕΤΑΘΕΣΙΣ γίνεται. Mutato (abrogato) *enim ſacerdotio, neceſſariò quoque legis MUTATIO* (abrogatio) *fit.* Non minùs cum hac mutatione illa reipublicæ Judaicæ, ut viſum, erat conjuncta. Hæc autem mutatio tantò certiùs exſpectanda erat, quò magis non ſolùm facta jam commotio atque agitatio ad illam actu viam ſtraverat, ſed & ipſa τῶν σαλευομένων indoles, ratio atque ſcopus eandem arguebat.

Ita

Digitized by Google

Ita enim τὰ σαλευόμενα *facta erant, ut manerent* τὰ μὴ σαλευόμενα.

V.

Per τὰ μὴ σαλευόμενα, nonnulli quidem intelligunt ſtatum cœli, aut cœli & terræ, poſt magnam illam mundi mutationem, quæ ſub finem ſeculorum tandem eveniet. Verùm huic ſententiæ nullo modo ſubſcribere poſſumus, ídque

1. Quia Vaticinium Haggæi, ex quo Paulus argumentatus, de tali commotione loquitur, quæ ſub initium N. T. eventura, & per quam felicior præſtantiórque forma melioris oeconomiæ, quâ gentium deſiderium venturum, & templum ſecundum, ſummâ illâ gloriâ, quæ à Meſſiæ adventu dependebat, implendum, ſiſti debebat.

2. Eodem collineat tota ratiocinatio Apoſtoli, qui in præcedentibus hujus capitis, oeconomiam Evangelii ſeu ſtatum Eccleſiæ Novi Fœderis, illi prioris temporis & Fœderis Sinaitici oppoſuit: nullo autem verbo ſtatum, poſt finem ſeculorum, attigit. vid. comm. 18. — 26.

3. Si verum eſt, ut Interpretes plerique omnes agnoſcunt, & res ipſa clamat, quòd μετάθεσις τῶν σαλευομένων *mutationem & abrogationem oeconomiæ legalis* innuit, neceſſariò per illam introducendus ſtatus τῶν μὴ σαλευομένων, eam oeconomiæ Eccleſiæ faciem indicare debet, quæ hîc quoque in terris locum habitura, & oeconomiam Legis ſecutura erat.

4. Inprimis id com. 28. confirmat, quod enim antea dictum erat τὰ μὴ σαλευόμενα, id illic propiùs βασιλεία ἀσάλευτος dicitur, ſaltem prior illa locutio, per poſteriorem hanc, propiùs explicatur. Hanc autem βασιλείαν ἀσάλευτον ipſi fideles N. F. in terris adhuc degentes accepiſſe dicuntur. Neque eſt, ut quis dicat, id in ſpe factum eſſe. Non enim Apoſtolus loquitur de re futurâ, quam ſpe tantùm præcipiebant, ſed potiùs præſente, quam actu poſſidebant, quæque adeò illos quoque obligabat, ad gratiam acceptam firmiter retinendam, per quam Deo εὐαρέστως ſervire poſſent cum pudore & timore. Imò ſi in ſpe

ſpe tantùm illud; ut regnum glorioſum, poſt hanc vitam concedendum, accepiſſent, utique id etiam in fidelibus Veteris oeconomiæ verum fuiſſet, neque adeò in oppoſitione illorum, hæc ut peculiaris prærogativa credentium Novi fœderis, conſiderari potuiſſet.

Accedit 5. quòd Paulus per totam ferè Epiſtolam, ubique oeconomiam illam Veteris & Novi Inſtrumenti, inter ſe comparavit, & hujus præ illâ præſtantiam atque ὑπεροχὴν, meliorémque eorum, qui ſub hac vivebant, præ iis, qui ſub illâ, conditionem Hebræis commendavit. Huc facit *melior ſpes*, *melius novúmque teſtamentum*, *præ veteri infirmâ & inutili lege*, aut *veteri teſtamento* cap. VII. comm. 18, 19, 22. coll. VIII. 6, 7, 8. & ſeqq. coll. X. 16. *Melius illud quod Deus de fidelibus Novi Foederis præviderat*, *ne veteres*, *qui promiſſiones tantùm è longinquo cónſpexerant & non aſſecuti erant*, *ſine his conſummarentur*. XI. com. 39. 40.

Rectius igitur per τὰ μὴ σαλευόμενα & regnum ἀσάλευτον, intelligitur Oeconomia & ſtatus Eccleſiæ Novi Foederis, cum Spirituali illo regno, quod ſub eâ inter omnes gentes erectum eſt. Horum enim omnium firma atque immutabilis eſt ratio. Quod per partes facilè oſtenditur. Scilicet *Lex*, quæ hic viget, nulla alia eſt, quàm *fidei & charitatis*, quæ perpetuæ eſt obligationis, neque unquam iterum abrogari poteſt, conf. 1 Cor. XIII. 13. quare & *verbum Evangelii æternùm manere* dicitur. 1 Petr. I. 25. *Cultus* univerſus, eſt cultus *in Spiritu* & *veritate*, qui uti ex ipſâ Dei & hominis naturâ profluit, ita conſtanter vigere, nec unquam cum meliori quodam permutari poteſt Joh. IV. comm. 23, 24.

Bona huic oeconomiæ propria ſunt ita comparata, ut nullo tempore nullíſque caſibus eripi poſſeſſoribus ſuis queant, ſunt enim ſpiritualia in ſupracœleſtibus, quæ æternùm durant. Matth. VI. 19, 20. Epheſ. I. 3. Nulli hîc ſunt mundani *proceres*, qui poteſtate ſuâ exui poſſunt, ſed in Eccleſiâ hac *Jehova ſolus Judex*, *legislator & Rex eſt*. Jeſ. XXXIII. 22. Hîc inprimis eſt *filius Dei*, *Rex ille Zionis*, *cui pater regnum æternum & ſine fine* tradidit Luc. I. 32, 33. coll. Jeſ. IX. 7. cujus

adeò *ſolium eſt in ſeculum & perpetuitatem.* Pſ. XLV. 7. conf. & Pſalm. LXXII. 17. & LXXXIX. 38. *Subditi* non ſolùm ſinguli, Dei potentiâ ad ſalutem cuſtodiuntur, 1 Pet. I. 5. ſed & ab integro populo Novi foederis regnum hoc nunquam, ut quondam Judæis contigit, auferetur, & ad alium populum tranſibit Dan. II. 44. Et licèt in hunc populum atque regnum inſurgant regna mundana, nihil tamen nocere poterunt, *neque enim Eccleſiæ, rupi ſalutis ſuperſtructæ, portæ inferni unquam prævalebunt* Matth. XVI. 18. quin potiùs *regnante inter medios hoſtes Chriſto* 1 Cor. XV. 25. coll. Pſalm. CX. 2. *virgáque ferreá eos conquaſſante* Pſ. II. 9. *regnum hoc omnia regna mundi comminuet, ipſúmque ſolum perſtabit*, Dan. II. 44. VII. 18. & 27. Non obſtat autem huic immutabilitati, quòd tandem tamen & hæc oeconomia Eccleſiæ in terris planè ceſſabit, & Chriſtus regnum illud Patri tradet 1 Cor. XV. 24. nam uti in noſtro loco propriè de ſtatu Eccleſiæ in terris ſermo eſt, illéque meritò ut conſtans, & regnum hoc ut ἀσάλευτον in eâ relatione conſiderari poteſt, quia hîc in terris nunquam alio ſuccedente mutabitur, ut factum, cùm abrogatâ oeconomiâ legis, melior Evangelii ſucceſſit; ne in ipſo quidam mundi fine abolebitur, ſed in æternitatem potiùs influet, cùm ſtatus Eccleſiæ N. T. ab illo ejusdem in coelis, & regnum gratiæ ab illo gloriæ, non niſi gradibus differat, illúdque in hoc tandem ἀκμὴν ſuam conſecuturum, penitúsque conſummandum ſit. Quis igitur non agnoſcere cogitur, eleganter atque emphaticè oeconomiam Novi Foederis τὰ μὴ σαλευόμενα, regnúmque ſub eadem erectum βασιλείαν ἀσάλευτον dici? Quæ poſterior locutio egregiè vocis hujus apud profanos quoque Scriptores uſu confirmatur; quemadmodum eam cum verbis Diodori Siculi Tom. I. pag. 160. ἐλευθερίαν φυλάσσοντες ἀσάλευτον rectè contulit *Celeb.* Wesselingius in not. monens Diodorum illo vocabulo ea deſcribere ſolere, quæ firma ſtabiliáque perennant, ut εὐδαιμονίαν ἀσάλευτον, αὐτονομίαν ἀσάλευτον, & σπονδὰς ἀσαλεύτους.

VI.

V I.

Omnis autem difficultas in eo ſita eſt, quomodo dici poſſint τὰ σαλευόμενα Veteris inſtrumenti eſſe facta, *ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα* Novi Foederis? & quis propriè horum verborum ſenſus ſit? cùm nullus videatur inter hæc duo nexus eſſe, quòd priora facta ſint, hæc verò maneant. Inprimis autem quomodo id, quòd illa Vet. Inſtrumenti facta ſunt, viam eò ſtraverit, aut medium ſit, ut hæc N. F. maneant, poſteriúsque adeò hoc ut effectus, aut conſequens prioris, conſiderari queat? Difficultas hæc tanta viſa eſt Philologo ceteroquin doctiſſimo, L. Bos, ut non dubitaverit textum ipſum ſollicitare, dum pro πεποιημένων, leviſſimâ mutatióne, legi jubet πεπονημένων. Quæ ſententia tantò eſt ingenioſior, quo magis vox πεπονημένων ad præcedentem σαλευομένων quadrat, cùm & ipſa de navibus earúmque armamentis adhibeatur, quando in tempeſtate ex nimiâ jactatione, vel pugnâ navali, ita quaſſatæ atque debilitatæ ſunt, ut reparatione indigeant, ut pluribus exemplis confirmat. Alia inſuper addit *Celeb.* Alberti, quibus & nos unum alterúmve ſubjungemus. Sic Diod. Sicul. Lib. IV. cap. 41. ait ἕνεκα τοῦ θεραπεύειν τὰ πονοῦντα μέρη τῆς νεώς, *ut reficeret labefactatas partes navis.* Lib. XII. cap. 32. τὰς δὲ (τριήρεις) πεπονηκυίας ἐθεράπευον *quæ autem* (triremes) *vitium feciſſent, reſarciunt.* & Lib. XIII. cap. 41. Neque faciliùs ferè permutatio ulla accidere poſſet, cùm duæ hæ voces non niſi unicâ lineolâ litteræ ν differant. Hinc etiam *Clar.* Gronovius apud Lucianum *de Saltatione* cap. XXI. in verbis τοῦτο ἔργον πεποιημένων eodem modo legi jubet πεπονημένων. Verùm uti *Celeb.* Elsnerus jam ad locum noſtrum ad Hebr. monuit, fruſtra eſſe hanc emendationem, idémque propiùs confirmavit *Clar.* Reitzius in not. ad Lucian. ita & quod ad noſtrum locum attinet, rectè obſervavit modo laudatus *Cel.* Alberti, refragantibus omnibus codicibus, nihil mutandum eſſe. Et ſanè ſi abſque ullius codicis auctoritate iſtiusmodi emendationibus locus concederetur, actum foret, de indubiâ ſacri codicis integritate, nec quo pacto illa amplius ſarta tecta conſervari queat, viderem. Addo quod & omnes verſiones antiquæ, quin & Patres,

 receptam

receptam lectionem ſecuti ſint, & denique, quòd nulla ſufficiens hujus mutationis cauſa detur, cùm recepta lectio ſatis ſanum ſenſum fundat.

VII.

Joachimus Camerarius vocem accipiendam cenſet, ac ſi ſcripta eſſet, ὡς πεποιημένην, ita ut referatur ad præcedentem μετάθεσιν, ménsque Pauli ſit, *mutationem* ſeu *commotionem* τῶν *σαλευομένων jam factam eſſe, ut maneant deinceps* τὰ μὴ σαλευόμενα. Verùm præterquam, quod & huic emendationi conſtans omnium codicum lectio obſtet, neſcio an Paulus eo ſenſu πεποιημένην μετάθεσιν, & non potiùs γινομένην dicturus fuiſſet. Inprimis verò illo tempore, non ſatis commodè aſſerere potuiſſet, eam jam eſſe factam, quo reſpublica & templum adhuc ſtabat, cùm his actu everſis illa verè demum locum habitura eſſet. Quemadmodum autem ipſe Camerarius in hac ſententiâ, ut videtur, requieſcere non potuit, ſed mox addidit: „ Si autem rectè ſcribitur πεποιημένων (id quod expreſſiſſe La„ tina verſio videtur) dicitur abſolutè in neutro genere, illa eſſe „ peracta, quæ de motione debuerunt fieri. „ Ita & hæc explicatio per ea qua ultimo loco monita ſunt, corruit. Tantùm enim aberat, ut ea quæ de motione debuerunt fieri, tum jam peracta fuerint, ut vixdum initium ſumſerint, & præparatio tantùm facta ſit. Uti enim Chriſti per παθήματα conſummatio neceſſitatem & fundamentum mutationis hujus invexerat, ita per graviſſima Judæorum ſcelera, per inteſtina diſſidia atque bella, per invaleſcentem indies Romanorum potentiam imminutáſque Judæorum vires, per præconium Evangelii in univerſo orbe, via jam ſtrata erat ad magnam illam καταστροφὴν, per Reipublicæ & Sacrorum Judaicorum everſionem regníque Chriſti in omni terrâ erectionem actu mox ſiſtendam. At facta tamen illa verè demum eſt, quando everſâ urbe Hieroſólymâ deſtructóque templo ipſa Reſpublica Judæorum deleta, externúſque cultus planè ſublatus, tum verò populo per totum orbem diſſipato, & graviſſimo excoecationis judicio tradito, gentes in populum Dei aſſumptæ, intérque illas ſpiritualis cultus Novi

Novi Foederis introductus, & regnum Chriſti erectum eſt. Tunc ſanè *regnum Judæis verè ablatum & gentibus traditum eſt.* Matth. XXI. 43. Tunc *multi venerunt ab oriente & occidente, & cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo accubuerunt in regno coelorum, Filii verò regni ejecti ſunt in extimas tenebras.* Matth. VIII. 11. 12. Tunc verè advenit tempus, *quo veri adoratores non ampliùs Deum invocaturi Hieroſolymis, ſed in Spiritu & veritate* Joh. IV. 23, 24. *omnique in loco manus ſanctas ſublaturi* 1. Tim. II. 8.

VIII.

Clar. LAUNOYUS, cujus ſententiam omiſiſſe diligentiſſimum WOLFIUM miror, ſenſui per ellipſin ſuccurrere quærit, dum vocem σαλευομένων, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendam cenſet, ac ſi dictum eſſet, ὡς πεποιημένων σαλευομένων, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα. Quod ita placet *pl. Rev.* D'OUTREINIO, ut illi calculum adjicere non dubitet. Verùm licèt id quoque ingenio non careat, mihi tamen etiam ſatisfacere minimè poteſt. Etſi enim repetitiones ἀπὸ τοῦ κοινοῦ non infrequentes ſunt, dubito tamen an ſimilis conſtructionis, qualis hîc ſtatui debet, facilè exemplum occurrat, ſaltem eorum quæ ipſe adduxit, nullum tale eſt. Præcipuè autem neque ſic video, quo pacto verba ſatis cohæreant. Nam licèt illa Veteris Inſtrumenti facta ſint mobilia, inde tamen minimè ſequitur, quòd immobilia Novi manere debeant. Quid ſi enim ſapientiſſimum Numen oeconomiam N. F. ita condere voluiſſet, ut ipſa quoque ἀσάλευτος non eſſet, num id ideò ἀδύνατον fuiſſet, quia oeconomia σαλευόμενος jam præceſſerat? Non putem; cùm Deus utique pro infinitâ ſapientiâ, faciem Eccleſiæ poſt Chriſtum natum, non minùs adhuc mutare potuiſſet, quàm ante eundem in carne manifeſtatum fecerat. Quòd ſi etiam exiſtimas, non facilè perfectiorem in terris concipi poſſe, neque adeò ulteriori emendationi locum reliquum manſiſſe, tum utique fundamentum immutabilitatis, in ipſâ perfectione hujus oeconomiæ, non verò in eo quòd præcedens facta erat σαλευόμενος, collocabis.

Digitized by Google

I X.

Alii ſolutionem in ſignificatione participii πεποιημένων quærunt. Sic Beza exiſtimat ποιεῖσθαι hic uſurpari pro *manibus factum eſſe*, quemadmodum de tabernaculo ſupra diſertè dictum erat cap. IX. 24. ut adeò Paulus hac appellatione graphicè deſcribere voluerit ἀσθένειαν harum rerum, ut manu factarum, atque adeò minus conſtantium & durabilium, mutationíque, prout manu facta eſſe ſolent, obnoxiarum. Idem ſentit Owenus, niſi quòd addat, eadem facta eſſe, ut tantùm ad tempus, ſcil. usque ad tempus διορθώσεως maneant Heb. IX. 10. Neque ſi rem ipſam ſpectes, à Beza abit eruditiſſimus Wolfius, ſcribens: *ſcilicet res quæ facta eſt, & vel hoc nomine interitui obnoxia opponitur rei perpetuò ſubſiſtenti, nec unquam mutandæ vel abolendæ.* Verùm & hæc explicatio ſolido fundamento deſtituitur. Uti enim non facilè oſtendi poterit, verbum ποιεῖσθαι nudè adhibitum hanc ſignificationem habere, ita conſequentia iterum nulla eſt, quòd, quia σαλευόμενα illa infirma minúsque perennia fuerunt facta, idcircò immobilia illa manere debeant. Videtur id, quâ erat perſpicaciâ, ipſe Owenus fortè intellexiſſe. Saltem cautè admodum loquitur, non de *manſione* vel *duratione*, ſed *introductione* τῶν μὴ σαλευομένων. *Res quæ per novum hoc opus debuerunt effici*, ait, *introducendæ erant, in illarum* (τῶν σαλευομένων) *locum, & idcircò veteres debuerunt removeri, ſic Apoſtolus totam neceſſitatem remotionis earum, in ejectione illarum ponit, quæ immobiles erant.* Quod ſi id Paulus dicere voluiſſet, explicatio hæc ferri poſſet, nam quia Deus aliquando volebat introducere loco τῶν σαλευομένων œconomiam τῶν μὴ σαλευομένων, idcircò priora illa talia fecit. Aſt non eſt hæc mens Apoſtoli, ſed potiùs aſſerit, Deum feciſſe τὰ σαλευόμενα, ἵνα ΜΕΙΝΗ τὰ μὴ σαλευόμενα, unde ſi τὸ μένειν *perpetuam durationem* τῶν μὴ σαλευομένων innueret, oſtendi deberet ex mente Apoſtoli, hanc in eo fundamentum habere, quòd priora σαλευόμενα facta eſſent. Atque ad hoc, quòd non ſatis attenderint, omnibus ferè Interpretibus in loci hujus explicatione fraudi fuit. Rever. Creyg-

CREYGTHONUS τὸ πιεῖσθαι ad exemplum Radicis hebrææ עשה adhibitum cenſet, pro *mutari*, ita ut Paulus dicere voluerit, prædictam eſſe mutationem rerum mobilium, *quæ res nunc actu quaſi mutatæ fuerint, ut maneant immobilia.* Verùm in hac ſententiâ eadem, quæ modo in illâ BEZÆ deſideramus. Scilicet, partim quòd, uti hebræum עשה ita inprimis græcum ποιεῖν, quando nudum uſurpatur, nunquam hanc mutationis ſignificationem habeat, partim, quòd & in hac argumentatione medius terminus deſideretur, quia minimè ſequitur, ſi priorum illorum mutatio quædam prædicta eſt, actúque quaſi contigit, ergo ſequentia N. F. mutari non poſſe aut debere. Ut taceam, quod antea evictum eſt, hîc quoque addi poſſe, ſc. nondum tum temporis mutationem illam actu factam eſſe. Vidit id ipſe eruditiſſimus CREYGTHONUS, & idcircò ſcribit *mutationem quaſi factam eſſe*, quò particulam ὡς trahit. Verùm uti non credo partic. in hac verborum Pauli conſtructione hunc ſenſum admittere poſſe, ita ad introductionem τῶν μὴ σαλευομένων (ne jam de ſtabili eorum permanſione loquar) certè non *quaſi mutatio*, ſed verè facta, minimùm requirebatur.

Nonnulli cum HOEKIO τὸ πιεῖσθαι interpretantur, de rebus quæ ad tempus deſtinatum duraverant, eámque ob cauſam tandem finem ſuum conſequi debebant. Sed quemadmodum & hujus ſignificationis confirmationem meritò adhuc ab eo exigas, ita explicatio eodem quo omnes reliquæ incommodo laborat. Ex hoc fundamento introductio τῶν μὴ σαλευομένων, non verò illorum ſtabilis conditio, & perennis duratio, deduci poteſt.

Tandem JACOBUS PEIRCIUS, in *comment. anglico* in hanc Epiſt. quem latinitate non ita pridem donavit Vir Clar. JOH. DAV. MICHAËLIS, verbum ποιεῖν hîc non *faciendi*, ſed *deſtinandi* ſenſu gaudere putat. Verùm, neque hunc ſignificatum ſatis adſtruxit, neque quomodo inde ſequatur, quòd τὰ μὴ σαλευόμενα manſura ſint, oſtendit, aut ſecundùm illa, quæ fuſiùs à nobis adducta ſunt, oſtendere quiſquam poterit.

X.

X.

Ad me itaque quod attinet, cùm ante hos viginti novem & quod excurrit annos, adhuc Zutphaniæ in miniſterio verbi occupatus, comma hoc coram concione explicarem, ínque nullâ Virorum doctorum ſententiâ conſiſtere jam tum poſſem, tandem in timore Domini rem omnem ſæpius apud animum reputans, deveni in novam planè, uti tum temporis quidem exiſtimabam, ſententiam, cujúsque nullibi veſtigium aliquod inveneram. Hujus ſumma eò redit, quòd verbum μείνῃ, non, ut vulgo ab omnibus fieri ſolet, cum ſequentibus τοῖς μὴ σαλευομένοις, ſed potiùs cum immediatè præcedente voce πεποιημένων connecterem, neque adeò ſenſu *manendi* ſeu *permanendi* aut *perdurandi*, ſed potiùs *exſpectandi* aut *præſtolandi* accipererem, ut mens verborum ſit, *illa* σαλευόμενα *Vet. Inſtrumenti facta eſſe, ut exſpectarent, ſeu præſtolarentur* τὰ μὴ σαλευόμενα, ſeu quod idem eſt, *ut tamdiu durarent, donec hæc advenirent, illis autem advenientibus locum facerent.* Explicui non ſolùm tum temporis publicè hac ratione locum è ſuggeſtu, ſed & cum divinâ ita jubente providentiâ, Patriæ redditus eſſem, cum Viro quodam eruditiſſimo, Collegáque conjunctiſſimo cogitationes has communicavi, cui ita placebant, ut easdem, theſibus Diſſertationi abs ſe habitæ ſubjunctis, inſeri publicéque ad ventilandum proponi curaret. Interim cùm dein *Doctiſſimi* Wolfii *Curæ Philol. & Critic.* prodirent, ex illis didici *Eruditiſſimo ingenioſiſſimóque Viro Paulo* Bauldry ſimilia de ſignificatione vocis μένειν jam in mentem veniſſe, & prouti per litteras cum *Cl.* Ludolpho Custero communicata erant, Bibliothecæ novæ, quam junctis operis, cum *Cel.* Sikio curabat, Tom. IV. pag. 383. inſerta eſſe. Quare uti primam inventionis gloriam lubens Viro illi eruditiſſimo relinquo, ita tamen id me minimè deterret, quò minùs rem omnem hic ſigillatiùs fuſiùsque pertractem. Præterquam enim, quòd ipſe tantùm illam verbo attigerit, eáque propiùs adſtrui mereatur, in ipſius quoque loci explicatione, non parùm ab eodem diſſentio. Monet autem

autem prius ſe diſtinctionem vocum ſeu interpunctionem mutare, & comma, quod vulgò poſt vocem πεποιημένων collocatur, tollere, tum ipſam explicationem ſubjungit. En ipſa ejus verba! quo de univerſâ re tantò rectiùs judicare queas: „ Ego verò (ait) jamdudum ſoleo legere, τὸ δὲ ἔτι ἅπαξ „ κ. τ. λ. ὡς πεποιημένων ἵνα μείνῃ κ. τ. λ. ut mihi pro„ deat hic ſenſus. *Porro illud, adbuc ſemel, declarat inſtabilium* „ *rerum amotionem, tanquam factarum, ut EXSPECTENT* „ *STABILES:* hoc eſt, eos cœlos eámque terram, qui „ poſt mundi finem non erunt amplius inſtabiles, ut nunc „ ſunt, ſed contra ſtabiles in æternum & nunquam perituri: „ adeò ut cœlum & terra, quæ nunc obtinent, omninò nil „ aliud ſint, quam quod gallicè dicimus *des pierres d'attente.* „ Ubi quod ad ſignificationem & conſtructionem verbi μένειν attinet, rectiſſimè Vir Clariſſimus rationes ſubduxit. Nihil enim notius eſt, quàm ſæpiſſimè ita apud Scriptores Græcos uſurpari. Provocavit ipſe ad THUCYDIDEM, & qui eum laudavit HENR. STEPHAN. in *Theſaur.* qui plura quoque ex HOMERO aliiſque Scriptoribus attulit. Addam autem & ego loca inter legendum mihi obſervata. Sic EURIP. in ſolâ *Andromache* aliquoties, ut v. 378.

> Μένων δὲ τὰς ἀπόντας, εἰ μὴ θήσομαι
> Τἄμ' ὡς ἄριστα φαῦλός εἰμι, κοὐ σοφός·
> *Exſpectans autem abſentes, ſi non conſtituam*
> *Mea quàm optimè, ignavus ſum & non ſapiens.*

& v. 569.

> —— —— οὐδὲ τὰς ἀπόντας ἐκ δόμων
> Μείναντες,
> —— —— *neque abſentes ab ædibus*
> *Exſpectantes,*

& v. 964.

> Ἦλθον δὲ, τὰς σὰς οὐ μένων Ἐπιστολάς·
> *Veni autem tuas non exſpectans epiſtolas.*

 Sic

Sic & in *Helenâ* v. 656.

> ὋΝ ἜΜΕΝΟΝ, ἜΜΕΝΟΝ ἐκ Τροίας
> Πολυετῆ μολεῖν·
> *QUEM EXSPECTAVI, EXSPECTAVI ex Trojâ*
> *Poſt multos annos venturum.*

Eodem facit quod in bello quoque dicitur μένειν τινα, qui hoſtem exſpectat, irruentémque ſuſtinet atque excipit, quod ex HOMERO & aliis confirmat idem STEPHANUS. Quo ſenſu etiam ÆSCHYLUS in *Sept. contr. Theb.* v. 442. ait:

> Τίς ἄνδρα κομπάζοντα μὴ τρέσας μενεῖ·
> *Quis virum ſuperbientem non timens manebit?* (exſpectabit?)

Latinos eodem ſenſu, ſuo *manere* cum quarto caſu uti, notius eſt, quàm ut id hac occaſione fuſius adſtruere opus ſit. Vid. SERV. ad VIRGIL. *Georg.* I. 168. & *Æneid.* VI. v. 71. ZINZERLING. ad VALER. FLACC. II. v. 138. & eruditiſſ. GESNERUS in *Theſauro Ling. Lat.*

XI.

Clariſſimus WOLFIUS concedit quidem hunc verbi uſum apud Scriptores Græcos & Latinos, at hoc loco ſignificationem illam non vult adoptare, partim quia à Scriptoribus Sacris exſulet, partim quia Paulus in hac ipſâ epiſtolâ verbum hoc adhibeat, ubi de perſiſtentiâ rei, quæ alii pereunti opponitur, ſermo eſt. Verùm utraque ratio pondere deſtituitur. Ad priorem enim quod attinet, nemo negare poterit, uſum vocis græcæ, in vulgari ſermone obvium, rectè loco alicui, ſi omnibus ejus circumſtantiis conveniat, applicari, licèt aliàs eo ſenſu fortè apud Scriptores Sacros non occurrat. Præterea autem Vir Doctus aliquid humani, quod pace ejus dictum ſit, paſſus eſt, quando hanc ſignificationem à Scriptoribus Sacris exſulare ſcribit. Omninò enim eadem occurrit Act. XX. 5. ubi D. LUCAS ſcribit: Οὗτοι προελθόντες ἔμενον ἡμᾶς ἐν Τρωάδι. *Hi præcedentes*

dentes exſpectarunt nos in Troade, quem ſenſum illic ipſe eruditiſſimus Wolfius agnoſcit, ut adeò hæc memoriæ lapſu, ut fieri facilè poteſt, ipſi excidiſſe videantur. Adde quod eadem locutio Interpretibus Alexandrinis, (quorum ſtilum Scriptores N. F. plerumque imitari ſolent) quoque plus ſemel adhibeatur. Sic Jeſ. VIII. 21. verba וחכיתי ליהוה *& exſpecto Dominum* reddunt καὶ ἐρεῖ, μένω τὸν Θεὸν κ. τ. λ. Sic Job. XXXVI. 2. כתר לי זעיר *exſpecta me parum*, vertunt, μεῖνόν με μικρὸν ἔτι. Eadem ratione poſteriori libro Chasmon. cap. VII. 30. dicitur ὁ νεανίας εἶπε, Τίνα μένετε. *Juvenis autem dicebat, QUEM PRÆSTOLAMINI?* Quod autem aliàs in hac epiſtolâ Paulus idem verbum adhibeat, ubi de perſiſtentiâ rei, quæ alii pereunti opponitur, ſermo eſt, nihil difficultatis habet, cùm nihil notiùs ſit, quàm quòd eadem vox, diverſâ, quâ vulgari linguæ uſu gaudet, conſtructione atque ſignificatione, ab iiſdem ſæpe Scriptoribus adhibeatur, quænam verò huic vel illi loco, propriè conveniat, ex omnibus circumſtantiis dijudicari debet.

X I.

In eo autem planè à Viro eruditiſſimo diſſentio, quòd per τὰ μὴ σαλευόμενα cum nonnullis intelligit *coelos & terram, qui poſt mundi finem erunt non amplius inſtabiles* Uti enim hæc ſententia per ea, quæ com. V. monui, penitùs deſtructa eſt, ita hîc inſuper addo, eam, cum illâ explicatione verbi μένειν nullo modo conſiſtere poſſe. Quid enim? Num illa oeconomia Veteris Inſtrumenti dici poteſt, *exſpectaſſe illum ſtatum cœlorum poſt conſummationem ſeculi?* cùm inter hæc duo tota oeconomia Novi Foederis interſit, cujus jam ſeptendecim circiter ſecula elapſa ſunt. Quod ſi inſuper cogitemus quænam adhuc, ſecundùm vaticinia Prophetarum, ſub hac oeconomiâ adimplenda reſtent, illiſque tandem jungamus, ultima illa feliciſſimáque Eccleſiæ in terris tempora, tutò concludere poſſumus, oeconomiam Legis jam aliquot mille annis ante loco ſuo motam eſſe penitúſque evanuiſſe, quàm coeleſtis ille ſtatus poſt finem ſeculorum ſiſtetur. Quo pacto igitur, denuò dico, op-

portunò adfirmaretur, oeconomiam Legis factam eſſe, ut *illum* ſtatum cœleſtem præſtolaretur, ſeu tamdiu manere debuiſſe, donec ille adveniret, à quo tot ſeculorum, imò millenariorum intervallo ſejuncta fuit, & ante quem tanto temporis ſpatio jam evanuit? Præterquam, quòd uti nulla hujus ſenſus verborum Pauli veſtigia vel in toto capite vel in univerſâ Epiſtolâ inveniuntur, ita contra omnia pro exſpectatione aut præſtolatione Oeconomiæ Novi Fœderis pugnant, nóſque eò ultrò ducunt.

XII.

Certè Oeconomia Legis non ſolùm præceſſit immediatè illam Evangelii, & tamdiu verè duravit, donec hæc introduceretur, hácque adveniente illi locum ceſſit, uti apud omnes in confeſſo eſt, neque ullâ adeò probatione indiget: verùm ad id quoque prior illa verè facta eſt. Fuit enim Lex Moſaica *Pædagogus ad Chriſtum* Gal. III. 24. & *Chriſtus Legis bujus finis* Rom. X. 4. Continuit illa *σκιὰν τῶν μελλόντων, umbram futurorum, quorum corpus fuit in Chriſto* Col. II. 17. & Hebr. X. 1. Uti igitur corpus in progreſſu præcedentem umbram immediatè ſequitur, hócque appropinquante illa loco movetur, ita Oeconomia Legis tamdiu tantùm durare potuit, donec Chriſtus adveniret, & Oeconomia Evangelii per ipſum introduceretur, hoc autem facto, illa neceſſariò diſparere debuit. Huc faciunt convenientia illa & in Sacris uſitatiſſima emblemata. Dum *dies venire & umbræ fugere; nox præteriiſſe & dies appropinquaſſe* dicitur, Cant. II. 17. & IV. 6. Rom. XIII. 12. Verbum *Propheticum lucernæ inſtar ſplendere in obſcuro loco, donec dies reſplenderet, & lucifer exoriretur in cordibus credentium.* 2 Pet. I. 19. Eodem tendit, quod *Vetera* dicuntur *præteriiſſe & omnia nova facta eſſe*, 2 Cor. V. 17. Atque huic inprimis explicationi favet tota hæc epiſtola, ubi Paulus jam aliquoties eandem veritatem clariſſimè inculcavit, & ad ejus clariorem intellectum viam ſtravit. Sic diſertè docuit, *per Sacerdotium Chriſti Melchiſedecianum, prius Leviticum, ob imperfectionem ſuam mutari, mutatóque ſacerdotio etiam mutari legem, & διὰ τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς abrogari*;

abrogari;

abrogari, quoniam lex illa moſaica nihil perficere potuerit, ſed tantùm introductionem habuerit melioris ſpei cap. VII. 11 — 19. Eodem facit, quòd per id, quod in priori illo teſtamento *reprehenſibile erat, ſpatium inventum eſt novo* ſeu ſecundo, cap. VIII. 7. & per novum prius illud *vetus factum*, & ut tale *abolitioni propinquum* redditum eſt. ib. com. 13. Inprimis autem, quòd prior illa oeconomia, *in cibo & potu, & diverſis ablutionibus conſiſtens, usque ad tempus* διορθώσεως *impoſita* cap. IX. com. 10. Servatórque *prius ſuſtulit, ut poſterius ſiſteret.* X. 9.

DISSERTATIO XXVIII.

DE

LOCUTIONIBUS ALLEGORICIS ET EMBLEMATICIS

ſæpe in generaliori complexu ſumendis, nec ad ſingulas partes, aut verba, ſemper extendendis; *occaſione loci*

Apoc. III. 20.

I.

Quod in omni vitâ adprime eſt utile, ut ne quid nimis, id præcipuè quoque in ſtudio allegorico & emblematico;

eſt obſervandum. Hunc in finem non ſolùm iſtiusmodi explicationes ſolido fundamento ſuperſtrui debent, ne ſuavia ſomnia & inania cerebri commenta, pro veritatibus aliis obtrudantur, præſtantiſſimúmque ſtudium, ſecus ſentientium ſibilis, exponatur; ſed & ipſæ explicationes non ulterius extendendæ ſunt, quàm rei natura omnésque circumſtantiæ flagitant, aut patiuntur. Uti enim indubium eſt, in nonnullis etiam minutiora quæque eas admittere, ita non minus certum, cum aliis ſecus comparatum eſſe. Huc quadrat, quod de viſionibus propheticis, non verè minùs, quàm eleganter, ſolidiſſimus Scripturæ Interpres, quique præ aliis in talibus cautè progredi ſolet, Campegius Vitringa *Pater*, in Comment. in Jeſ. VI. 6. ſcribit: *Non eſſe in typicis & ſymbolicis, circumſtantias quasque, quæ ad τὸ ἀπρεπὲς aut ἄλογον Viſorum pertinent, tam preſſè urgendas, ut omnes trahantur ad myſterium. Corpus, & ſcopum emblematum eſſe inſpicienda, & conſideranda.* conf. idem ad cap. XLVII. 15. Inprimis autem in Comment. in Apocal. VI. 12. rectè ait: *Ego verò lubens concedo, Imagines Symbolicas variis caſibus, non eſſe nimis quæſitè & anxiè ab Interprete tractandas, ſed ſæpe in complexu, non ſingulatim, eſſe exponendas;* Certè id niſi obſervetur, fieri facilè poteſt, ut non ſolùm coactæ & ſenſui Spiritus S. non ſatis convenientes explicationes, in Dei verbum ingerantur, ſed & ἀσύστατα, &, ad reliquas figurati ſermonis circumſtantias minùs quadrantia, adfirmentur.

II.

Inſigne hujus rei exemplum ſuppeditabit locus qui præ manibus eſt Apoc. III. 20. ubi *Servator* in *Epiſtolâ* ad *Eccleſiam Laodicenam* ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis vocem meam audiverit, & oſtium mihi aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum ipſo, & ipſemet mecum.* Interpretes hîc plerique omnes, & ipſe inprimis *Cel.* Vitringa, *oſtium*, ut ſummi viri verbis utar, *denotare volunt, animum hominis, præditum facultate Gratiæ Chriſti Jeſu, ſibi oblatæ, vel admittendæ vel excludendæ.* conf. & Majus *Obſerv. Sacr.* Lib. III. pag. 65. Qui præcipuè de *ſenſibus* cogitat. Verùm uti non niſi ægrè ab horum inſignium

Virorum

Virorum ſententiâ diſcedo, ita tamen cur cum illis facere hîc non queam, graviſſimas rationes habeo.

Primò enim, tota συνάφεια allegoriæ aut emblematis illi repugnat. Proponit Servator hominem non inſtar ædis aut domicilii, oſtio inſtructi, licèt in aliis locis etiam talia emblemata, non inconcinnè adhibeantur, ſed potiùs eum conſiderat, ut incolam ædis, qui domum aliquam, inhabitat, hinc in ſequentibus quoque non dicit, ſe in cor ejus intraturum, ſed εἰσελεύσομαι πρὸς αὐτὸν, *ingrediar ad ipſum*, ſeu *divertar ad ipſum*. Eadem ratione uti de angelo Mariæ ædes ſubeunte, dicitur Luc. I. 28. Καὶ εἰσελθὼν ὁ Ἄγγελος πρὸς αὐτὴν εἶπε. & de illo, qui ad Petrum veniebat, Act. X. 3. Εἶδεν ἐν ὁράματι - - ἄγγελον τοῦ Θεοῦ εἰσελθόντα πρὸς αὐτόν. Inprimis autem mox eum ut hoſpitem & convivam ſuum proponit, addens: καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ. Quid igitur magis inconveniens eſſe poteſt, quàm eundem hominem, ut domum, animum aut ſenſus ejus ut oſtium, ſimul autem eundem, ut domûs incolam, ut hoſpitem Servatorem in eadem convivio excipientem, & cum illo cœnantem conſiderare? Non equidem ignoro, diverſi generis emblemata in unum aliquando conjungi, ut inprimis 1 Pet. II. 5. ubi fideles, ſimul, *ut lapides ſpirituales*, & *ſacerdotes*, proponuntur. Verùm & id ſcio, rariùs hoc fieri, quàm vulgo creditur, nec eò, niſi in ſummâ neceſſitate, deveniendum eſſe: Deinde, ubi id admitti debet, etiam ſubjecta in diverſâ relatione conſiderari, ut in ipſo illo loco petrino, quo non facilè alius diverſa emblemata manifeſtiùs conjungit, fideles ut vivi lapides proponuntur, in relatione ad *univerſam Eccleſiam*, quæ ſpiritualis ædes, aut antitypicum templum, ex his lapidibus ſtructum, eſt, in relatione autem, ad ſe ipſos, aut alios quoque, quos Deo in ſpiritualia ſacrificia offerunt, ut *ſpirituales ſacerdotes*, occurrunt. Quod non magis pugnat, quàm quòd iidem aliàs, ut *partes eccleſiæ*, & ſimul, ut in *eccleſiâ viventes* aut *verſantes*, conſiderantur. At quàm contrà inconcinnum eſt, eoſdem ſingulos, & ſeorſim ſumtos, ſimul ut *privatam domum*, & ut *domûs hujus incolas*, & *hoſpites*, & in eadem *convivas* proponere? Nec juvat quòd aliàs

aliàs quoque haud rarò corpus hominis ut *domus*, mens ut *domûs incola* introducitur 2 Cor. V. 1, 6, 8, 9. coll. 2 Pet. I. 13, 14. Diſtinctæ enim illæ hominis partes, in diverſâ relatione commodè conſiderari poſſunt, verùm hoc diſcrimen hîc loci non obtinet, neque enim corpus ut ædificium, oſtio inſtructum, ex hypotheſi, ſumitur, ſed potiùs ipſa anima, aut ſaltem totus homo ut *domus*, mens ut *oſtium*. Quid igitur tum ſupererit in homine, quod *incolæ domûs bujus*, quod *hoſpitis*, quod *convivæ* locum ſuppleat?

III.

Verùm *ſecundò*, quid ulteriori demonſtratione opus eſt? Fatentur omnes paſſim Interpretes, Servatorem toto hoc commate non obſcurè alludere ad Cantic. cap. V. comm. I — 6. Non poterit igitur ratio atque interpretatio phraſium rectiùs, quàm ex hoc loco peti. Proponitur autem illîc quoque ſponſus ad oſtium ſtans atque pulſans; verùm non ad oſtium cordis, ſed domûs ſponſæ, ipſa verò ſponſa ut intus cubans, ſomno ad tempus ſopita, mox autem è lecto ſurgens, oſtium aperiens, cúmque ſponſum interea temporis abiiſſe deprehenderet, egrediens foràs, eúmque anxiè per totam urbem quærens, nec deſiſtens, niſi poſtquam eum tandem inveniſſet. Omnia hæc clarè arguunt, eam ut *incolam ædis* cujus oſtium pulſabatur, & ab eadem aperiebatur, proponi. Eadem igitur emblematis ratio hîc loci quoque ſervanda erit.

IV.

Hinc igitur non exiſtimo emblema ad ſingulas partes extendendum, nec anxiè aliquid quærendum eſſe, quod in ſenſu figurato oſtio reſpondeat, ſed potiùs in generaliori complexu emblematis ſubſiſti debere. Scilicet generatim, tam hîc quàm Cantic. V. locutio deſumta eſt, ab illo, qui ad alium diverſurus, ſed oſtium clauſum inveniens, illud pulſando, propoſitum ſuum manifeſtat, atque intromitti quærit, & licèt non ſtatim id ſibi pandatur, non tamen protinus abit, ſed ad tem-

pus

pus præſtolatur, an fortè tandem, qui intus eſt, id audiat, ſéque apertis foribus intromittat.

Ita agenti benigniſſimus Servator, in actionibus ad ſalutem hominis inſtitutis, ſemet ſimilem præbet; ídque ut homo debitè animadvertat, & de momento ſimul ac indubiâ veritate rei convincatur, imò quaſi in rem præſentem ducatur, eum in limine ſtatim excitat voculâ Ἰδού. *Ecce ſto ad fores* cet.

Stat igitur primò *ad fores*, dum ſe homini propinquum præbet, quo ſenſu Jacobus ait. cap. V. com. 9. Ἰδοὺ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν.

Nec ſtat otioſus, ſed *pulſat*. Quo actu uti ad fores ſtans, præſentiam ſuam, unà cum intentione & deſiderio intrandi, manifeſtat, ita in Chriſto id omne indicat, quo homini gratioſum propoſitum, ad ipſum veniendi declarat, eúmque ad debitam ſui receptionem excitat. Sic pulſat externè, per verbum & gratiæ media, dum illis eam offert, hominémque blandè ad ſui communionem invitat, dicens הנני הנני *Ecce me! Ecce me!* Jeſ. LXV. com. 1. coll. LVIII. 9. & Matth. XI. 28. Hoc ſenſu idem ſingulis adhuc quaſi acclamat, quod quondam univerſæ eccleſiæ Zach. II. 10. *Jubila & gaude, filia Zion, nam ecce ego venio, & habitabo in medio tui*, cet. Internè autem ſimul pulſat, dum externa media occultâ vi, & operatione Spir. comitatur, conſcientiam excitat, de communionis ſuæ fructu atque neceſſitate, de neglecto hactenus officio, inde metuendo periculo, aliíſque hujus momenti veritatibus, ad hominem expergefaciendum aptis, convincit. Unde & *cor hominem* aliquando *ferire* incipit 2 Sam. XXIV. 10. Neque tamen vel hoc illos juvat, qui ipſum cor per oſtium hîc depingi credunt. Aliud enim eſt, an effectus ille pulſationis in corde perſentiſcatur, aliud an oſtium in ipſo ſermone figurato, cordis emblema ſit. Quid, quod? annon ſæpiſſimè dum oſtium validè, inprimis inexſpectatò percutitur, etiam cor illos, qui intus, metúque & fragore inde proculſi ſunt, pulſare ſolet, licèt illud neque oſtium ipſum ſit, neque per illud repræſentetur?

Ceterùm uti qui ſeriò, erga illos quorum fores pulſat, adfectus eſt, ſi non ſtatim intromittatur, non protinus diſcedere,

 ſed

ſed ad aliquod tempus ſubſiſtere atque præſtolari, quin & nonnunquam denuò & graviùs easdem procutere, aut altâ ſimul voce eos, qui intùs ſunt, inclamare ſolet, ita & hoc ſenſu, ſecundò Servator in majori adhuc emphaſi STARE & *pulſare* dicitur, ad ejus patientiam & longanimitatem erga peccatorem, indigitandam, quâ licèt peccator non protinus animum advertat, non tamen ipſe ſtatim ulterioris moræ pertæſus, ſe ſubducit, ſed continuato mediorum uſu, exſpectat, an fòrtè tandem ſe excitari patiatur, quin & ſæpe invitando, hortando, atque convincendo gravius inſtat. Hæc eſt μακροθυμία illa *quâ quondam in diebus Noë Evangelium annunciavit, Spiritibus in cuſtodiâ, cùm Dei longanimitas exſpectaret*, cet. 1 Pet. III. 19, 20. *Eadem Dominus etiamnum erga nos utitur, non volens, quenquam perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam venire*, unde ea meritò *ſalus reputanda eſt.* 2 Pet. III. 9, 15. Quam dum exercet, nonnunquam etiam percuſſionem forium repetere, aut altâ voce inclamare ſolet.

V.

Certè poſterius hoc minimè excludendum eſſe, ex eo patet, quod ſtatim addit: *ſi quis audiverit vocem meam, & oſtium mihi aperuerit*, cet. Poſſent enim quidem hæc ita accipi, ut quod modo ſub emblemate forium figuratè dictum erat, nunc propius de voce Servatoris explicetur, inprimis quia aliàs eadem res, ut ex mox dicendis patebit, ſub hac locutione proponi conſuevit. At non incommodè quoque res ita accipitur, ut *percuſſioni* juncta *vox* ſit, ſicque non externo tantum illo ſigno, ſed & articulato blandóque ſermone animus deſideriúmque intrandi ſignificetur. Utrumque ſanè haud raró conjungi ſolet. Sic ÆSCHINUS apud TERENTIUM in *Adelphis* Act. IV. Scen. IV. 23.

— — — — accedam ad fores:
Perii horreſco ſemper, ubi PULTARE hasce occipio miſer fores.
HEUS, HEUS, ÆSCHINUS EGO SUM. APERITE ALIQUIS ACTUTUM OSTIUM.

Atque

Atque ita ſponſa quoque, duo hæc ſimul memorat Cant. V. 2. Vox *amici mei*, PULSANTIS (eſt) *Aperi mihi Soror mea, amica mea, columba mea, perfecta mea!* Quicquid ſit, ſaltem vox Chriſti, ſtrictiori latiorive ſenſu ſumta, non ſolùm illam, quam immediatè in diebus carnis loquendo, edidit, ſed & per Apoſtolos, quin & alios adminiſtros, à ſe miſſos, ſuóque nomine hortantes, orantes atque obteſtantes, edit, imò totum verbum Evangelii cum omnibus gratiæ mediis innuit. Prov. I. 20. Cant. II. 8, 10. coll. 2 Cor. V. 20. Similes locutiones nec exteris Scriptoribus ignotæ ſunt. Nimis memorabilis eſt locus CICERONIS, quàm ut eum intactum relinquere poſſim, *de Offic.* Lib. III. in fin. *ſed ut, ſi ipſe veniſſem Athenas (quod quidem eſſet factum, niſi me è medio curſu clarâ VOCE patria revocaſſet) aliquando me quoque audires: ſic, quoniam his voluminibus ad te profecta VOX mea eſt; tribues his temporis quantum poteris, poteris autem quantum voles.* Nec minùs his omnibus rectè junguntur taciti motus & convictiones, quibus vox Domini ſive immediatè ſive cum externis mediis ipſum cor percellit. Ita ſanè comparata erat vox Jehovæ ambulantis in horto, quâ auditâ *Protoplaſti metu perculſi, ſe abdere quærebant ſub arbores horti.* Geneſ. III. 8, 10. Atque ita, poterit quis, ſi velit, ſub ipſâ pulſatione forium, vocem Domini comprehendere, at non minùs aptè quoque eandem ab illâ diſtinguere. Quæcunque autem ſententia eligatur, ſaltem non opus eſt, ut cùm Viro quodam eruditiſſimo, per vocem, *nomen* Servatoris intelligamus, inprimis cùm non ſolùm, ut jam monuit *Cl.* ELSNERUS, tota phraſis id vix videatur permittere, ſed &, licèt aliquando ut ex modo adductis Æſchini verbis patet, non tamen ſemper etiam cum clarâ voce, ipſius nominis nuncupatio conjuncta ſit, v. Act. XII. 13, 14.

Tota locutio *vocem alicujus audire*, ex Scripturæ uſu quoque dupliciter, in majori nempe minorive emphaſi, ut notum eſt, ſumitur. Priori modo accepta, externam ſolùm perceptionem verbi mediorúmque conceſſorum uſum innuit, ut Heb. III. 17. & IV. 7. *hodiè ſi vocem ejus audiveritis, ne obfirmate corda veſtra.* Poſteriori, ipſum adſenſum obedientiámque, fidei involvit.

 Unde

Unde χαρακτὴρ ovium Chriſti eſt, quòd *audiant vocem ejus* Joh. X. 16. & 27. cujus oppoſitum, *non credere*, com. 26. conſequens autem, *Chriſtum ſequi.* com. 27. Uterque ſenſus non malè ad locum præſentem quadraret, modò obſervetur, ſi priorem eligas, phraſi hac generaliorem & externum mediorum gratiæ uſum, alterâ autem, *aperire oſtium*, ſalutiferum fidei actum, innui: ſi verò poſteriorem, utramque locutionem, piam mentis, Chriſti communionem ſincerè anhelantis, diſpoſitionem atque actum involvere, hoc tamen diſcrimine, ut, τὸ *audire vocem Servatoris*, præparationem mentis, per debitam attentionem, adſenſum, propoſitúmque oblatâ gratiâ ritè utendi, τὸ *aperire* autem *oſtium* officia ipſa eò propiùs facientia, indéque proſilientia, includat. Eadem rationè uti ſponſa primùm, excuſſo ex oculis, incuriæ & ſecuritatis ſomno, animum ad vocem ſponſi, antea neglectam, advertebat, móxque ſurgens ipſi fores aperiebat, Cant. loc. add. Quod ipſum tamen quoque non obſcurè arguit, poſteriorem & ἐμφατικώτερον ſenſum hîc non malè præferri.

V I.

Aperire fores itaque promptitudinem atque alacritatem intromittendi pulſantem innuit, quæ cum intenſo deſiderio ſtudióque arctioris communionis, cum eodem colendæ plerumque, inprimis, ubi is cognitus eſt, conjuncta eſſe ſolet. Poſterius hoc nonnunquam quidem ab illo actu, ut ſequela ejus diſtinguitur, nonnunquam autem eadem locutione ſimul comprehenditur. Eo ſanè animo incolæ domûs Mariæ, Matris Johannis, Petro iterato pulſanti, *fores pandebant*, *eúmque videntes obſtupeſcebant.* Act. XII. 16. Eodem, Sponſa illas pandebat Sponſo, unde cùm ipſum abiiſſe deprehenderet, mox *in publicum prodiens*, *quærere non deſiſtebat*, *donec eum iterum inveniſſet.* Cant. V. 2. 6. ſeqq. Atque in hac emphaſi hîc quoque phraſin adhiberi, vel ex eo ſolo manifeſtum eſt, quòd cum hoc actu Servator ſtatim promiſſionem arctiſſimæ communionis conjungit. Sic igitur animus hanc anhelans, ſtatim in primâ converſione ad Chriſtum, remoto quaſi peſſulo omnibúsque obi-

Digitized by Google

obicibus præjudiciorum, peccati, & pravorum adfectuum, quæ ab illo arcent, *fores amicitiæ*, ut CICERONIS verbis Epiſt. X. Lib. XIII. *ad Famil.* utar, *ipſi aperit*. Sic pandit ſimul *portam pœnitentiæ*, quò per illam liberum ipſe aditum inveniat, ut conſuetam Judæis locutionem, quàm non inappoſitè contulit, erudiſſimus SCHÖTGENIUS, huc transferam. Quod autem ſub initium converſionis coeptum eſt, id pia anima repetit, urget atque promoveré allaborat, quoties cum infirmitatum, quâ propiori Chriſti fruitione exciderat, agnitione, inprimis poſt novas ejus admonitiones atque convictiones, poſtliminiò ſe ad eum ſincerè exſerit, aut propiùs in ejus communionem penetrare quærit, qualis inprimis erat ſtatus ſponſæ loco adducto Cant. V. Vides igitur B. L. in his omnibus nihil eſſe, quod ad fores, ut emblema cordis nos devenire cogat, ſed omnia ex generaliori totius emblematis ſchemate luculenter ſatis fluere.

VII.

Atque hoc maximè relatio illius, de quo Servator loquitur, ut *hoſpitis* & *convivæ* luculenter confirmat, *& intrabo ad ipſum, & cœnabo cum ipſo, & ipſemet mecum*. Ingreſſurum enim dum ſe non ſolùm pollicetur Servator, ſed & πρὸς αὐτὸν, clarè oſtendit ſe eum, ut antea monebamus, ut *incolam* domûs conſiderare, tum verò ſimul innuit, ſe propius cum ipſo commercium initurum, quod uſus phraſeos εἰσέρχεσθαι πρός τινα involvere ſolet, conf. Marc. XV. 43. & Act. Apoſt. cap. XVII. 2. Quod commercium ut ſuaviſſimum maximéque exoptandum ſequentia nobis repræſentant. Nihil enim notius eſt, quàm quòd cùm convivia arctioris amicitiæ erigendæ, confirmandæ aut colendæ cauſâ inſtituerentur, eadem, ſuaviſſimi amoris commercii, emblema eſſe ſoleant. Huic autem convivio Servator hîc loci *cœnæ* appellationem tribuit, non ſolùm quia ſplendidiſſima convivia antiquitùs veſpertino tempore apparari ſolebant, ſed etiam cum alluſione, ut videtur, ad ſacrum illud epulum, quod Servator in ultimâ cœnâ in ſui memoriam Eccleſiæ inſtituit, & cum Apoſtolis celebravit, quód

que inde κατ' ἐξοχὴν *cœnæ* & *cœnæ dominicæ* nomen retinuit, imò in quo idem ſingulari ratione ſub externis Symbolis locum habet, quod hîc ſub cœnæ emblemate proponitur. Ceterùm uti ipſæ gentes credebant Deos ſæpe in terram deſcendere, & hoſpitibus peregrinis ſimiles, per civitates verſari, ut ex HOMER. *Odyſſ.* P. v. 485. ſeq. monuit GROTIUS ad Gen. XVIII. 2. & Heb. XIII. 2. ita non minus exiſtimabant, eoſdem ſe à piis hominibus conviviis excipi ſinere. Nota ſunt quæ hanc in rem de JOVE & MERCURIO, mortali ſpecie, ad PHILEMONEM & BAUCIDA divertentibus, & apud illos prandentibus, tradidit OVIDIUS *Metam.* VIII. 626. ſeqq. aut de iiſdem cum NEPTUNO eundem honorem HYRIEO exhibentibus, idem Lib. V. *Faſt.* v. 493. ſeqq. præter alios fabularum ſcriptores, narrat, & ex iiſdem fuſiùs refert LUTAT. (non ut apud GURTLER. loco ſtatim adducendo, ſine dubio memoriæ lapſu, ſcriptum eſt, LACTANTIUS) ad STAT. *Theb.* III. v. 27. Quæ ultima fabula non immeritò HUETIO & inprimis eruditiſſimo GURTLERO in *Origin. Mundi* Lib. II. Cap. XXXIV. §. 5. creditur, ex hiſtoriâ Abrahami, convivióque, quod is Domino, cum duobus angelis eum comitantibus, inſtruxit, nata eſſe. Atque ad hoc Abrahami convivium quoque Servatorem hîc alluſiſſe non absque omni ratione ſtatuitur, quamvis tamen inprimis emblema ex Cant. V. continuari, & ſimul ad ultimam Cœnam Servatoris ſermonem accommodari, veroſimile videatur, idque præcipuè quia Chriſtus non ſolùm, *ſe cum fidelibus, ſed & hos ſecum cœnaturos promittit*, cujus in hiſtoriâ Abrahami nullum eſt veſtigium, omninò autem Cant. V. 1. poſtquam enim Sponſa Sponſum in hortum ſuum invitaſſet ad comedendos eximios fructus ſuos, ipſéque invitationi huic morem gerens, reſpondiſſet, *Veni in hortum meum ſoror mea, ſponſa,* — — *comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo,* mox viciſſim ſuos quoque ad epulas vocat, *Edite amici mei & bibite & inebriamini.* Nec in ultimâ cœnâ tantùm Servator unà cum diſcipulis de paſchali epulo guſtavit, ſed & vix dubitari poteſt, quin idem in inſtitutâ ſub ejus finem, cœnâ dominicâ, fecerit, quia diſertè ait: *Non bibam iterum de proventu vitis*

hujus,

bujus, donec illum novum bibero in regno Patris mei. Matth. XXVI. 29.

VIII.

Comedere autem *Deus* aut κατ' ἐξοχὴν *Chriſtus* dicitur, ut notum eſt, quando in re aliquâ cum voluptate acquieſcit. Ita *partes ſacrificiorum* Deo quondam oblatæ, ut *eſca; altare*, in quo immolabantur, ut *menſa ejus* conſiderari ſolebant. Lev. XXI. 6, 8, 17, 21, 22. Ita Chriſtus profitetur, *bunc eſſe cibum ſuum, quòd faciat voluntatem patris ſui.* Joh. IV. 34. Inprimis autem *cœnare cum fidelibus* dicitur, quando fructus fidei & piæ confeſſionis, imò bonorum operum, quos ipſi præbent, benigniter accipit, in illis beneplacitum habet, hócque actu manifeſtat. Hinc ait loco modo adducto Cant. V. *Comedi favum meum & mel meum, & bibi vinum meum & lac meum.* Quantus igitur hic eſt honor. Ingens habetur prærogativa, quando Rex aut Princeps privatum quendam dignatur, ut ejus ædes ſubeat, & apud ipſum prandium aut cœnam ſumat; neque id indulgetur, niſi præcipuæ dignitatis hominibus, at quantò major hæc eſt, quod Rex Regum & Dominus Dominorum ad miſerum abjectiſſimúmque peccatorem divertere, & cum ipſo cœnare vult! Neque tamen id omne eſt, quod tali exſpectare licet. Quin potiùs eidem Servator ulterius pollicetur, *& ipſemet* (cœnabit) *mecum.* Inſignis & ad rem faciens obſervatio eſt *Cel.* ELSNERI ad h. l. quâ ſummam Chriſti φιλανθρωπίαν commendat, qui hominis fide ejúsque fructibus adeò delectetur, ut apud eum cœnam accipere velit, ſuis tamen ſumptibus, ſuâ operâ & beneficio, inſtructam & paratam: quemadmodum Indiæ Rex PHRAOTES, APOLLONIO ad ſe divertenti amantiſſimè fertur dixiſſe, *nonne me convivam tibi eſſe voles?* cúmque Apollonius reposuiſſet, *cur igitur tu non me invitas ad convivium, ſed ut ego te invitem jubes?* eundem reſpondiſſe, *quòd te me duco præſtantiorem.* Ego inſuper hîc obſervo, quod idem locus non obſcurè involvit, & hodierna experientia confirmat, majoris adhuc honoris haberi, ſi Vir honoratior non ſolùm apud alium cœnet, ſed & ipſi hoſpiti ſimul cibum, licèt ab ipſo paratum,

paratum, ſecum ſumere permittat. Ita ſanè PHILODAMUS à VERRE coactus RUBRIUM in domum ſuam recipere, dum, ne id invitus feciſſe videretur, lautiſſimum adornabat convivium, id tantùm à bonâ Rubrii veniâ expetebat, ut ſibi ſoli cœnæ intereſſe liceret, proprium etiam filium aliorſum ablegans, ut docet CICERO I. *in Verrem* cap. XXVI. *ut erat inprimis inter ſuos copioſus, convivium comparat: ROGAT RUBRIUM, UT QUOS EI COMMODUM SIT, INVITET: LOCUM SIBI SOLI, SI VIDEATUR, RELINQUAT: etiam filium ſuum lectiſſimum adoleſcentem, foras ad propinquum ſuum quendam mittit ad cœnam.* Ceterùm quod modo laudatus Vir Doctus monet, Chriſtum cœnam accipere, *ſuis ſumptibus inſtructam*; id, ſi rem ipſam ſpectes, in ſe veriſſimum eſt, quia non tantùm quæ piis in ſpiritualem cibum & potum cedunt bona, à Chriſto conceduntur, ſed & ipſi fidei confeſſionis & bonorum operum fructus, quos eidem viciſſim apponunt, efficacis Chriſti in ipſis gratiæ fructus opúsque ſunt. Epheſ. II. 8, 9, 10. Tit. II. 14. Ut autem res tantò magis ad emblema hoſpitum, Chriſtum excipientium, ſub quo fideles hîc repræſentantur, quadret, commodiſſimè eam ita concipi exiſtimem, ut dum ipſi cœnam Chriſto inſtruunt, & quæ poſſunt ei apponunt, ipſe ſimul ſuâ potentiâ, eandem cœnam ulteriori adparatu quaſi adaugeat. Non abſimilem in modum, ſi profana ſacris componere licet, ac Philemon & Baucis, poſtquam de paupertate, quæ poterant, attuliſſent,

— — — *hauſtum cratera repleri*
Sponte ſuâ, per ſéque vident ſuccreſcere vina,

apud OVID. *Met.* VIII. v. 679. ſeqq. Aut poteſt quoque aliâ ratione eidem emblèmati inhæreri. Scilicet, non tantum bona gratiæ per Chriſtum adducta, ſub emblemate *cibi & potus*, quem Chriſtus ſuis concedit, veniunt in ſacris, Rom. XIV. 17. coll. Jeſ. LV. 1. ſeqq. & dum horum participes redduntur, fideles illis *veſci* dicuntur, ibidem com. 2. Sed inprimis ipſe gratiſſimus ſenſus qui inde in fideles redundat, & quo *guſtant*

atque

atque vident, quod Dominus bonus eſt Pſ. XXXIV. 9. *edere & bibere*, & quidem *ad ſatietatem* usque, dici ſolet, v. Pſ. XXII. 27. XXXVI. 8, 9. LXV. 5. Jer. XXXI. 14. Ita autem propriè *convivæ Chriſti* evadunt, quando Chriſtum debitè excipiunt, ſeu cœnant cum ipſo, quando ipſe cum illis cœnat, ex ipſis enim fructibus fidei & bonorum operum, quos Chriſto offerunt, & certâ ſpe, quod hi Domino placeant, oritur illa mentis tranquillitas, quâ eadem velut gratiſſimo cibo potúque paſcitur atque recreatur. Hæc eſt illa ἀγαθὴ συνείδησις quæ *apud Deum parrheſiam parit* 1 Pet. III. 16, 21. *bonum illud cor, quod perpetuum convivium eſt* Prov. XV. 15.

Atque id dum concedit Servator, illis, qui dignis modis ſe excipiunt, facit ut illi ſecum quoque cœnent, dum ipſe cum illis cœnat. Sic, uti de fabuloſo Deorum apud *Philemonem* & Uxorem convivio, exhibitíſque hac occaſione inſignis favoris ſignis, exclamat laudatus Poëta v. 724.

Cura pii Dîs ſunt, & qui coluere coluntur,

ita ipſo actu pateſcit, quod Deus Iſraëlis teſtatur 1 Sam. II. 30. *Ego honorantes me honorabo* & Servator verè adimplet, quod ſuis quondam non ſolùm in Spiritu pollicitus eſt, Prov. VIII. 17. *Ego qui me diligunt diligo, & qui maturè me quærunt, me invenient*, ſed & denuò repetiit Joh. XIV. 21. *Qui præcepta mea habet & ſervat illa, is eſt qui me amat. Qui verò me amat, amabitur à Patre meo; & ego amabo ipſum, & MEMET IPSI MANIFESTABO.* & com. 23. *Si quis me amet, ſervabit verbum meum. Et Pater meus diliget ipſum, & ad illum veniemus, & MANSIONEM APUD IPSUM FACIEMUS.* Atque ita manifeſtum eſſe puto, minimè opus eſſe durâ illâ & coactâ explicatione omnium partium emblematis, cùm, ſi illud tantùm in generaliori complexu ſumatur, omnia egregiè cohæreant, præſtantiſſimúsque ſenſus oriatur. Quod ipſum tantùm breviter per partes oſtendere volui. Ceterùm in prolixiorem totius loci explicationem me ingerere nolui, inprimis cùm mihi hîc otium faciant Viri docti, qui eum jam, ſive in

 Com-

Commentariis, ſive peculiaribus diſſertationibus illuſtrarunt, quorum præcipuos laudat WOLFIUS in *Cur. Crit.* & SCHETLIG. in *Biblioth. Diſſert.* ad h. l.

IX.

Ut autem eandem rem alio exemplo, huic non abſimili, confirmem, lubet adhuc paucis expendere verba *SUPREMÆ SAPIENTIÆ*, Prov. VIII. 34. אשרי אדם שמע לי לשקד על־דלתתי יום יום לשמר מזוזת פתחי: *Beatus homo, qui attendit mihi, ut vigilet quotidie ad fores meas, ut obſervet poſtes oſtiorum meorum!* Interpretes benè multi, cùm videant, hîc ſupponi emblema domûs, quam ſapientia inhabitat, & ubi ab his, qui aliquo ſui amore atque ſtudio ducuntur, vult adiri atque attentè audiri, exiſtimant in *foribus* & *poſtibus oſtiorum*, neceſſariò quoque emblematicum quid, quærendum eſſe. Sic jam olim *Venerabilis* BEDA & CAJETANUS, monente GEIERO, *fores* de *mediis ſapientiæ*, qualia ſint, *lectio*, *auditio*, *meditatio*, *oratio*; *poſtes* autem de *doctoribus*, explicuerunt. Nec multum abludit inter recentiores ſummus ille, nec unquam ſine honoris præfatione nominandus Theologus, VITRINGA de *Synag. Vet.* Lib. I. Part. 2. cap. 11. ſcribens: „ Ad *fores* & *januas* „ harum ædium *cubare*, eáſque *obſervare*, eſt adhærere *ori* „ Doctorum; Prophetarum ſub Inſtrumento Vetere, & Apo- „ ſtolorum ac Evangeliſtarum ſub Novo. Hi repræſentantur „ per *fores* & *januas*, quia per hos horúmque inſtitutiones & „ monita patet ad *Eccleſiam* aditus. „ Verùm mihi quidem, ut candidè quod ſentio eloquar, & hæc interpretatio ſemper coactior viſa eſt. Nam

1. Si ex poſteriori ſententiâ *fores* & *januæ* ſint *doctores*, quid tum de *poſtibus* ſtatuendum, quos Paræmiaſtes ſimul memorat, quorum illi emblema gerent? Videtur id ipſe Vir Doctus agnoviſſe, unde de eorum ſignificatione planè ſiluit. Si verò ex priori, *poſtes* ſint *doctores*; *fores* autem, *media ſapientiæ*, *lectio*, *auditio*, cet. quomodo fores illæ his poſtibus erunt infixæ, aut quibus cardinibus inter illos poſtes ſe movebunt, claudentur, aperientur? Vides B. L. te ubique offendere, ſi in ſingulas

gulas emblematicæ locutionis minutias te ingeras.

2. Ipſa Sapientia mox cap. IX. doctores ſub emblemate *ancillarum* ex domo ſuâ emiſſarum, repræſentat: quàm igitur inconveniens eſſet, eoſdem ſimul ſub *foribus* & *poſtibus januarum* depingere? Neque eſt, ut objicias, appellari tamen illic ſimul *columnas*. Uti enim nondum ſatis certò conſtat, illos per columnas has neceſſariò intelligi, ita ſi vel maximè id concedam, nihil tamen lucraberis. Non enim impedit, quò minus certi quidam, at inſigniores doctores, οἱ δοκοῦντες ςύλοι εἶναι Gal. II. 9. ſub illo emblemate veniant, alii autem, qui per præconium verbi inſtar *ancillarum emiſſarum* ad epulas ſupremæ Sapientiæ invitant, ſub hoc ſymbolo repræſententur: at cùm iidem quoque forent, per quos quorûmque inſtitutionem & monita ad Eccleſiam aditus concedatur, patet hac ratione eadem ſubjecta ſub diverſiſſimis, nec facilè inter ſe componendis, aut ſibi commodè ſubordinandis, emblematibus depingi. Nec obſtat, quòd aliàs fortè ſub eodem ſymbolo *portarum* & *forium* non incommodè exhibeantur. Eædem enim locutiones metaphoricæ in diverſâ relatione de rebus diverſiſſimis adhiberi poſſunt, unde ab earum uſu in uno loco non valet ſemper conſequentia ad alterum. Sic & *Chriſtus porta* eſt Joh. X. 7, 9. & *regeneratio* ad introitum in regnum cœlorum Matth. VII. 13, 14. & *poteſtas inferni*, *portarum* nomine venit, Matth. XVI. 18. at non licèt inde concludere, harum ſignificationum unam, multo minus omnes ad noſtrum quoque locum quadrare. Quin potius in talibus circumſtantiis videndum, quænam, aut an fortè etiam nulla earum huic vel illi loco conveniat?

3. Summa Sapientia in toto hoc & ſequente capite, perpetuis utitur locutionibus, quæ in toto complexu ſumuntur, &, in quarum ſingulis partibus, non ſemper peculiare emblema latet. Sic ſtatim in initio hujus capitis, eadem dicitur *clamare in vertice locorum celſorum*, *ponè viam*, *ad ſemitas*, *ad latus portarum urbis*, *ſub ingreſſum oſtiorum*. Ubi ſanè inanis labor foret, ſub his particularibus locorum determinationibus peculiaria myſteria quærere, cùm res ipſa loquatur, Parœmiaſten docere velle, eam ad hoc opus ſuum loca inprimis publica,

& ab hominibus maximè frequentari ſolita, eligere, ut eò plures Auditores nanciſcatur. Quòd ſi quis etiam velit, præcipuè ad urbem Hieroſolymam, &, quod in illâ Servator maximè exercuit, munus Propheticum, reſpici; vel ſic tamen fruſtra myſterium emblematicum, in *portis*, *locis altis* cet. quæret, cùm phraſes à ſitu & conditione urbis hujus deſumtæ, prudentem indefeſſámque operam, quam huic urbi impendit, loca quoque maximè opportuna illic captando, depingant.

X.

Eadem igitur ratione hîc, ut benè jam monuit, eruditiſſimus *Iprenſium Præſul JANSENIUS*, *non eſt ſcrupuloſè diſquirendum, quid per fores, quid per poſtes, ſit intelligendum, quoniam integra locutio eſt metaphorica.*

Scilicet ſolent, qui ad alios aditum quærunt, aut crebriùs eoſdem convenire optant, ad illorum fores excubare, quò quamprimùm aut quoties opportunam occaſionem intrandi inveniant, eadem utantur, nec fruſtra ſibi illam elabi patiantur. Verùm hoc uti generaliorem phraſeos ideam ſuggerit, ita nondum ad pleniorem totius rei intellectum ſufficit, cùm idem in diverſis circumſtantiis & ex diverſis cauſis fieri queat. Diſtinctiùs igitur totius allegoriæ ratio expendenda eſt. Id qui negligunt, in diverſa, & ad nexum orationis Supremæ Sapientiæ minùs facientia, delabuntur.

Sic fruſtra nonnulli volunt alludi ad *morem aulicum*, ubi ambientes aliquod officium, aut privilegium vel beneficium, continuò præſtolentur ante fores, ut Mardochæus Eſth. II. 21. vel ad *clientes*, qui ad conclavia jureconſultorum, diluculo mox adſtent, quando ab illis conſilio juvari deſiderant; vel ad ſtudium *amaſiorum*, qui inſomnes quandoque ducant noctes, & ad oſtium illarum quas amant, excubent, vel denique *aliorum*, qui ad Viros in eminente dignitate, auctoritate aut ſapientiâ conſtitutos, aditum adfectent, aut cum illis verſari quærant. videatur GEIER. & *S. Reverend. Epiſcopus* POLUS ad h. l. Omnia enim hæc, licèt in ſe vera, huc minimè quadrant, cùm nullum horum emblematum Parœmiaſtes toto hoc capite tetigerit,

tetigerit. Propoſuit autem potius Supremam Sapientiam, ut quæ Scholam vel gymnaſium aliquod erexit, in quo auditores ſalutaris cœleſtíſque doctrinæ præceptis vult imbuere. Hinc illos tam in præcedentibus quàm inprimis modo com. 32. & 33. invitat, *ad ſe ſuámque diſciplinam audiendam, nec eandem rejiciendam, quò ſapientes evadant.* Háncque invitationem urget commendatione felicitatis eorum non ſolùm, *qui vias ſuas cuſtodiant*, com. 32. p 2. ſed & qui ſummo ſtudio omnem occaſionem captent, ex ſe proficiendi. Vides igitur B. L. ex hoc emblemate etiam phraſin noſtram eſſe explicandam! Probè id animadvertit R. SALOMON ISACIDES adnotans, להכנס ראשו׳ לבית המדרש ולבית הכנס׳ ולצאת אחרון *ut primus ingrediatur ſcholam & Synagogam, & ultimus egrediatur.* Ubi quidem fuſè diſputare nolo, utrum jam tum temporis Synagogæ inter Judæos in uſu fuerint, quod non adeò placet *Celeb.* VITRINGÆ loc. adducto: Verbo tantùm moneo, quòd licèt ultrò concedamus, multa, quæ de illis Judæi tradunt, ſerioribus demum temporibus introducta fuiſſe, vix tamen videatur earum antiquior origo planè negari poſſe; cùm & rei natura, iſtiusmodi loca cultûs ſacri, extra Hieroſolymam ſaltem, & in urbibus ab hac metropoli longiùs remotis, flagitaverit, & non pauca Scripturæ Sacræ loca, eadem non obſcurè arguant, v. Act. XV. 21. coll. Lev. XXIII. 3. 2 Reg. IV. 2. Pſalm. LXXIV. 8. & non temerè rejicienda teſtimonia PHILONIS Lib. III. *de Vit. Moſ.* pag. 685. JOSEPHI Lib. II. *contr. Appion.* pag 1072. & DOCTORUM TALMUDIC. in *Bav Kam.* f. 82. & *Megilla Hieroſol.* f. 75. col. 1. eadem ſtabiliant. Verùm nobis ſufficit, quòd RASCHIUS rectè cenſeat alludi ad loca inſtitutioni publicæ dicata, cui rei etiam Synagogæ inſerviebant, maximè verò ad ſcholas inter quas inprimis in ſacris jam antiquitùs *ſcholæ Prophetarum* celebrantur, ut in Antiqq. Judd. P. I. cap. V. breviter docuimus.

X I.

Obſtare quidem primo intuitu videtur, quòd capite ſequente eadem Sapientia introducitur, ut *quæ domum ſtruxit, ubi convi-*

Digitized by Google

vas ad epulas à ſe paratas invitari curat. Nec diffiteor, mihi quoque haud ſemel admodum difficile viſum fuiſſe, quomodo hoc emblema commodè ſatis cum præcedente conciliandum ſit. Omnis autem difficultas feliciſſimè, ſi quid video, tollitur, modo obſervetur, ipſos Prophetas haud rarò quoque Auditoribus ſuis cœnam adornaſſe, cibúmque præbuiſſe. Sæpius id, imò forſan, ordinariò, Prophetarum Diſcipulis factum eſſe, non obſcurè ex 2 Reg. IV. 38. ſeqq. patet, ubi Eliſa jubet puerum ſuum, adpoſitâ ad ignem ollâ pulmentum parare, filiis Prophetarum, coram facie ſuâ ſedentibus, & dein Viro quodam panes adducente, etiam hos convivis, centum numero, præberi curat. Haud rarò idem factum eſſe in caſibus extraordinariis, inprimis quando Prophetæ ex immolatis ſacrificiis convivia adornabant, & ad illa præcipuos loci alicujus incolas vocabant, gemino exemplo 1 Sam. IX. 12, 13, 22, 23, 24. & XVI. 4, 5. conſtat. Imò forſan non longè à ſcopo feriemus, ſi conjiciamus, Servatorem qui plerumque actiones moribus gentis ſuæ accommodabat, ab hac quoque conſuetudine anſam ſumſiſſe, ut plus ſemel, feſſis & eſurientibus auditoribus ſuis, cœnam (licèt miraculoſo modo) adcuraret. v. Matth. XIV. 15. ſeqq. & XV. 32. ſeqq. Quid igitur mirum, ſi Suprema Sapientia poſtquam inſtitutionem ſuam ſub finem cap. VIII. abſolverat, mox Auditores ſuos amico convivio cap. IX. excipiat, quò tantò magis φιλανθρωπίαν ſuam diſcipulis demonſtret, & fructus doctrinæ ſuæ, ipſo actu, quaſi deguſtandos, præbeat? Quod tantò manifeſtius eſt, quò magis cum ipſâ invitatione ad has epulas, imò ad ipſam menſam inſtitutionem ſuam continuat. comm. 6, 7. ſeqq.

XII.

Sic igitur omnia cum eodem emblemate erectæ à Supremâ Sapientiâ publicæ ſcholæ blandè conſpirant, totáque locutio, *vigilare quotidie ad fores ejus & obſervare poſtes oſtiorum ejus*, à more diſcipulorum doctrinæ cupidorum deſumta, nihil aliud denotabit: quàm omni attentione atque ardore ſine ullo temporis diſpendio doctrinæ cœleſtis principia atque incrementa ex

ore

ore Supremæ Sapientiæ, & per media ab eadem ordinata quærere, nullámque proficiendi occaſionem amittere. Conferri non immeritò cum hac locutione poteſt illud השתפף בבית אלהים *in limine domûs Dei verſari* Pſ. LXXXIV. 11. Licèt enim illic ad templum, non ad Scholam reſpiciatur, tum quoque ſimul ad abjectius cuſtodum templi munus, in oppoſitione aliarum honoratiorum cultûs publici partium; nihilominus tamen aſſiduam illam præſentiam involvit, quâ pia anima jugiter quærebat templo maximè propinqua eſſe, quò continuò quavis datâ occaſione cultui publico vacare ejúsque amœnitatibus frui poſſet. Quale ſtudium in HANNA laudatur Luc. II. 37. *quando non receſſiſſe dicitur à templo, ſed Deo inſerviiſſe jejuniis & precibus dies noctésque.* Atque hinc & R. ISACIDES phraſin illam Pſalm. LXXXIV. verbis ex noſtro Proverbiorum loco deſumtis, explicat, ad verba בחרתי השתפף ſcribens: לשקוד על הסף ועל המזוזה *ad vigilandum in limine & ad poſtem.* Quemadmodum contrà plerique orientis Interpretes huc ad noſtrum Proverbiorum locum vocem *liminum* applicant. Sic CHALDÆUS דשמע לי ונשקוד על אסקופתי בכל יומא ויומא למנטר ספי דתרעי *Qui auſcultat mihi & vigilat ad LIMEN meum quotidiè, ad obſervanda LIMINA portarum mearum.* & SYRUS ܘܫܩܕ ܥܠ ܬܪܥܝ ܟܠ ܝܘܡ ܘܢܛܪ ܐܣܟܘܦܬܐ ܕܬܪܥܝ *& vigilat ad fores meas quotidiè, & obſervat LIMINA forium mearum.* Ubi in tranſitu notanda vox ܐܣܟܘܦܬܐ quæ in Lexicis Syriacis deſideratur, ſed ex Arab. اسكف lucem accipit, collato Chaldaico אסקוף per ק. Neque hæ paraphraſes malè ad rem præſentem quadrant, cùm liminum eadem in iſtiusmodi locutionibus ſit ratio, quæ *poſtium* & *forium.* Hinc & apud Latinos horum inprimis in iiſdem mentio fieri ſolet, unde phraſes paſſim occurrunt *ſervare*, *obſervare*, *frequentare*, *terere limen*, conf. GATACK. *Adverſ. Miſcell.* Lib. II. Cap.

Cap. XI. Ita quoque Ovidius *obſidere limen*, de eo qui amicæ ædes indefeſſâ curâ obſervat, & occaſionem introeundi aut pellendi rivalem quærit, cujus integrum indefeſſúmque ſtudium, ſtudio militis comparatum ita deſcribit Lib. I. *Amor*. IX. 15. ſeqq

Quis niſi vel miles, vel amans, & frigora noctis,
Et denſo mixtas perferet imbre nives?
Mittitur infeſtos alter ſpeculator in hoſtes:
In rivale oculos alter, ut hoſte, tenet.
Ille graves urbes, hic duræ LIMEN amicæ
OBSIDET: hic portas frangit, at ille fores.

Atque hac ratione, jam ſine dubio intelliges B. L. & in hoc loco nihil difficultatis ſupereſſe, nihil coactum in ejus explicationem intrudi, ſi emblema tantùm in toto complexu ritè accipiatur. Pluribus idem exemplis ulteriùs ſtabilire, cùm maximè nec temporis, nec chartæ ratio patitur.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX LOCORUM S. S.

Gen.	Pag.
I. 27.	571
II. 7.	495
III. 7.	414
8, 10.	599
V. 29.	15
VII. 22.	495
VIII. 1.	428
22.	62
IX. 27.	578
X. 14.	116
17.	150
19.	146
XIII. 16.	22, 105
XV. 12, 17.	302
5.	22
XVI. 1, ſeq.	289
XVII. 1.	1
4, 5.	11, ſeq. 447
15.	11
16.	22
XVIII. 20. 21.	387
XIX. 23.	302
XXII. 18.	578
XXV. 22, 23.	255
XXVII. 5. ſeq.	286
33.	292
36.	284
41.	287
XXVIII. 8.	7
18. ſeq.	27
XXXI. 13.	30
XXXII. 7, 11.	293
XXXIII. 20.	30
XXXIV. 2.	151
XXXV. 1. ſeq.	30
11.	7
18.	294
XXXVII. 9, 11.	306
XXXVIII. 28, 29.	285

Gen.	Pag.
XLIII. 14.	7
30.	182
XLVIII. 22.	37
17.	299
XLIX. 5, 6.	41
25.	7
Exod.	
I. 19.	292
II. 24.	428
III. 8.	150
XII. 6, 7, 18.	51
XIII. 2.	231
13.	89
XV. 7.	265
18.	428
XIX. 16, 19.	429
XX. 9.	55
10.	62
18.	429
XXI. 5, 6.	224, 230.
XXVII. 20.	59
XXVIII. 11.	235
XXXIII. 3.	400
11. 20.	566
XXXIV. 20.	89
30	553
33-35.	545. ſeq.
29.	572
Levit.	
VIII. 7.	193
X. 1.	553
XVI. 35.	553
XXI. 6, 8, 17, 21, 22.	603
XXII. 24.	192
XXIII. 3.	609
36.	57, 62
XXVI. 42.	428
45.	429

Numer.	Pag.
III. 35.	19
VI. 12.	354
X. 10.	429
XIII. 16.	353
XVI. 1.	119
48, 50.	62
XVII. 5.	106
XVIII. 15, 16.	88, 89
20.	214
XXIII. 21.	428
XXV. 8.	62
XXVIII. 17.	51
26.	57
XXIX. 35.	57
XXXI. 23.	326
XXXII. 41.	149
Deuter.	
II. 23.	146
VIII. 8.	381
XI. 17.	62
9.	109
XII. 5.	274
31.	192
XVI. 8.	50, 57
21.	109
XVII. 16, 17.	352
XIX. 2.	214
XX. 6.	59
XXII. 10.	86
8.	90
XXIII. 19.	65
XXV. 4.	69
XXVIII. 10.	106
XXXII. 8.	504
21, 43.	578
XXXIII. 5.	428
Joſ.	
II. 2.	292
III. 10.	150

Joſ.	Pag.
V. 1.	408
12.	62
VI. 17, 23.	292
IX. 1.	159
7.	148, 151
XI. 3.	151
17.	281
19.	151
XII. 7.	237
XIII. 3.	146, 150
5.	241
11.	242
30.	150
XVIII. 23.	146, 148
XIX. 47.	255
XXI. 17.	148
45.	364
XXIII. 14.	364
XXIV. 32.	50
Jud.	
III. 3.	152
VI. 26.	278
VII. 16.	214
VIII. 13.	260
XIII. 5.	232
15.	62
XIV. 14	264
18.	260
XVI. 2.	33
9, 12.	117
XVIII. 13.	33
31.	33
XX. 18, 26.	30
31.	32
XXI. 2, 4.	31
19, 21.	31
Ruth.	
I. 20. 21.	5
IV. 19.	12

1 Sam.	Pag.
I. 11.	231
II. 4.	122
18.	123
III. 19.	354
VI. 7.	96
VII. 7, 9, 17.	278
IX. 12, 13, 22, 23, 24.	610
X. 3.	33
XIII. 3.	372
XVI. 4, 5.	610
XVII. 43	87
XVIII. 4.	122
XXIV. 15.	87
XXX. 14.	114
2 Sam.	
I. 18, 22.	122
II. 28.	371
V. 17-25.	115
VI. 2.	102
6.	109
14. 16.	127
VII. 2.	251
12.	292
VIII. 1.	115
3.	248
18.	111
IX. 8.	87
XII. 9.	371
XV. 18.	311
XVI. 2.	278
9.	87
XVIII. 16.	371
XX. 7, 23	111
XXIII. 11.	149
15.	133
XXIV. 1.	372
10.	597
21, 25.	62
1 Reg.	
I. 38, 39.	113
III. 2.	278
26.	182
VI. 16, 19.	213. ſeq.

1 Reg.	Pag.
VIII. 19, 20.	292
27	488
41, 43.	508
43.	107
56.	354
64	32
IX. 11.	253
18.	254
19.	250
XII. 29.	35
XIII. 1.	35
26.	264
XIV. 27, 28.	128
XV. 11, 14.	280
XVIII. 30.	278
XX. 43, 44.	280
XXI. 2.	74
2 Reg.	
IV. 2.	609
38. ſeq.	610
VI. 20.	214
VIII. 13.	87
IX. 4.	104
X. 10.	354
20.	60
25.	129
30.	316
XI. 4, 19.	126
4, 6, 11.	129
XII. 3.	280
XIV. 4.	280
XV. 4, 35.	280
8.	315
12.	316
XVII. 2, 8.	36
24.	145
29-31.	144
XVIII. 4, 22.	280
34.	145, 153
XIX. 13.	145, 153
XXIII. 5.	178
11.	208

1 Chron.	Pag.
II. 9, 10.	12
25, 27.	12
29.	19
31, 35.	19
33.	119
V. 14.	19
23.	243
XI. 17. ſeq.	133
XII. 4, 8.	122
XIII 6.	109
XV. 8.	115
XVIII. 3.	248
17.	113
XIX. 1.	115
17.	120
XXII. 18.	278
XXVIII. 11.	209
2 Chron.	
II. 13.	235
VI. 13.	214
33.	107
VII. 9.	57
VIII. 2.	248
4.	254
6.	250
XI. 15.	204
XII. 11.	128
XIII. 19.	33
XIV. 29.	315
XXIX 5.	292
XXX. 6.	128
XXXI. 3.	104
Nehem.	
VIII. 19.	57
Eſther.	
II. 21.	608
VI. 10.	354
Job.	
III. 5.	178

Job.	Pag.
III. 9.	305
IV. 2.	62
V. 6.	294
17.	5
19.	55
VI. 4.	5, 6.
IX. 6.	576, 577
7.	260
15.	294
XI. 17.	303
XII. 15.	62
XIV. 5.	314, 502.
XV. 32.	314
XVII. 11.	353
XXI. 20.	5
XXII. 2.	491
25.	7
XXIII. 16.	5
XXVII. 2.	5
3.	495
5. 7.	101
13.	5
XXVIII. 15.	74
XXIX. 9.	62
XXX. 28.	201
XXXII. 8.	7
XXXIII. 4.	7
XXXV. 7.	491
10.	303
XXXVI. 2.	591
XXXVII. 18.	568
23.	7
Pſalm.	
I. 3.	412, 414
II. 9.	582
XVII. 14.	104
15.	564
XVIII. 9.	322, 576
30, 33, 40.	294
XIX. 6, 7.	302
XXI. 13.	37
XXII. 29.	428

Digitized by Google

Pſalm.	Pag.
XXIV. 7-10.	428
XXVI. 5, 6.	115
XXVII. 1.	293
XXVIII. 2.	213, 294
XXXI. 13.	329
23.	294
XXXIV. 14.	179
9.	554, 605
XXXVII. 6.	303
35.	414
XXXVIII. 7.	179
XXXIX. 4.	322
XL. 7.	221
XLI. 4.	3
XLII. 10.	179
XLIV. 23.	92
XLV. 6.	576
7.	582
XLVII. 6.	429
XLIX. 2, 3.	97
L. 1.	302
LVIII. 5.	228
7.	265
LIX. 7, 15, 16.	164
LX. 8.	37
LXVI. 12.	322
LXVIII. 9	104
15.	5
LXXIV. 8.	609
LXXVII. 13.	314
LXXX. 9.	409
13.	410
LXXXI. 4.	429
LXXXII. 7.	578
LXXXIV. 8.	572
11.	611
LXXXIX. 42, 43.	410
XC. 3.	314
4.	353
10.	294
XCIII. 1.	428
XCV. 11.	576
XCVII. 9.	322
XCVIII. 6.	429

Pſalm.	Pag.
CIV. 19.	302
CVI. 30.	62
45.	429
CXI. 4, 5.	429
CXIII. 8.	104
CXXXIII. 1 - 3.	101
CXXXIX. 16.	314
CXL. 11.	322
CXLI. 2.	220
CXLIV. 8.	104. ſeq.
Prov.	
VI. 16.	55
VIII. 32, 33.	609
34.	606 ſeq.
XV. 8.	86
15.	605
XVII. 16.	74
XVIII. 9.	256
XXVI. 8.	228
17.	170
XXVII. 26.	74
XXX. 15, 18.	55
Eccleſ.	
I 5.	302
X. 11.	228
16.	379
XI. 7.	301
Cant.	
I. 6	309
II. 11.	353
13.	390
14.	97
17.	592
IV. 6.	592
8, 11.	247
16.	410
V. 1.	411
1 - 6.	596, 600. ſeq.
11.	179
15.	247
VII. 4.	247
5.	255

Jeſ.	Pag.
I. 5.	3
12.	490
13, 14.	63. ſeq.
26.	269
30.	414
IV. 4.	321
V. 1. ſeq.	415
2, 4	411
5.	410
VI. 10.	417
VIII. 21.	591
XI. 6 - 9.	97
XIII. 6.	5, 6; 8
XVIII. 9.	429
5.	417
XIX. 1 - 17.	275
18.	252. ſeq.
18. ſeq.	276
XXIII. 17.	71
18.	71, 279
XXIV. 23.	207; 214
XXV. 6.	279
XXVII. 13.	429
XXVIII. 29.	415
XXIX. 10.	417
XXXIII. 22.	581
XXXIV. 4.	414
XXXVII. 13.	153
XXXVIII. 13.	265
XLI. 4.	498
XLII. 6.	455
XLV. 6, 7.	305
13.	74
15.	477. 553
18.	560
22.	456
23.	293
XLVI. 6.	428
XLVII. 14.	322
XLIX. 1, 5.	234
6.	455, 456
L. 4, 5.	234
LIV. 1.	25

Jeſ.	Pag.
LIV. 17.	490
LV. 1. ſeq.	74, 604
LVI. 3 - 7.	101
10.	160
LVII. 19.	531
LVIII. 3.	492
10.	303
LIX. 10.	506
LXIV. 6.	414
LXVI. 1.	488
3.	88, 92
Jer.	
I. 2.	106
II. 4.	429
VIII. 17.	229
18.	3
21.	179
IX. 3.	284
X. 11, 12, 13.	482
XI. 16.	409
XV. 13.	74
XVII. 8.	414
XVIII. 4.	329
XIX. 2.]	260
XXII. 28.	329
XXIII. 6.	268
29.	322
XXIV. 2.	402
2, 5.	413
XXV. 34.	329
XXIX. 17.	413
XXXI. 20.	429
XXXV. 16.	101
XXXVI. 7.	294
XXXVIII. 26.	294
XXXIX. 3.	211
LI. 33.	416
34.	329
Thren.	
I. 13.	328
22.	3
II. 19.	220

Thren.
III, 41. 220
V. 10. 180

Ezech.
I. 24. 6
VIII. 16. 218
X. 5. 6
XVI. 3. ſeq. 101
32, 34, 41. 71
60. 429
XXIII. 14. 208
39. 214
XXV. 16. 114
XXXII. 7, 8. 302
XXXVII. 1, 5. 418
25. 109

Dan.

II. 5. 10. 211
21. 508
44. 582
III. 4. 576
IV. 7 211
8, 9. 414
11, 18. ibid.
V. 18 - 30. 314
31. 376
VI. 24. 265
VII. 18, 27. 582
IX. 3, 17, 18. 294
25, 26. 432
XII. 3. 573

Hoſ.
II. 12. 71
23. 578
VI. 9. 37
11. 416
VIII. 8. 329
9, 10 71
IX. 9. ibid.

Hoſ.
IX. 19. 402
X. 5. 178, 201
15. 299
XI. 8. 182
XII. 4. ſeq. 282
5. 35
7. 297
XIII. 2. 299
XIV. 8. 246

Joël.
I. 14. 57
15. 5, 6
II. 1, 15. 377
15. 57, 66
31. 314
III. 13. 416
IV. 19. 106

Amos.
I. 5. 241, 258
V. 5. 204
22. 57
VII. 9, 11. 315
VIII. 2, 8. ibid.
9. 300

Obadj.
21. 428

Mich.
I. 7. 71
III. 6. 302
V. 1. 203
VII. 1, 2. 413, 415

Neh.
I. 5. 577
III. 12. 402

Hab.
I. 16 229

Zeph.

Zeph.
I 4. 178. 201
II. 5. 114
III. 9. 37

Zach.
VI. 2, 6. 179
IX. 9. 379
14, 15. 429
XI. 12, 13. 91. 420
XIV. 9. 428

Mal.
I. 2. 285
III. 14. 179
IV. 2. 260, 455
6. 577

Matth.
III. 7. 320. ſeq.
10. 388, 417
11. 317
12. 416
V. 14. 443, 456
17, 19. 355
18. 335
31. 278
32. 446
VI. 2. 357
2, 5. 229
12, 13. 399
19, 20. 581
24. 98
VII. 6. 87
13, 14. 607
16. 412
29. 574
VIII. 11. 12. 585
X 5, 6 461
XI. 11. 554
XII. 33. 412
41. 469
XIII. 24. 416
30, 39. 416
43. 573

Matth.
XIV. 15. 353, 610
35. 469
XV. 24, 26. 461
26. 87
32. ſeq. 610
XVI. 3. 500
18. 582, 607
XVII. 2. 570
XIX. 7. 278
XX. 22, 23. 322
XXI. 18 - 22. 378
21. 407
28. 31. 409
34, 37. 412
43. 417, 585
XXIII. 15, 23. 415
XXIV. 14. 461
15. 432
32. 384
34, 35. 353
XXV. 31. 536
41 - 46. 98
XXVI. 13. 461
28. 454
29. 603
64. 538
XXVII. 1. 406
6. 90
9. 420
24. 229

Marc.
I, 4, 5. 320
8. 319
VII. 4. 324
XI. 12. ſeq. 378
XII. 1 ſeq. 409
12. 399
XIII. 32. 386
XIV. 9. 461
XVI. 3, 4. 399
7. 424

XVI.

Marc. Pag.
XVI. 15. 461
Luc.
I. 13 - 15. 232, 285
28. 595
32, 33. 581
41, 44, 60, 63. 285
II. 4, 11. 138
32. 454
37. 611
III. 7 - 17. 320
16. 317
XI. 32. 469
XII. 30. 446
XIII. 6. 409
7. 388, 403
7, 9. 417
XVI. 17. 335
XVIII. 11, 12. 415
XXI. 29, 30. 384
XXIV. 39. 506
44. 419. ſeq.
Joh.
I. 5. 455
10. 437, 451
11. 412
14. 489, 554, 574
24. ſeq. 320
29. 433, ſeq
29. ſeq. 320
33. 319
III. 16, 17. 454
34. 575
IV. 5. 50
13, 14. 135
22. 480
23, 24. 581, 585
34. 381, 603
35. 416
42. 456
VI. 33, 51. 439, 457
VII. 4. 443, 451
39. 135, 574

Joh. Pag.
VII. 45. 550
VIII. 12. 455
26. 443
33. ſeq. 415
IX. 4. 313
5. 455
22. 417
X. 7, 9. 607
16, 26, 27. 600
XI. 48 - 50. 92
XII. 19. 443
42. 321
47. 454
XIV. 9. 550
21, 23. 605
22. 437
31. 439. 457
XV. 1. ſeq. 415
18. 437
19. 436. ſeq.
XVI. 2. 417
20. 437
XVII. 9, 14, 16. 436, ſeq.
21, 23. 439. 457
25. 437
XVIII. 20. 443
39. 229
XIX. 1. 371
XXI. 4. 406

Act.
I. 11. 469
15. 469
16, 20. 400, 469
II. 14. 469
19. 322
20. 314
22. 536
25, 26. ſeq. 433
30. 537
37. 469

Act.	Pag.
III. 18. ſeq.	433
22.	537
IV. 24.	481
IX. 15.	329
27.	404
X. 3.	595
XII, 13, 14.	599
16.	600
XII. 21.	314
XIII. 9.	466
16.	469
33, 35. ſeq.	433
46.	418
XIV. 15.	469
XV. 21.	609
XVII. 2.	601
21 - 31	463. ſeq.
30.	165
31.	442
XIX. 25.	469
XX. 5.	590
XX. 24.	294
XXI. 28.	531
XXII. 3.	467
XXV. 19.	471
XXVI. 18.	530
22.	433
XXVII. 10, 21, 25.	469
XXVIII. 23.	433
Rom.	
I. 8.	461
16, 17.	99, 572
28.	530
III. 2.	472
6, 19.	442
29, 30.	439
IV. 12, 13.	439. 446. ſeq.
17.	14, 439
18. ſeq.	290
19.	18
VII. 14.	86
VIII. 15.	554
30.	572
35. ſeq.	294
38.	92

Rom.	Pag.
IX. 4.	460
6.	355
9.	18
10. ſeq.	285
22, 23.	319
31, 32.	415
X. 4.	592
11.	480
18.	531
XI. 7.	409
12.	448
15.	418
22.	98
24.	418
XII. 2.	570
XIV. 17.	604
XVI. 25.	554
I Cor.	
III. 13.	322
15.	330
IV. 13.	92
VI. 2.	437
11.	99
IX. 5.	574
9.	69
X. 2.	324
XI. 32.	437
XIII. 12.	555. ſeq. 592
13.	581
XV. 24.	582
41. ſeq.	573
2 Cor.	
III. 7.	553
13.	550, 553
14.	550
15.	546
18.	542. ſeq.
IV. 3.	546
4.	549
6.	546
16.	572
V. 1, 6, 8, 9.	596
17.	353. 592

V. 16.

2 Cor.	Pag.
V. 16, 19.	458
VI. 14.	86
X. 4.	391
Gal.	
I. 14.	467
II. 9.	607
III. 24.	592
IV. 22 - 27	25
Eph.	
I. 3.	581
II. 8, 9. 10.	604
12, 19.	93
17.	412
IV. 5.	543
23.	570
VI. 11. ſeq.	294
Phil.	
III. 20.	573
IV. 13.	294
Col.	
I, 6, 23.	461
15.	549
II. 17.	592
III. 10.	570, 571
1 Theſſ. IV. 16.	536
V. 10.	322
2 Theſſ. I. 4.	307
II. 4.	473
1 Tim. II. 8.	585
VI. 8.	495
Tit.	
II. 14.	604
Hebr.	
I. 3.	549
II. 2, 5.	578
15.	554
III. 17.	599
IV. 7.	ibid.
VII. 11 - 19.	593
12.	579
16.	577
18, 19, 22.	581
VIII. 7, 8, 18.	577, 593
IX. 10.	593

Hebr.	Pag.
X. 1.	592
5.	222
9.	593
XI. 5.	578
11.	18
20, 31.	292
39, 40.	581
XII. 11.	323
18 - 26.	580
21.	553
27.	575. ſeq.
28.	580
1 Petr.	
I. 25.	581
II. 5.	595
III. 6.	18
19, 20.	598
2 Petr.	
I. 13, 14.	596
19.	592
20.	437
22.	87
III. 9, 15.	598
10.	353
Jac.	
I. 10.	353
23.	557
V. 9.	597
1 Joh.	
I. 1.	506
II. 1. 2.	459
28.	554
III. 1, 13.	437
2.	564
IV. 14.	456
V. 19.	437
Apoc.	
III. 20.	411. 593. ſeq.
VIII. 5. 7. 8.	322
XI. 5.	ibid.
XIV. 14. ſeq.	416
XVI. 8.	322
XX. 9.	ibid.
XXI. 21.	557
XXII. 15.	87
11.	572

INDEX VOCUM EXOTICARUM

I.

Hebraic. Chaldaic. Syriac. Rabbin.

אב רם 12, 448
אומית העולם 444. ſeq.
און 64
און 293. ſeq.
ܐܦܘ ܓܒܒܕܐ 554
אספקלריא 558. ſeq.
אתנן 71
בוא 302
בוי 3
ברך 438
גבי 3
גנז 281
דביר 213. ſeq.
דוי 3
ה non confundendum cum ח 262. ſeq.
הי 3
הרם 265
זבי 3
זונה 65
ח non temerè cum ה permutandum. 262
— cum y ſæpe permutatur. 149
חברים 196. ſeq.
חוים 149
חנן 294
טבילה באש 326
ܓܒܒܐ 130
י finale ſæpe non eſt adfixum. 20
יצא 302
ד *ſimilitudinis & veritatis*. 574
כמר 179. ſeq. 182
ܦܘܣܡܪ̈ܐ 205
כרווא כרז 376
כרי 126. ſeq.
כרכר ibid.
כרתי 121
רב מג & מג 211
מגדל 256
כחיר 72. ſeq.
נבחן 157. 161
נפל 354
כרוחים 209. ſeq.
ܡܪ̈ܐ 23
y ſæpe permutatur cum ח 149
& cum G 153
עבר 353
עולם 436
—— & לעולם 230
—— & כל העולם 442. ſeq.

Digitized by Google

ſeq. 459.
עוקץ 342. 350
עצרת & עצרתא 58. ſeq.
עקב 283
עשה 587
פלשתים 116
פלתי 124
צהרים צהר 303
קוץ 342
קץ 398
ראה באספקלריא 560. ſeq.
ܦܘܣܐ 130
רם 12

ש Arab. mutatur in س 9

שדד 8
שדי 2. 8
שכם 325
שרה 23
שרי 25. ſeq.
חג .חגים 339

2.

Arab. & Perſic.

اسل 269
اشد 9
اهل الغبله 219
اوس 64
بان & بون 273
بان 13
بعل 339

بكك 240
دوقا اليهود 373
تاج 339
الجاهلية 527
حب 149
خادم 205
خادم الله ibid.
دبر cum cognatis. 215
رهم 15. ſeq.
زر 13
زربان ibid.
زرمان ibid.
زنار & زنارکب 188
زروان & زرفان 13
سرا 23
سراه & سروة 24
سرخ 210
سري 27
سريخ 209
شد 8
شده 9
شكم 38
عفص 350
فلت 124
فلط ibid.
قبلة قبل 218. ſeq.
كر كار 123. 127
كرا & كري ibid.
كرتج ibid.

كرط الكرد 121
الكسد انبون 156
كطر 121
كعبة 218
كمر 182. ſeq.
كور 127
ليلة ليلا vel ليل لايل 303
مجر 72
مجدل 256
مجوس 206
مخر 73
مغ 206
هرس 265
ولن 13

3.

Græc. & Copt.

Ἄγνωστος. 476
Αἷμα. 497
Ἀμβρής. 273
Ἀναθεωρεῖν. 473
Ἀνὴρ & cum epitheto. 469, 536
Ἄρειος πάγος. 467, 468
Ἀσεδὲκ. 268
Αὐτὸς. 494
Βαιὴθ. 273
Βαπτισμὸς. 325, 329
Γένος. 517
Δαβὶρ, Δαβεὶρ. 220
Δεισιδαιμονία. 470
Διὰ. 558
Ἔθνος. 496
Ἐνδεὲς. 491
Ἐνθύμησις. 521
Ἐπιλαβόμενος ἤγαγον. 464
Ἔσοπτρον. 556. ſeq.
Ἐσοπτρίζεσθαι. 557
Εὑρίσκειν, Ἐφευρίσκειν. 507
Θεραπεία, Θεραπεύειν. 490
τὸ Θεῖον. 518
Θμοῦις. 271
Καθάπερ. 574
Καί τοιγε. 510
Καιρὸς 396, 501
Κατὰ πάντα. 472
Κατοπτρίζεσθαι. 548. 557
Καύσων. 325
Κεραία. 338, 349
Κήρυξ. 376
Κηρύσσω. 377
Κύριος. 505
Μένειν. 589. ſeq.
Μεταμορφόω. 569
Μετάνοια. 530
Μετατίθημι, Μετάθεσις. 578. 579
Ὁ pro οὗτος. 517
Ὁρίζειν. 501, 502, 504, 536

Ὅρος,

Digitized by Google

Ορθὸς, Ὀρθοθεσία. 504
Οὐ μακρὰν εἶναι. 509
Πανταχοῦ. 531
Παρελθεῖν. 353
Παριδεῖν. 529
Πεσεῖν. ibid.
Πιβὼβ. 273
Πίστιν παρέχειν. 537
Πνοὴ. 494
Ποιεῖν. 587
Πονεῖν. 583
Προσδεῖσθαι. 491
Πρόσωπον. 500
Σαλεύεσθαι. 576
Σαλπίσαι. 361. 371
Σαλπισμὸς. 357
Σέβασμα. 472
Σὼς. 273
Τέχνη. 521
Ὑπεριδεῖν. 527. ſeq.
Χάραγμα, Χαράττειν. 520. 521
Χρόνοι ἀγνοίας. 526
Ψηλαφᾷν. 506

INDEX

INDEX RERUM

PRÆCIPUARUM.

A.

Pag.

Abraham priùs Abram dictus. 11. ſeq.

—— num ante converſionem adhuc aliud geſſerit nomen. 13

—— Vett. Perſis Zerman Zervan, Zerſan & Zerban dictus. ibid.

—— Latet ſub Χρόνῳ ſ. Saturno. ibid.

—— quæ ſit ſignificatio nominis Abrahami, & unde id derivandum. 14. ſeq.

Aeſtatis initium apud Judæos. 398

Ager ſepulchralis cur à Judæis fuerit emptus argento proditori prius dato. 93. ſeq.

Agilitas in militibus præcipuè laudata. 122. ſeq.

Allegoricæ locutiones ſæpe in generaliori complexu ſumendæ, nec ad ſingulas partes, aut verba, ſemper extendendæ. 523 ſeq.

Amoræi occupata Jacobi ditione ab ipſo ejúsque filiis inde ejecti. 42 ſeq.

Ana, regio & urbs Armeniæ. 155

Anaitis Dea. ibid.

Annuli auribus inditi hominum Deo devotorum. 226. ſeq.

Antilibanus Orientalis tractus montis Libani. 242

Ἀντίφερσις fundamento caret. 438

Anubis vox ferè eadem cum Nibchas. 162

Apex legis non interiturus. 335. ſeq.

Apices literarum apud Judæos. 342

Aquæ Bethlehemiticæ v. Bethlehem.

—— certæ à regibus Orientalibus bibi ſolitæ. 136

Aquam ex regione quadam petere ſupremi imperii ſignum. 139

Aræ quondam variis inſcriptionibus exornatæ. 473

Aratus de ſummo Numine optimè loquitur. 514

—— non ipſe argumentum libri

Pag.

bri ſui compoſuit, ſed Eudoxi Cnidii librum metro condidit. 515

Arborum apud Judæos aliæ privati, aliæ communis erant Juris. 382. ſeq.

—— nonnullarum vitia. 403. ſeq.

Areopagus. 467. 468

Areopagiticum judicium noctu agebatur. 535

—— in illo non ſemper juſtitia illæſa manebat. 534

Areopagitis ipſos Deos ſuos aliquando ſe judicandos ſtitiſſe, dicebant. 533

Athenienſes præ aliis populis, & inprimis præ reliquis Græciæ civitatibus à δεισιδαιμονίᾳ celebrabantur. 471

—— quamobrem αὐτόχθονες & γηγενεῖς ſint dicti. 498

—— ſapientiæ laude maximè celebrabantur. 527

Aurium perforatio ſubjectionis ac obedientiæ ſignum. 230. ſeq.

—— cædem perforabantur & annuli illis indebantur in Oriente hominibus Deo conſecratis. 226. ſeq.

Avvæi iidem cum Chivvæis. 148. ſeq.

—— unde dicti. 175

—— Canaanem & vicina incoluerunt loca. 145. ſeq.

Avvæorum veſtigia in Phœnicia. 152. ſeq.

—— —— nec non in confiniis Armeniæ & Meſopotamiæ. 154 ſeq.

Azereth & Azártha. 58

Azymorum feſtum v. Feſtum.

B.

Baal Gad non fuit urbs terræ Iſraëlitidis. 237

— ſed Cœles-Syriæ, Heliopolis dein dicta & hodiè Balbek. 238. ſeq.

Baal Hamon eadem quæ Baal Gad. 245. ſeq.

Balbek urbs. 238

Baptiſmus ignis & ſpiritus non per hendyadin explicandus. 318. ſeq.

—— —— non de ignitis Apoſtolorum linguis intelligi debet. 321

—— quid denotet. 322

—— unde locutio deſumpta. 326. ſeq.

Beatos in futurâ vitâ cognitione Dei perfectâ fruituros eſſe, Judæi & Muhammedani inculcant. 567. ſeq.

—— corpora eorum ſplendore quodam propriè dicto prædita erunt. 573

Pag.
Bellum Jacobi cum Amoræis & vicinis. 42. ſeq.
Bethlehemiticæ aquæ ob bonitatem & ſuavitatem æſtimatæ. 137
Bethel non fuit Hieroſolyma, nec Moria. 29
—— ibi altare à Jacobo erectum. 30
—— & ſeriori adhuc ævo Numen divinum cultum. 30, 33, 36
—— nunquam appellativè ſumitur. 31. ſeq.
—— Prophetarum illic ſedes. 35
Brachmanes liberos Deo conſecrant. 226. ſeq.
Buccinis Phariſæi eleemoſynas daturi non clanxerunt. 358
Buccina Judæorum. 373

C.

Calbii populi Syriæ. 173
Canes in Oriente ferioris indolis Luporum inſtar. 170
—— viliſſimi & maxime immundi in oriente habiti. 87. ſeq.
—— inprimis mortui. 166
—— at verò & in pretio habiti. 165 ſeq.
—— quin Diis ſacri & in ſacrificium oblati. 167
—— vel divino cultu adfecti ut apud Ægyptios. 163

Pag.
Canes & Romanos. 167
Canis pretium v. Pretium.
Canini cultûs veſtigia in Syriâ ac Phœniciâ 169. ſeq.
—— & in Armeniâ. 173
Canon grammaticus multis Scripturæ locis lucem affundens. 96
Cari v. Crethi.
Celſa cur à Deo inter Judæos tolerata. 280
Cemarim Magi ignicolæ, dicti non ab atratis veſtibus. 179
—— nec à ſuffitûs incenſione. 181
—— ſed à cingulo, præcipuo religionis inſigni. 182. ſeq.
—— ritus eorum in cultu divino ſuperſtitioſi. 199. ſeq.
—— imaginum cultum averſantur. 204
Chaldæorum nomen inprimis Sacerdotibus ac ſapientibus inter illos datur. 211
Chamat celeberrima Syriæ urbs. 147
Chivvæi iidem cum Avvæis. 148 ſeq.
—— Syriam & Phœniciam incoluerunt. 151
Χιασμὸς certus loquendi modus in S. S. frequentiſſimè adhibitus. 96. ſeq.
Cibum ſimul cum Viro honoratiori ſumere, ingens habetur pra-

Pag.
prærogativa, & honos. 603
Cingulum à Magis in oriente ſanctiſſimum fuit habitum, ejúsque indutio religionis eorum præcipua pars. 184. ſeq.
——— hinc ortæ locutiones, cingulum induere, cingulum abjicere vel conſcindere. 185. ſeq.
à Cingulo ſectæ Chriſtianorum in Oriente denominatæ. 189
Comedere qua ratione ſenſu figurato dicuntur Deus & Servator: it. pii. 603. ſeq.
Coronæ certi literarum ductus. 339. ſeq.
Cretenſes ſagittandi arte inclyti. 121
Crethi non fuerunt natione Philiſtæi. 114. ſeq.
— nec celebris inter Judæos familia. 118
— ſed regii ſatellites ab agilitate dicti. 126. ſeq.
— diſtincti à τοῖς Plethi. 130
Cybeles ſacerdotes ad cymbalorum & tympanorum ſonitum ſtipem rogabant. 365. ſeq.

D.

David cur aquas Bethlehemiticas appetierit. 136. ſeqq.
— cur eaſdem allatas bibere noluerit. 141. ſeq.
Deus quomodo dicatur in aliquid inquirere. 386. ſeq.
— neceſſariò omnium rerum extra ſe cauſa eſſe debet. 482
— ignotus Athenienſium fuit verus Deus, Deus Judæorum. 475. ſeq.
— non Iſis: neque Chriſtus. 475
Dei ignoti æque ac Deorum ignotorum aras Athenienſes habuerunt. 474
— ut & Deorum ignotorum aliæ Gentes. 480
Deo aliquod corpus, ſaltem ſubtilius, adſcribebant Gentes earúmque Philoſophi. 484
— ejus cultus apud Gentes ferè totus corporis manuúmque operibus conſtabat. 490
— eum cultu illo, ſ. hominibus ad cultum indigere credebant. 491. ſeq.
— hinc ad ſua de Numine merita provocantes ejus auxilium extorquere quærebant. ibid.
— & ſi non reſponderet, probris laceſſebant, & contumeliis afficiebant. 492. 493
Dei genus dum vocantur homines, id intelligitur de mente. 518
Dies ſtatus condictúsque. 535
Dominorum nomen Diis dabatur. 505
Domus Dei omnem innuit lo-

Pag.
cum, ubi ſæpius ſe manifeſtat & colitur. 28
—— Sylvæ Libani à Salomone exſtructa in Libano. 251

E.

Eleemoſynæ collectæ ab Iſidis ac Cybeles Sacerdotibus cum ſonitu inſtrumentorum Muſicorum. 365. ſeq.
——— idem familiare eſt ſacrorum ordinum hominibus aliiſque privatis in Oriente. 368. ſeq.
——— veſtigia hujus ritûs apud Judæos. 376. ſeq.
Emblematicæ locutiones ſæpe in generaliori complexu ſumendæ, nec ad ſingulas partes, aut verba, ſemper extendendæ. 593. ſeq.
Eurus Palæſtinæ nocivus. 324

F.

Fatum Stoicum non ab omni coactione Deum liberat. 503
Feſtum Azymorum 7. diebus celebrandum. 51
— — ſeptimus illius dies cur à reliquis diſtinguatur. 55. ſeq.
— Pentecoſtes Judæis quoque Aſartha dictum. 57
Ficus in Canaane abunde proveniebant. 381
— variæ illarum ſpecies. 383. 401

Pag.
— conſuetus in Oriente etiam matutino tempore cibus. 385
Ficus matureſcebant & colligebantur in Canaane initio æſtatis. 398
— ad imprecationem ſervatoris exareſcens. 378. ſeq.
Fideles priorum temporum promiſſiones Dei nonnunquam perverſis mediis accelerare ſtuduerunt. 289. ſeq.
— non propriis, ſed Dei viribus decertant. 293
Folia arborum emblema externæ felicitatis ac confeſſionis. 414
— interdum quoque homines iis comparantur. ibid.
Fructus ſymbola operum, ut & hominum ipſorum. 412. ſeq.

G.

Gauri vel Guebri ignicolæ & *inprimis* eorum Sacerdotes. 196 ſeq.
Gens dicitur univerſa hominum multitudo. 497
Genus pro progenie, & *Deûm genus* dicuntur Heroës. 517
Gie pagus. 153
Guebr-Abad, ſuburbium Iſpahanis. 196
Guebrica lingua. ibid.

H.

Pag.

H.

Hava Armeniæ urbs. 155
Heliopolis Ægypti. 267
——— illic non fuit Oniæ templum: ſed in Leontopoli præfecturæ Heliopolitanæ. 266. ſeq.
Hermon pars Antilibani, ab urbe Paneade verſus Damaſcum. 243
Hoſpitio ſæpe Deos à piis hominibus exceptos credebant. 602
de Humani generis origine licet obſcurior notitia ad gentes manaverit, admodum tamen circa illam fluctuaverunt. 497. ſeq.

I.

In Jacobo ut nævus reprehenditur prævaricatio fratris. 283. ſeq.
— excuſari nequit modus, quo patris benedictionem impetravit. 286. ſeq.
— Ejus fuga & terror ob Eſavum peccati hujus pœna. 295
— quo & luxatio femoris ejus referenda. 296
Jentaculum Judæi commendant. 380

Pag.
Ignis Emblema rei moleſtæ imò noxiæ. 322
— ejus cultus apud Perſas & in univerſo ferè Oriente. 208
— Chaldæi eidem dediti. 211
Imaginem Dei in homine prudentiores inter Judæos in cognitione Dei & ſanctitate aut juſtitià conſtituunt. 571
—— cum eà ſplendorem gloriæ Divinæ in facie Adami conjunctum fuiſſe tradunt. 572
Inaures inter Mohammedanos geſtant qui ſingulari ratione Deo ſunt conſecrati. 226. ſeq.
—— quale quid nec Judæis planè inſuetum fuit. 233
Inquiſitio alicujus rei Deo tributa. 386. ſeq.
Ir Heres urbs Ægypti, Leontopolis. 265. ſeq.
Iſaaci non usquequaque inculpatum fuit ſtudium in Eſavum. 292
Iſidis miniſtri ſiſtrum quatientes ſtipem colligebant. 365
Itinerariorum inſignis uſus in explicandis S. S. dictis. 222. ſeq.
Judicium cui homines ſecundum animam & corpus ſiſtendi, ignorabant Gentes & ridebant. 532

Pag.

L.

Lapis à Jacobo unctus an fuerit arcæ fundamentum. 28
Leo emblema inundationis Nili. 272
Leoni contuſio & voracitas tribuitur. 265
Leones Leontopoli ſuperſtitioſè culti. 271
Leontopolis eadem quæ Ir Heres. 271
——— ibi templum ab Oniâ ſtructum. 266
Liberos à nativitate & ante illam Deo conſecrandi jus apud Judæos tam matri quam patri competebat. 231. ſeq.
—— Eundem morem obſervant Brachmanes. 226. ſeq.
Limen ſervare, obſervare, frequentare, terere, obſidere, quid. 611
Lingua Coptica ex Arabicâ feliciſſimè ſuppletur & illuſtratur. 273

M.

Magorum nomen unde. 206
——— omnes promiſcuè ignicolas, inprimis verò eorum Sacerdotes notat. ibid.
Manere aliquem eſt exſpectare. 590

Pag.

Manus attollere idem quod preces fundere. 220
Martis nomen unde derivandum. 271
Merces Meretricia. 71. ſeq.
—— perverſæ illius explicationes à Rabbinis profectæ. 75. ſeq.
—— Deo offerri vetita. 85. ſeq.
—— cur pretio canis jungatur. 94. ſeq.
Meridies pro ſummo felicitatis culmine ponitur. 303. ſeq.
Monachi à Judæis Cumarim dicuntur. 191. ſeq.
Moſes non immediatè Deum, ſed ſignum gloriæ Divinæ conſpexit. 566
Mundus nunquam ſignificat ſigillatim electos: unde minus rectè quidam de *mundo electorum* loquuntur. 434. ſeq.
—— nec unquam κατ' ἐξοχὴν Judæos. 450. ſeq.
—— denotat homines mundana curantes. 437
—— nonnunquam omnes homines ſine ulla exceptione. 442
—— nonnunquam non quidem omnes & ſingulos, ſed promiſcuè, & absque diſcrimine, *quoſcunque*; vel magnam hominum partem aut multitudinem. 443

Digitized by Google

Pag.

Mundus aliquando adhibetur de gentibus diſtinctè à Judæis. 444. ſeq

— aliquando non de ſolis gentibus, ſed ad tollendum diſcrimen, quod quondam obtinuit, de omnibus promiſcuè populis. 448. ſeq

— dum de *terrâ* uſurpatur, ſæpe non omnia & ſingula terræ loca, nec quoque certas quasdam regiones, ſed generatim terram ſine diſcrimine, in oppoſitione Canaanis ſignificat. 460. ſeq.

Myſteria auctoritati Numini conciliandæ inſerviebant. 551

N.

Nibchas Idolum Avvæorum. 143. ſeq.

— à Judæis per canem latrantem explicatur. 157

— idque rectè. 160. ſeq.

Nube tecti cur Dii introducantur. 552

O.

Obſcuratio & Occaſus ſolis v. Sol.

Occultatio ad reverentiam perſonis rebúsve conciliandam, vel metum incutiendum adhibita 550. ſeq.

Oecon. Vet. defectus patiebatur & perpetuò durare non poterat. 577

— Nova eſt ſtabilis & immutabilis. 581. 582

— Vet. Novæ locum ceſſit, & ad id verè eſt facta. 592

Omnipræſentiam Dei negaverunt Epicurei. 509

— alii tamen inter Ethnicos illam rectè agnoverunt. 51[illegible]. 513

Oniæ templum non in urbe Heliopoli, ſed ad urbem Leontopolin fuit. 266. ſeq.

— quomodo Deus id prædicere & permittere potuerit. 277. ſeq.

P.

Πελτὴν jaculi levioris genus unde dictum. 125

Paulus, cur cum antea Saulus diceretur, hoc nomen aſſumſerit: & unde. 466

— an ſit Samuel parvus Auctor τῶ ברכת המינים. ibid.

Pelta unde derivanda. 125

Phariſæi an eleemoſynas diſtributuri clanxerint buccinis. 358

Philiſthæi arcum tractandi peritiâ fuerunt clari. 122

Plato

Pag.
Plato unitatem Dei didicit in Ægypto, ſine dubio ex Judæorum ſcriptis. 479
— materiam æternam ſtatuit. 482
Plethi ſatellites regii. 113
— non à Philiſtæis repetendi. 114. ſeq.
— curſores à celeritate dicti. 124 128
Poëtarum apud gentes ingens fuit auctoritas, & pretium. 114. 515
Pretium canis quale. 74. ſeq.
— à Deo ſibi offerri vetitum. 88 90
Primogenita ſolius aſini, aut animalium uſui hominum inſervientium redimi debuerunt. 88. ſeq.
Prophetæ diſcipulis ſuis haud rarò cœnam adornarunt, cibúmque præbuerunt. 610
Pſalmi non occuparunt antiquitus primum inter Hagiographa locum. 420
— neque ab illis unquam totum Hagiographorum volumen denominatur. 421. ſeq.
— cur Prophetis præmittantur in locis biblicis in feſto Novi Anni, die Expiationis & Jubilæo recitari ſolitis. 430
— in iis clariora quàm in reliquis Hagiographis, ſunt vaticinia de Servatoris perpeſſionibus & gloria. 432
Pulſare fores in ſermone figurato quid ſignificet. 597. ſeq.
Pulſantes fores ſæpe ſimul vocem emittebant. 598
Puncta vocalia codicis Hebr. ab ipſis Scriptoribus S. non ſunt profecta. 336
— nihil tamen id illorum auctoritati detrahit. 337

R.

Rabbinorum detorſiones & fraudulentæ legis Moſ. expoſitiones. 67. 75. ſeq.
Rationis principia an homini in ſtatu peccati ad Deum quærendum & inveniendum ſufficiant. 508
Rebeccæ facinus filium inſtruentis ut patris benedictionem captaret culpâ non vacat. 286
— Ejus defenſio fruſtra ſuſcipitur. 288. ſeq.
Reges Orientis certam aquam bibere ſoliti. 136
— ſolis honoratioribus miniſtris ſe conſpiciendos præbent, ad reverentiam ſibi conciliandam. 550. 556
Repetitio vocis in Linguâ Hebr. valdè emphatica. 103 ſeq.
Res Judæi diſtinguunt in illas, quæ certi domini, & quæ com-

Pag.
communis ſunt juris. 382
Reſurrectio Epicureis & Stoicis non plane ἀδύνατον viſa, neutris tamen probabilis. 539
Ritus in Sacris memorati, quorum in Judæorum ſcriptis nulla, vel obſcura fit mentio. 219. 375

S.

Sabii. 199
Salomon ad loca Syriæ in Cantico alludit. 247
—— ejus ſubſtructionum in urbe Balbek ſtupendæ reliquiæ. 249. ſeq.
S. Sanctorum verſus Occidentem fuit exſtructum. 216. ſeq.
Sanguis pro ſemine. 497
Sara unde dicta. 19. ſeq.
Sarai quid ſignificet. 25. ſeq.
Saulus vide Paulus.
Schaddai non denotat omniſufficientem aut largæ benignitatis effuſorem. 5
—— neque vaſtatorem aut fulminatorem. 6. 7
—— ſed omnipotentem. 8
S. Scriptura non temere ſollicitanda, vel in ejus lectione aliquid mutandum. 102. ſeq.
Sepharvajim non in Syriâ, ſed magis Orientem verſus. 153
Servator qua ratione imago ſit

Pag.
Patris. 549
Simulacra pro Diis habebant Gentes, vel Deos ſaltem cum ſimulacris Templi parietibus includi credebant. 484. 524. ſeq.
—— eorum materia erat multiplex, ex metallo varii generis, ex lapide &c. 519
—— in lapideis, eburneis & æneis celebratur ars, non item in aureis & argenteis. 252
—— Diverſa Deorum ſimulacra & figuræ cultûs vanitatem arguunt. ibid.
—— hominum arte parata colere omnem inſaniam ſuperat. 528
Siphara, urbs Ariæ. 154
Sol apud Orient. Cheres dictus. 261
Solem orientem antiquiſſimæ gentes venerabantur. 216
Solis obſcuratio imago magnarum calamitatum. 301. ſeq.
— — — — extraordinaria inſtantem magnorum principum interitum portendere credebatur. 311. ſeq.
Sol emblema virorum dignitate eminentium. 306
— rationes illius. 308. ſeq.
— eidem Papæ ſe ſimiles putant. 307
— ejus occaſus, præſertim in

 men-

Digitized by Google

Pag.
meridie, ſymbolum mortis. 310. ſeq.
— & magnarum calamitatum. 302. ſeq.
Speculis comparari ſolent media, quibus res alias cognoſcimus. 563
Spiritus S. eſt cauſa ſanctificationis & glorificationis, agnoſcentibus id Judæis Vet. 574
Synagogarum antiquitas. 609
Synchyſeos exempla in Sacris. 399. ſeq.

T.

Templis Deos includi ſibi perſuadebant Ethnici, contra ipſa rationis principia. 485. 486
— ſecus tamen ſentientibus quibusdam, qui Templa non admiſerunt. 486
Templum Oniæ v. Onias.
Templum Hieroſ. Deus non ita inhabitabat, aut inhabitare à Judæis credebatur, ut parietibus includeretur. 487. ſeq.
Tempus fructuum denotat tempus quo hi matureſcere ſolent. 396. ſeq.
Turcarum imperator duplicis generis ſatellitibus præcipuè utitur. 131. ſeq.

Pag.
Turcæ ad templum Meccanum in precibus ſe convertunt. 218. ſeq.
Turris Libani caſtellum à Salomone in Baal Hamon extructum. 256. ſeq.

V.

Vallis Libani dicitur Cœle Syria. 241
Vaſa hominum ſæpius emblemata. 329
— impura mundabant Judæi tum igne tum aqua. 326. ſeq.
Velandi capitis velo טלית mos apud Jud. unde originem habeat. 547
Velata Moſis facies Vet. Oecon. conditionem repræſentavit. 552. ſeq.
Velis involvi ſolebant ſanctiora Deorum ſimulacra. 552
Velites levis armaturæ milites unde dicti. 124. ſeq.
Ventus urens in Oriente. 324
Videre pro rei alicujus clariori cognitione uſurpatur. 549
Vinum præſtantiſſimum prope urbem Baal Hamon, ſeu Balbek. 246. ſeq.
Viſio in ſpeculo lucido vel minus lucido quid Judæis ſignificet. 560. ſeq.

Viſio

Pag.
Viſio facie ad faciem quid. 564. ſeq.
Unitatem Dei pleræque Gentes agnoverunt. 483.
— — & Plato. 479
Unitatis numerus reliquis ſubjunctus quid ſignificet. 55
Uſtio ab Æthiopibus & nonnullis Hæreticis Baptiſmo addita. 318

Z.

Zoroaſter Magorum religionem non inſtituit ſed reformavit. 207

Digitized by Google

ADDENDA & EMENDANDA.

pag.

9 lin. antepen. עפר lege עָפָר.

penult פירשוה l. פרשוה

11 lin. 4 habiturum l habituram

12 19 drogrediamus lege, progrediamur.

55 22 poſt vocem INTERDCT , omiſſa ſunt verba: *& Scripturam, cum ait*, ſeptem diebus azyma *comedes*, *oſtendere*, *etiam ſeptimo die, die feſto clauſula vel interdicti*,

65 10 tum, lege, tam

68 24 poſtquam l. dein & lin. 25. 26. enumeraſſet l. enumerat,

86 10 involvunt l. involvant

94. 13 *donum* l *domum*

104 14 כהלך l. מחלך

20 poſt *beata* dele punctum

109 10 contuliſſe, l. non contuliſſe

114 9 verúmque l. verámque

115 22 videntur l. videantur

121 2 nullam l. nullum

127 2 uſurpatur l uſurpetur

128 19 Chron. l. 2 Chron.

165 18 *ἀγνίας* l. *ἀγνοίας*

219 7 appellatur l. appellantur

248 32 *de eene* 83 *en d'andere twee*, *elck* 80 adde (rectius 63 en 60)

290 5 *deſpexit*, lege *reſpexit*

317 14 Maſtrigtius l. Maſtrichtius

364 11 ſtatuerant, l. ſtatutum erat

368 13, 14 *De-roish* l. *Der-vish*

375 12 unicum l. hoc unum

13 Judæorum, adde, ibidem quoque tacta

378 penult. CHETELIGIO, l. SCHETELIGIO

384 29 res, l. rei

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google